M

A  H

BEZÆ (T.) in CANTICU
Homiliæ XXXI., *thk. sm.*
"In thi the fashion of
Lov condemned
thos ne."—LOWN

Campbell 81.

4/—

XIV

IN

CANTICVM CANTICORVM SOLOMONIS HOMILIÆ TH. BEZÆ.

In quibus præcipuæ de vero Christo & vera Ecclesia controuersiæ nostris temporibus agitatæ ex Dei verbo exponuntur.

Ex gallicis à N. latinæ factæ.

SAPIENTER AGAS



EXCVDEBAT
Johannes le Preux.
M. D. LXXXVII.

FIDIS DEI SERVIS, ET TVM IN VRBE, TVM IN TERritorio Geneuenſi, ſancti Euangelij Miniſtris, fratribus ac collegis obſeruandis, THEODORVS BEZA gratiam & pacem à Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto.



Ortantibus vobis, obſeruandi Fratres, vt (quod adhuc nemo ex illis beatæ memoriæ & excellenti doctrina præſtantiſsimis fratribus tentauit, in quorum labores ſucceſsimus) Canticum illud Solomonis in Eccleſia interpretarer: etſi mihi non deerant iuſtiſsimæ illius oneris recuſandi cauſæ: obtemperaui tamen, eius inſigni miſericordia fretus, quo auctore in Eccleſia loqui non tantùm audemus, verùm etiam tenemur. Nec enim aut vos, aut me latebat eius carminis, vtpote penitus allegorici, obſcuritas: tanta quidem illa vt ab omni æuo apud Iudæos ſolis iam adultis & ad hæc percipienda idoneis hominibus legi conſueuerit. Eſt enim certè allegoriarum interpretatio valde incerta, & in qua facilè ineptire, atque adeò (nõ abſque rei tam ſacræ humanis commentis polluendæ periculo) hallucinari poſsit quiſquis animum valde religioſum, & in ſacrorũ lectione exercitatũ, ad earũ interpretationẽ, (an diuinationẽ potiùs dixerim?) nõ attulerit. Eſt enim illarũ veluti latiſsimè

patens campus in quo excurrere facilè cuiuis liceat, nisi quis sese intra diuini verbi metas sollicitè ac penè pauidè contineat. Cōstat præterea nō defuisse iampridem, quos illi blandi & amatorij inter eos qui in hoc Cantico introducuntur coniuges habiti mutui sermones, eò vsque offenderint (& quidem immeritò) vt alij quidem hunc libellum vt propharum & ab insano Salomone scriptum censuerint expungēdum: alij verò paulò æquiores, vt illum damnare non sint ausi, tamen publicè exponi vtiliter non posse existimarint. Harum igitur difficultatum vel minima, facilè me ab amplectendo vestro cōsilio deterruisset, nisi plus apud me pōderis habuisset, tum illius hortationis vestræ auctoritas, tum etiam multò magis ea quam dixi de Opt. Max. Dei benignitate fiducia: accedente præsertim maximorum tum Græcorum, tum Latinorum Theologorum iudicio, qui tantum ab eo abfuerunt, vt an hic liber esset in canone scripturæ retinendus dubitarent, vt etiam passim illum commendare, imò inter monachos quoque interpretari, laboriosissimis denique commentariis illustrare non sint veriti. Ad me quidem quod attinet quamuis perexiguum sit quicquid ad huius Cantici interpretationem cōtuli, prout diuinorum in eo comprehensorum mysteriorum maiestas requirit: gaudeo tamen quòd hîc quoque sim vobis obsequutus. Magnam enim inde consolationem ex istarum rerum meditatione percepi. Et meum hunc laborem, coniecturam inde facio, neque inutilem neque iniucundum auditorum cœtui fuisse, quòd à me non pauci contende-

tenderunt, vt, contra meum morem, quæ fueram publicè concionatus, domi, quoad eius fieri posset, recognita perscriberem: quo labore tum erudiri, tum etiam confirmari non paucos posse consideret, in ijs præsertim cōtrouersiis quæ nunc præcipuè de veri & falsi Christi discrimine, & de veræ Ecclesiæ ab adulterina discernendæ notis, agitātur. Hûc enim spectasse me fateor in hac ferè tota huius Cantici explicatione. Et, nisi vehementer fallor, fuit hic Solomoni præcipuus in hoc libro propositus finis, in quo graphicè prorsus nobis, tum huius Sponsi (id est veri Christi) proprias, ac vt ita loquar, formales qualitates depingit, tum huius Sponsæ, (veræ videlicet Ecclesiæ) natiuum & expressum veluti vultum oculis penè nostris subiicit. Sed ecquis tandem magni Solomonis istius Sapientiā sicuti meretur animo complecti queat? &, vt à quopiam istud præstari posse demus, quisnam vim illam eloquentiæ inimitabilis repræsentare se satis posse existimauerit, qualis & quanta fuit, in isto tam arduorū mysteriorū longè diuinissimo interprete? Sunt tamen ista certè scripta nō vt sepulta delitescant, vel adorentur non intellecta, sed vt in Ecclesia Christiana explicentur, intelligantur, ad vsum denique suum applicentur. Quòd si tempus vnquam vllum fuit in quo foret istarum rerum explicatio necessaria, hoc illud ipsum est in quo nunc versamur, eo planè hominum genere, si vnquam aliàs refertum, quorum in veritate sophisticis præstigiis adulteranda, incredibilem audaciam, & impudentissimam impro-

bitatem animaduertimus. Confido igitur futurum vt nullos veritatis amantes, aut vestri consilij, aut mei obsequij pœniteat: qua in re si passa non est ingenij & iudicij mei imbecillitas vt vestræ & auditorum expectationi satisfacerem, spero tamen fore vt & rectæ conscientiæ & alicuius diligentiæ testimonium à vobis non inuitis obtineam; minimè certè recusans, vt in cæteris etiam omnibus, sic etiam in hoc meo qualicunque scripto quod hic vobis offero, vestri iudicij censuram subire: reliqua fortasse recogniturus, si difficillima & negotiosissima hæc tempora patiantur, & vtilem Ecclesiis hanc nostram operam futuram censueritis. Quod superest, venerandi fratres & collegæ, Deum Opt. Max. quanta fieri potest animi contentione precor, vt vos omnes suis illis donis ad sacrosanctum istud obeundum munus necessariis magis ac magis cumulet, & quidem in primis vt nos, sicut adhuc pro bonitate singulari sua fecit, in eiusdem veritatis in hac Ecclesia Geneuēsi nobis cōmissæ sensu & professione cōiunctissimos foueat. Mei denique curriculi quicquid superest velim etiā atque etiā vt vestris precib⁹ Domino cōmendetis, vt inoffenso cursu in portum appellere, & feliciter prouehi tandem aliquando mihi quoque concedatur. Geneuæ, 20. Augusti, Anno vltimæ Dei patientiæ, 1586.

Vester in opere Domini
syncerus frater & collega
Theodorus Beza.

ARGVMENTVM PSALMI

ET PSALMVS IPSE 45. QVI EST libri huius Solomonis Cãtici Canticorum tanquam ſumma.

Totus hic Pſalmus merè eſt allegoricus & eiuſdem prorſus argumẽti atque Canticum Canticorum: neque iis aſſentiri poſſum qui ἐπιθαλάμιον eſſe putãt, id eſt, nuptiale carmen Solomonis & filiæ Pharaonis. Præterquàm enim quòd inſcriptio Hebraica id nõ prętermiſſura fuerat, video matrimonium illud diſertè, & meritò quidem, damnari à Spiritu ſancto, 1. Reg. 11. vt perabſurdum mihi videatur id exiſtimare fuiſſe tantæ rei typum. Deſcribitur autem in eo diuiniſſimè ſpiritualis illa copulatio Chriſti & Eccleſiæ, allegoria à matrimoniis communibus ſumpta, quam ſæpe poſtea illuſtrarũt Prophetę, & Paulus ipſe Rom. 7. 2. Cor. 11. & Eph. 5. Sed obſeruandum eſt ſicut in coniugiis humanis primùm ſponſalia contrahuntur, deinde nuptiæ celebrantur: ſic Chriſtum Sponſum Eccleſiæ conſiderari in duplici quodammodo ſtatu, nempe infirmitatis, quam poſſumus cum ſponſalibus cõparare, & gloriæ, quam à reſurrectione adeptus eſt, verus nunc & glorioſus Eccleſiæ, etiam aliquatenus in terris adhuc hærentis, Maritus: in hoc autẽ Pſalmo proponi vt glorioſum & qui nuptias ipſas nobiſcum inierit. Chriſtus igitur eſt Rex ille Eccleſię Maritus, quo certè nihil eſt pulchrius, vt qui omni labe careat. Quæ ſit autem eius ſuadelæ vis, nõ tantùm in alliciendis, ſed etiam in mutandis hominum animis, apparet ex Euangelij prædicatione ac virtute inenarrabili. Idem quatenus Homo accepit ſpiritum non ad menſurã, ſed quàm abundantiſſimè, adeò vt in omnes Sanctos redundet. Additur ei gladius quem non oſtentet velut εἴδωλον ſed quem etiam diſtringat, illum nimirum penetrantem ad diuiſionem animę & ſpiritus. Itémque ſagittis eſt munitus

quibus

quibus hostes omnes suos transfigit, vnde summa laus ei & præstantia tum in seruandis suis, tum in frangendis superbis optimo iure debetur. Itaque inducitur postea quasi tribus equis inuectus, Veritate videlicet, Mansuetudine, & Iustitia, quæ à Verbo tanquam Auriga regantur: cui diuinissimæ allegoriæ explicandæ pro rei grauitate ac dignitate, integro volumine opus esset. Verùm ex antithesi potest hoc summatim intelligi: si quis videlicet consideret quibus contra consueuerint non equis sed truculentissimis bestiis inuehi Reges ac Principes spiritui contrario obsequentes, videlicet ambitione, fastu, ferocia, crudelitate, luxu, & horrẽda subiectorum oppressione: & valde obseruandum est, quod adiicitur, nempe vtcunque mundus hoc iustissimum simul & moderatissimum Imperium detrectet, Regem tamen iustum prosperè omnia gerere. Et quò magis illi obsistitur, eò magis potentiam suam ostendere, tum in illa suorum tam iusta tamque secura defensione, tum in hostibus suis diuina virtute intus lethaliter vulneratis: quum eos videlicet in reprobum sensum tradit, vt sint suæ ipsorum perniciei organa. Hæc autem omnia etsi quotidie accidunt, Rege isto omnes suos electos tutante ne quis ex iis pereat, & hostes suorum prout libuit vlciscente: tamen insigniter apparuit in ipso istarum nuptiarum re ipsa celebratarum initio: quod hîc innui videtur, quum de ingrata Synagoga horribiles pœnas sumpsit, quæ etiam hodie perseuerant, seruatis tamen electorum reliquiis, peculiari quadam erga genus Abrahæ, tam rebelle, misericordia. Hac autem parta victoria Rex iste in suo solio collocatur quod æternum esse dicitur, vt significetur ex hoc mundo non esse: non modò quoniam, vt inquit Solomõ, Iustitia stabilit thronum Regis, sed quia Rex ille simul verus & æternus Deus, & verus est Dauidis filius secũdum carnem, cui etiam quatenus Homo est, omnis in cœlo & in terra potestas data est supra omne Nomen collocato, sicut citatur iste versiculus sextus Heb.1.8. vt neque plures sint Reges (quum vnica vxor plures non possit habere maritos) neque rursum ipse

ſic Deus eſſe intelligatur, vt non ſit Homo (quoniam alioqui non eſſet cõueniens huius Eccleſię quæ ex hominibus conſtat Maritus) neque ſic Homo, vt non ſit Deus verus & æternus, quoniam alioqui ſatis potẽtem Maritum Eccleſia non haberet. Subiicitur poſtea iſtius Regni, Eccleſiæ videlicet, ſanctiſſima gubernatio. Nã ſola Eccleſia regitur vera iuſtiſſimæ moderationis in ſingulis publicis ac priuatis vocationibus norma, quũ ibi demum regnet Spiritus Dei, iudicium piorum informans, & eorum affectus gubernans. Huius autem dicti ratio quæ adiicitur maximi eſt ponderis, quod videlicet Rex iſte, tum quod ad ipſam perſonam, tum quod ad diuina dona attinet, ſit vnctus præ conſortibus ſuis, id eſt, ex reliquorum Regum numero eximẽdus. Nam præſtantiſſimi quique Reges, & ipſe quoq; Dauid multis magníſque vitiis laborârunt, in hoc autem Rege nihil prorſus deſiderari poteſt. Quæ denique de ipſius pretioſiſſimo veſtitu dicuntur, pertinent partim ad illam Patris ipſius vocem, ἐν ᾧ εὐδόκησα, qua ſignificatur noſtri Immanuelis tum perſonali integritate tum obedientiæ vſque ad mortem crucis fragrantiſſimo odore Patrem nobis fuiſſe reconciliatum: partim verò ad illud Apoſtoli dictum 2. Cor. 2.14. Chriſti bona fragrantia ſumus, vt qui ſit nobis factus Sapientia, Iuſtitia, Sanctificatio & Redemptio. 1. Cor 1.30. ídque ex tabernaculis eburneis, cæleſti videlicet ſede ex qua nos reſpicit, & hæc omnia, immò etiã ſeipſum, in nos quodammodo inſtillat.

Hanc Mariti Regis deſcriptionem ſequitur Eccleſiæ Coniugis ipſius, & Regiarum nuptiarum abſolutiſſima deſcriptio, in qua adiunguntur Iſraelitis ſanctis (qui Reginæ perſonam ſuſtinent) aliæ, filiæ & ipſæ Regum, eius comites, quæ omnes vni Marito addictæ ſuſtinẽt quidem Vnicæ Catholicæ Eccleſiæ Perſonam : ſed tamen ab illa tãquam Principe vxore diſtinguntur: quoniam videlicet ſanctorum Iudæorum, Prophetarum & Apoſtolorum ac cæterorum naturalium ramorum priores ſunt partes, à quibus etiam in illum Regis thalamum ſumus perducti, cuius auro ac ſplendore ipſi

quoque

quoque refulgemus. Sed illud inprimis obſeruandum eſt quòd hæc omnia ornaméta iſtę Reginę non ex ſuis κειμηλίοις dicuntur deſumpſiſſe, ſed à Rege ipſo accepiſſe, vt omnia illius benignitati accepta ferantur, qui nuditatem noſtram texerit, ac proinde veram illam demum Catholicam habendam Eccleſiam, quæ ſola Chriſti iuſtitia gratis imputata incedat cum ſuis comitibus coronata: quanquam iuſtitiam illam altera quoque conſequatur in nobis inchoata, & filios lucis à filiis tenebrarum diſtinguens, quod ſimili allegoria adumbratur ab ipſo Chriſto, Matth. 22.

His expoſitis quibus vniuerſa penè ſalutis noſtræ myſteria continentur, conuertit ſermonem Propheta ad ipſam Eccleſiam vel ſingula potiùs eius membra, adhortans illam vt magis ac magis ſeſe approbare ſtudeat Marito à quo tantoperè diligatur: ſimúlque oſtẽdit quânam id ratione ſit conſecutura: nempe ſi illum diligentèr audiens (eſt enim fides ex auditu ſine qua placere Deo nequimus) & ad illum conuerſa, (id eſt, ipſius voluntatem in legis ſpeculo aſſiduè intuens) omnes corruptelas tum ſibi ingenitas, tum à maioribus acceptas, tum longa conſuetudine confirmatas, abiiciat, vt Vni huic Marito tanquam Capiti ac Domino magis ac magis diſcat obtemperare. Subiicitur adhortatio prima illa naſcentis in Iudæa Eccleſiæ Chriſtianæ incunabula reſpiciens. Tum enim quàm tenuis, egens, & calamitoſa fuerit Eccleſia ſecundùm carnem, nempe centum viginti capitum duntaxat, & ex pauperculis cõſtans, ex hiſtoria ipſa cognoſci poteſt. Illam igitur ſolatur, prædicens fore vt tandem ipſi quoque Tyrij (quo nomine gentes, & quidem comprehenſis ipſis quoque magnatibus, intelligit) ſeſe illis adiungant: ſed ita vt admoneat omnem illum ſplendorem de quo egerat, & qui ſit omnibus quãtumuis pretioſis ornamentis Reginarum omnium infinitè excellentior, internum eſſe, ac nunc quidem carnis oculis non patẽre, ſed tamẽ ſuo tempore, in Regina & toto ipſius gynæceo tam ſplendidum appariturum, vt omnium captum ſuperet: tunc videlicet, quum Chriſto, vt ait

Apoſtolus, occurremus, & perpetuò cum ipſo erimus, palatium eius ingreſſi. Sed quid, inquies, fiet interea? nempe gignet hæc Regina filios ſuo Marito, eóſque omnes inſtar maiorum illorum ſuorum, cuiuſmodi veteres illi Patriarchæ fuerunt, eximios, & per orbem terrarum veros Reges, domitis videlicet Satana, peccato & morte, ac ſe ipſis, regnaturos. Ex quibus efficitur ſempiternum hoc coniugium futurum.

Eiuſdem Pſalmi quadrageſimiquinti

PARAPHRASIS.

AEſtuat animus vſque adeò vt erumpere ſit prorſus neceſſe quod intus accepit, magnificum videlicet de Rege & quidem ipſi Regi conſecratũ carmen, idque tanto cum ardore vt nullus calamus videatur loquentis vocem aſſequuturus.

Tu certè pulcerrimus es hominũ & ineſt labellis tuis facũdia & ſuadela incõparabilis. Deus enim te præ cæteris quàm benigniſſimè donis iſtis omnibus, & quidem nunquam tibi auferendis, exornauit.

Prodi agedum gladio illo tuo accinctus, Heros fortiſſime, & decus illud tuum maieſtatis plenum conſpiciendum præbe.

Prodi, inquam, proſperrimè geſturus omnia, triumphali curru inuectus, Verbo quidẽ ceu auriga illũ regẽte, quẽ Veritas, Mãſuetudo, & Iuſtitia trahãt: O quã magna & quã admirãda viribus iſtis cõfecturũ te video.

INTERPRETATIO.

1 EBullit cor meum verbum bonum: dixi ego, opera mea ad Regem ſpectant: lingua mea *erit* calamus ſcribæ velocis.

2 Pulcer es præ filiis hominũ, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: eò quòd benedixit tibi Deus in æternum.

3 Accingere gladio tuo ſuper femur, ô Heros: decore & gloria.

4 Et decore tuo proſperè age: equita ſuper verbum veritatis & manſuetudinis & iuſtitiæ: docebit te terribilia dextera tua.

Nec enim defuturi sunt, ô Rex qui tibi obsistāt. Sed te vicißim armatum sagittis præacutis cōspicio, quibus hostium pectora transfodias, atque adeò populos totos disiicias.

Solium enim tuum, Deus, ipsa etiam perennitate perēnius est; & vt nihil est tuo imperio firmius, ita tibi sceptrum est ipsa rectitudo.

Amas enim iustitiam, & quicquid ei aduersatur, odisti. Nam ô Deus Rex ille noster, omnem in te benignitatem effudit Deus verè tuus, vt nemo sit hominum qui comparari tecum poßit.

Extrinsecus verò te ex palatiis eburneis prodeūte sese suauißimus odor effundit vestium tuarū, quibus nihil fragrantius esse poßit: ideoque certatim omnes ad te gratulabundi concurrunt.

Adsunt & filiæ Regum tuis muneribus ornatæ, inter quas adstat tibi ad dexteram aßidēs Regina, coronam ex auro obriso gestans.

Audi igitur filia, considera diligenter, cui Marito sis adiuncta, disce ex illo ipso quid ex te requirat, tuæ gentis, ac paternæ domus, cæterorum denique oblita, quum in potestatem & familiam huius Mariti trāsieris.

Sic futurum est vt illi magis ac magis gratiosa euadas: cui uni vt Domino tuo subiiciaris

5 Sagitæ tuæ *sunt* acutæ, populi sub te cadent: in cor inimicorū huius Regis *cadēt*.

6 Solium tuum, Deus, *stabit* in seculū: virga *sceptrum* rectitudinis sceptrū regni tui.

7 Diligis iustitiam & odio habes iniquitatem, quoniam vnxit te, Deus, Deus tuus oleo exhilarationis, prę participibus tuis.

8 Myrrha & aloë, cassia, *sunt* omnia vestimenta tua, ex palatiis tuis eburneis *depromptæ* vnde tibi gratulentur *omnes*.

9 Filię Regum adsunt *ornatæ* tuo mūdo: adstat coniux ad dexteram tuam auro *coronata*.

10 Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui, & domus patris tui.

11 Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniā hic *est* Dominus

oportet.

Eris autē viciſsim peregrinis etiam populis venerabilis, quorum opulētiſsimi quique te reueriti amicitiam tuā expetent.

Sed intus inprimis & apud maritum ornatiſsima ſedebis, tota veſtibus auro intertextis amicta.

Tali igitur támque pretioſo habitu exornata Regi ſiſtêris, virginibus ſociis tecum ad Regem pergentibus comitata:

Donec vnà omnes maxima cū lætitia & applauſu palatium ingrediamini.

Hic filios quos Marito pepereris, videbis florentes, nec clariſsimis illis maioribus tuis inferiores, per orbis terrarū prouincias regnaturos.

Tuum igitur Nomen, ô Rex, perpetuis ætatibus commemorabo, & mecum tibi populi nullis vnquam ſæculis deſituras laudes canent.

tuus, & adorabis eū.

12 Filiæ autem Tyri, ditiſſimi quique, cū munere vultum tuū deprecabuntur.

13 Tota glorioſa *eſt* filia regis intrinſec⁹: & veſtib⁹ auro intertextis indumētum eius.

14 Cum veſtibus acu pictis adducetur Regi: virgines poſt eam ſociæ eius adducentur tibi.

15 Adducētur in lętitiis & exultatione: ingredientur palatium regis.

16 Pro patribus tuis erunt filii tui: conſtitues eos principes in vniuerſa terra.

17 Celebre reddā Nomen tuum in omni generatione & generatione: propterea populi cōfitebūtur tibi in ſeculū & perpetuò.



Idem Psalmus quadragesimus quintus, versibus expressus.

1 EN grauido ebullit ructatum pectore carmen,
Rex, tibi sacratæ laudes: Tu scriba citatæ
Fac calamus linguæ properantia verba sequatur.
2 Huc ades ô hominum pulcherrime, cuius inundās
Insedit penitus mellitis suada labellis,
Quem beat æternis Patris indulgentia donis.
3 Prodi agedum ferro accinctus, Fortissime Regum,
Ore decus toto ostentans, quem gloria totum
Cingit, & æterno exornat splendore coruscum.
4 Te curru aurato Verum Iustúmque sedentem
Ecce vehunt: trahit alma tuas Clementia bigas:
5 Nec te impunè tamen quisquam deriserit hostis,
Quin te terribilem potius vultúque manúque
Sentiet ima tuis trāsfixus corda sagittis,
Et populos magna calcabis strage superbos.
6 Quinetiam æternum solium tibi contigit istud,
O Deus, ô recto sceptrum moderamine tractans,
7 Iuris amans scelerúmque hostis. Te scilicet vnxit
Præ sociis Deus, ille tuus Deus, omnibus vnum.
8 Prodi age, téque procul thalamo dum egressus eburno
Gratantum voces inter procedis, euntem
Myrrhæ, aloes casiæ prodant fragrantis odores.
9 Ecce tibi Regum natæ famulantur ouantes,
Quas inter Coniux longè pulcherrima cunctas,
Ad dextram residet gemmis auróque coruscans.
10 At tu audi virgo, vide & audi singula: námque
Et patria, & domus est tibi dediscenda parentum.
11 Tu nostri nunc Regis amor, quem casta Maritum
12 Ac Dominum venerêre. Tibi sua munera diues
Ecce Tyrus, ditésque ferunt ad limina quique,
Reginæ vultus auidi spectare beatos:
13 Nec modò tu speciosa foris. Pars maxima longè
Intus opum decorísque tui. Hîc tot Regibus ipsa
Nata atauis Regina, auro gemmísque rigentem
14 Pallam induta sedes: hinc vultus Regis ad ipsos,

Arte

Arte laborato ſplendens velamine tota,
Progrederis, Dominam comites quam mille ſequutæ,
Hinc atque hinc circum effuſæ glomerantur euntem.
Lætitia feſtóque ſonant latè omnia plauſu,
15 *Téque tuáſque ſimul donec ſublimia tandem*
Obuius excipiat Rex intra tecta receptas.
16 *Hinc tibi progenies, ô Rex, naſcetur auorum*
Quæ genus & mores referat, ſurgéntque nepotes
Quos mundus Reges deinceps ſubiectus adoret.
17 *Sic te perpetuis dicam, Rex inclyte, ſeclis,*
Téque omnes mecum memorabunt vndique gentes.





IN
CANT. CANTICORVM
SOLOMONIS, HOMELIÆ.

Precatio.

Adiutorium noſtrum ſit in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Amen.

Exhortatio.

Fratres, vnuſquiſque noſtrûm ſe Domino ſiſtat, ſuáque peccata confiteatur: ac me his verbis præeuntem, mente ſubſequatur.

Confeßio.

DOmine Deus, Pater æterne & omnipotens, agnoſcimus & ingenuè profitemur apud ſanctam maieſtatem tuam, nos miſeros peccatores eſſe conceptos & natos in iniquitate & prauitate: ad nequitiam procliues, ad omne autem bonū opus inutiles: nóſque, vt vitioſi ſumus, nullum tranſgrediendi ſancta tua mandata finē facere: quo fit vt exitiū à iuſto iudicio tuo nobis accerſamus. Attamen, Domine, anxiè gemimus quòd te offenderimus, ac nos vitiáque noſtra damnamus, cum vera pœnitentia, optātes vt gratia tua noſtræ ſuccurrat miſeriæ. Tua igitur nos miſericordia dignare Deus & Pater clemētiſſime, ac ſummè miſericors, in nomine filij tui Ieſu Chriſti, Domini noſtri. Et vitia noſtra delēs, omnéſq; ſordes noſtras

abluens, in dies dona sancti tui Spiritus nobis adauge: vt corde intimo iniquitatẽ nostram agnoscẽtes, magis ac magis nobis displiceamus, atque ita ad veram pœnitentiam stimulemur: hæc autem nos cum omnibus peccatis mortificans, fructus iustitiæ & innocentiæ tibi gratos producat: per illum ipsum Iesum Christum, Dominum nostrum.

Superiores Preces sequitur ordinarij Psalmi decantatio, qua peracta subiicit Minister.

INuocemus Benignissimum illum Deum & Patrem nostrum, precantes vt cum in ipso vno posita sit omnis veræ sapientiæ plenitudo, dignetur nos sancti sui Spiritus lumine, vt diuini ipsius verbi verum sensum percipiamus, ne corruptæ nostræ carnis & intelligentiæ sensu polluatur: sed vt potius eo fideliter nobis explicato, & viua fide à nobis comprehenso, doceamur nos ipsos abnegare: & omni nostra fiducia in ipso collocata, ritè ipsum colere & omni honore prosequi discamus: eo videlicet timore & honore, quo veri filij suo Patri, & serui Domino suo obstringuntur, quandoquidem nos pro bonitate & misericordia singulari sua, in numero filiorum & seruorũ suorum recenset. Quod ab ipso petemus in nomine Domini nostri Iesu Christi vnici ipsius filij, quemadmodũ docuit & præcepit vt ipsum inuocaremus.

Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomẽ tuum: adueniat regnum tuum: fiat voluntas tua in terra, sicut in cœlo. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & remitte nobis debita nostra, sicut nos quoque remittimus debitoribus nostris: & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula. Amen.

IN

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA PRIMA.

Quod sequitur extat in titulo tertij libri Solomonis.

Canticum Canticorum quod est Solomonis.



HIC libellus, tum in vetere Israelitica Ecclesia, tum etiam apud Christianos, cõmuni perpetuóque consensu, non modò inter eos numeratus est, qui Sancto Spiritu dictante exscripti sunt, ideóque pro norma fidei nostræ habendi: verumetiam commendatus, vt qui peculiari quodam diuini afflatus splendore refulgeat, sítque præ cæteris spirituali intelligentia concipiendus. Neque tamen in Ecclesia fuit quibusuis explicatus, sed iis duntaxat propositus, qui iam essent de cœlestibus mysterijs edocti, ac iudicio solidiore præditi. Primùm quoniam est genere dicendi prorsus allegorico, atque adeò ænigmatico exaratus, arcana spiritualia complectens corporeis inuolucris & inde petitis similitudinibus obducta, quas neque facilè quiuis possit per se percipere, neque commodè semper vsui adaptare. Deinde perpetua hîc seruatur allegoria à terreno coniugio desumpta: quod qui-

Libri huius præstantia: illiusque apud vtramque ecclesiã autoritas.

Quod cum delectu perpetuo exponendus legendúsque fuerit.

Doctrinam ipsam complecti arduã & ænigmaticam.

dam (vt ſunt res humanæ) næuis vitiiſque plurimis inquinatum eſſe cōſtat, ex quo peccatū in homines peruaſit. Nemo enim eſt qui plus ſatis non norit quot ſordibus & laſciuiis obnoxij ſint homines, quæ totidē ſunt caſtorum in coniugio amoris pollutiones, in quibus etſi multa ſunt ad quæ Deum pro bonitate ſingulari ſua conniuere oporteat, tamen verum illud manet quod ait Apoſtolus Heb. 13.4, Eſſe nimirum honoratum inter quoſuis coniugium & cubile impollutum. Hinc factum eſt vt nōnulli, animo expendentes huius ſeculi impuritates, & non paucas in hoc libello loquendi formulas occurrere, prout illorum temporum ſimplicitas minimè mala ferebat, quibus facilè nonnulli poſſent abuti: è re Chriſtiana fore duxerint, ſi ex Eccleſiæ pulpitis hic libellus exularet, metuentes ne plus inde detrimenti quàm vtilitatis ad pleroſque redundet. Alij verò audaciores, eouſque temeritatis progreſſi ſunt, vt illū etiam ex ordine librorum canonicorum tanquam prophanum expungendum cenſeant, quaſi inter impuras voluptates atque adeò in medio luxu à Solomone perſcriptum. Ac ſunt profectò laudandi priores illi, quatenus illis non placet, vt quiuis inconſideratè nullóque delectu ad hoc veluti ſacrarium admittatur: ex illo Apoſtoli dicto. 1. Cor. 3.2, lacte initiò alendos eſſe tyrones vt demum firmam & ſolidam eſcam ferre poſſint: quod etiam eſt ſtudioſè huc vſque à piis huius Eccleſiæ paſtori-

ſtoribus obſeruatũ. Verùm quod ad illos attinet qui hunc librum damnare præſumunt, nihilo magis audiendos illos eſſe affirmo quàm qui præcipiti arrogantia in ipſum Dei ſpiritum inſurgunt, quum de hoc ſcripto Eccleſia contrarium ſemper ſenſerit, & ſentiendum prodiderit, vtpote quod à veteribus doctoribus & Græcis & Latinis, & quidem in ipſis cœnobiis, adhuc purioribus, accuratè ſit explanatum. Ad hæc accedit illud maximi ponderis argumentum quòd in hac ipſa coniugij allegoria manifeſtè & prolixè verſentur alia quoque ſcripta non ambiguæ fidei, & inter ſacros ac diuinos libros citra controuerſiam relata: veluti Pſalm.45. qui totus eſt huiúſce libri tanquam epitome, itidémque Eſa.62.1.6. Ierem.3. Ezech.16.& 23. Oſe.2. Mat. 25. Ioan.3.29. Rom.1.2. & 2. ad Corint.11. Præſertim verò huc ſpectat quod ſcribit Paulus Eph.5. vbi eadẽ verba adſcripta ſunt quibus vſus fuit Adam in prima coniugij inſtitutione: videlicet quòd Eccleſia ſit caro Chriſti & os ex oſſibus eius. Deniq; Dei Spiritus Apoc. 12. 21.& 22. verus eſt quodammodo huius libri interpres, huic caſtiſſimæ ſponſæ meretricem illam impuriſſimam opponens ca.17. deſcriptam. Nec etiam eſt cur moremur quorundam argutias, ideo hunc librum ex canone expungẽdum eſſe ſibi perſuadentes, quòd nullus ex eo locus in nouo teſtamento citetur. Etenim præter hæc quæ modò diximus, ſi quod eſt huius argumenti pondus,

De hoc lib. Eccleſiæ Chriſtianorum purioris iudicium.

Eandem atque hic ſequutos eſſe allegoriam, alios ſacræ ſcripturæ autores.

pari iure damnandi fuerint alij quoque veteris testamenti libri, qui tamen absque vlla controuersia inter Canonicos recensentur.

Itaque media quædam ratio nobis tenenda est, in huiusmodi scriptura explicanda: nempe vt eo demum loco ac modo, quibus decet, tractetur in Ecclesia, in qua certè Dominus nihil esse vult penitus abditum & occultum: eorum quidem quæ per Prophetas & Apostolos Ecclesiæ suæ perscripsit, vt in ea perpetuò resonent, prophanarum religionum auctores minimè imitatus, sua mysteria non immeritò occultantes, vt qui nihil magis metuant, quàm ne diuulgatis ipsorum arcanis, impostores deprehendantur. Nec aliam sanè ob causam hodie videmus, in falsa Ecclesia prohiberi sacrarum scripturarum in vernaculam linguam translatarũ lectionem: quas tamen cõstat à Prophetis & Apostolis, & ore & scriptis, communi omnibúsque noto sermone promulgatas, vt à quibusuis intelligerentur: sicut in Christo nõ est gentis, nec sexus, nec ætatis discrimen, Gal. 3. 28. Fatendum tamen est, non vbique pari genere dicendi vsum fuisse Dei spiritum: sed modò clariùs, nonnunquã etiã aliquãto obscuriùs loquutum. Sed vicissim tenendum est, quod iamdudum admonuit quidam ex veteribus, Vnius loci obscuritatem & breuitatem, perspicuitate & amplitudine alterius temperari: neque obscurè interdum loquutum esse dominum aliam ob causam, quàm vt partim in

Nulla parte sacræ scripturæ ecclesiam fraudandam.

Pontificiorũ erga suos greges iniquitas.

Scripturæ loca minus dilucida, locis clarioribus illustrari. Et cur Dei Spiritus arcana sua, modo apertius, modo obscurius proferat.

in nobis desiderium acuat, perscrutandi quæ nobis non statim patent, partim, vt eò preciosiora nobis sint eius sapientiæ mysteria, postquam scientia salutis, summo demum studio, ac diligēti lectione, & accurata locorū scripturæ collatione, sumus adepti. Hoc illud est igitur (fratres) quod nunc molior, & præstiturum me, Dei gratia, vestrísque precibus fretus, in huius libri interpretatione, spero. Quum enim Dei lumen in hac Ecclesia annis ab hnic quinquaginta affulserit, absit vt istorum vos nondum esse capaces suspicer, ac si adhuc pueri ac rudes sensibus essetis, quum potius in eorum numero censeri vos deceat, qui sicut scribit Apostolus Hebr. 5.14. sensus habent ad discretionem boni & mali exercitatos.

Cæterùm, ad eorum de quibus dicturi sumus intelligentiam, plurimum refert scire in primis, quamobrem spiritus Dei, hanc coniugij similitudinem præ cæteris seligere, & adeò sollicitè persequi voluerit, quum, vti diximus, multa impuritate, plurimísque maculis fœdatum inter homines coniugium, quāuis Domino summo suo iure nobiscum non agente, comperiatur. Enimuerò hæc illius deligendę ratio fuisse videtur, quòd nullum in rebus humanis sit arctius vinculum connubio. In cæteris enim contractibus & pactis omnibus, ex quibus nascitur obligatio, agitur tantùm de bonis huius seculi, quæ extra personas sunt: aut si in ipsum corpus ius

Quamobrē Dei Spiritus hîc, coniugij metaphoram elegerit, eámque persecutus sit.

acquiritur, vt fit in ſeruitutibus perſonarum ibi nulla eſt reciprocatio: immò quantum ex huiuſmodi obligatione vni accedit, tantundem alteri detrahitur. At in contrahendis nuptiis, præter quàm quòd intercedit ſpecialis quædam ordinatio, indiſſolubili hominibus nexu, virum & vxorem copulans: accedit etiam illud quòd mutua ac reciproca eſt perſonæ alterius erga alteram obligatio, adeò vt alter in alterius corpus ius habeat & quodammodo vnam perſonam coniunctione maritali ambo conſtituant. Prçterea effectus matrimonij, nempe humani generis propagatio, quæ eſt Eccleſiæ ſeminarium, vtique eſt quiddam diuinum potius quàm humanum: Deo, per hunc contractum, hominibus tanquam inſtrumentis quibuſdam vtente ad opus ſibi conueniens, liberos videlicet ex patribus procreando, ex quibus Eccleſiam ſuam ædificet. Etſi enim vox illa Dei, Creſcite & multiplicamini ad omnia animantia dirigitur, in quibus etiam Homines cẽſentur, tamen ſicut aliam creandi humanis generis in mare & fœmina rationem ſequutus eſt Deus, quàm in animalibus cæteris, ita ſtatuendum eſt Deo viſum eſſe humanum genus propagare propria & peculiari quadam ratione, maritali videlicet coniunctione: quam peculiariter inſtituit, & cui per ſui Spiritus inſpirationem & inuocationem ſui nominis benedixit. Itaque quũ Deo viſum eſſet nobis per Solomonẽ, myſterium illud

Matrimonium, Eccleſiæ ſeminarium.

illud quod mentium nostrarum imbecillitatem longè latéque superat, videlicet illum fidelium cum Christo Iesu spiritualem arctissimúmque nexum declarare, ex quo consortio gigneretur in animis credentium (quorũ cœtus Ecclesia est) veritatis notitia, qua demum fiat vt rectis sanctísque motibus præditus fidelis vnusquisque cum tota Ecclesia vitam illam veram viuat: nihil ad hoc nobis depingendum accommodatius & expressius deligere potuit quàm hanc sanctam coniugalem copulam: quò respiciens Petrus, verbum Dei, receptum fide ac fructificãs, admodum apposité & significanter incorruptibile semen appellauit: quò etiam tendit secunda illa generatio quæ ex Spiritu est, de qua copiosè loquutus est Dominus noster Iesus Christus cum Nicodemo Ioh. 3. Sed agè plenius rem istam totã declaremus, in qua certè magnã ex parte sita est nostræ salutis basis.

Spiritualis generatio.

Omnes ergo fatentur omne bonum à Deo manare, siue ipsum ESSE quod Deus cunctis rebus creatis indidit consideremus: siue diuersas ipsarum rerum qualitates, ac media quibus vnaquæque illarum fouetur, expẽdamus. Id quod innuit Apostolus Act. 27. 28. quum ait nos in Deo viuere, & moueri & esse: ac si diceret Deum creatorem seipsum in suas creaturas quodammodo ingerere ac insinuare, vt clarius vim ac efficaciam illam diuinam exerat, qua vnamquamque rem & cõdidit & pro ratione mensuræ ac diuturni-

Dei cum suis creaturis generalis coniunctio.

tatis ab ipso conditore constitutæ cõseruat: quãuis si propriè loqui volumus, essẽtia diuina neq; extra, neq; intra mũdum esse, dici possit, sed cuncta ratione minimè comprehensibili sic comprehẽdere, vt à nullo contineatur: verumenimuero duæ sunt præterea rationes, quibus Deus homini coniungitur, multũ ab illa de qua loquuti sumus diuersæ, & quarum effecta, maioris planè sunt momenti. Vna, qua æternus ille, & vnicus Dei Patris filius, cum humana carne sese in vnam personam vniuit, mysterio ipsis etiam Angelis inscrutabili, quo verbum illud Patris caro factum est. Ioh.14. adeò vt ab eo momento, per Altissimi virtutem hæc persona, quæ vocata est Iesus Christus Matth. 1. 16, verus Deus, verúsque simul homo extiterit, citra vllam prorsus harum duarum naturarum separationem, aut cõfusionem, aut transmutationem, quod est magnum illud pietatis mysterium, de quo Apost. 1. Timot. 3. Ex hac autem connexione pendet altera, qua fit vt omnis anima fidelis, ac consequenter tota Ecclesia, quæ inde compacta est, ipsius sponsa & vxor dicatur, spirituali ratione Iesu Christo tam arctè adhærens, vt fiat caro ex carne ipsius, & os ex ossibus eius. Non quod aut corpus IesuChristi reipsa corpora nostra ingrediatur, aut anima Christi nostras animas permeet: quod sanè nõ patitur, nec corporis, nec animæ Christi, naturæ & substantiæ veritas, sicut talis coniunctio huic mysterio,

Dei cum homine in Christi persona vnio peculiaris.

Christi cum Ecclesia arctissima copulatio.

rio, quod omnino ſpirituale eſt, atque ad vitam ſpiritualem planè contendit, nullo pacto quadrat. Sed quemadmodum anima corpori humano, cui ab ipſa natura conſociatur, vim ac vitam impertit omnibus illius membris, quæ quidem iuxta naturalem ſtructuram illi cohærent: ſic etiam Chriſtus, ſponſus ille ſpiritualis, ſuæ Eccleſiæ, vi ſui ſancti Spiritus, & humanæ ſuæ naturæ interuentu, quæ nobis eſt congener, adeò arctè ac fortiter, fide qua illum apprehēdimus media, nobis adhæret, vt nobis meliorem illam vitam inſpiret, tum in intelligentia noſtra videlicet, tum in voluntate vim ſuam exerens, inſtaurandæ illi Dei imagini, à peccato obliteratæ, vt tandem plenè participes fiamus glorioſæ illius immortalitatis, vltimo die illo, in quem perfecta & actualis cōſummatio ſancti huius ac ſpiritualis matrimonij differtur. Hinc illę familiares Apoſtolo voces, quas ab ipſomet Chriſto didicit, videlicet nos in Chriſto eſſe, Rom.8.1. Chriſtū in nobis eſſe, nóſque in ipſo, Galat.2.20. In ſanctis ſuis habitare, Io.4.23. quo etiam ſenſu, Chriſtus ſeſe cum vite, nos verò cum ipſi inſitis palmitibus fructuoſis confert, Ioh.15.1. Quinetiam corpus ipſius, idcirco vocatur cibus noſter, illiúſque ſanguis, noſter potus, Io.6. Sicut enim cibi & potus vſu, hæc vita corporea fouetur & conſeruatur, ita ex Ieſu Chriſto, ſeſe nobis eo quo diximus modo inſinuante, &, vt ita dicam, recepto, comeſo, atque adeò

Christi Spiritus, ecclesiæ anima.

velut viſceribus interioris hominis, per fidē concocto, vitam illam veram & æternam haurimus. Itaque ad huius libri auditionem cauendum eſt ne carni ſenſus illos afferamus, ſed è contrario mens à terrenis illis ac pollutis cogitationibus remota afferēda eſt, qua, exemplo Solomonis, maritum hunc, & has nuptias, & quæcunque de illis dicuntur ſanctè in animo concipiamus: memores tum eius quod ſcribit Apoſtol. 1. Cor. 6, Eos nempe qui Christo adhærent, vnum cum ipſo ſpiritum fieri: tum eorum quæ Dominus ipſe denuntiat Ioh. 3. Spiritum nimirum eum eſſe qui ſit ex Spiritu genitus.

Ab omni terrena cogitatione remotum huius libri lectorem eſſe omnino expedit.

Cæterùm vt planiùs etiam percipiamus huius cantici contextum, ſciendum eſt illum dialogiſmum conſtare ſermocinationibus plurium interrogantium, ac inter ſe mira quadam arte reſponſantium. Sponſa quippe interdum ad alias puellas ſermonem dirigit: mox ſponſus ſuis comitatus gregalibus ac amicis inducitur, more planè ſponſalibus ac nuptiis noſtratibus, quæ quidem rite ac decenter peraguntur, conſentaneo. Sponſa cœtum credentium refert (qui Eccleſia eſt) vnicæ perſonæ inſtar, prout vniuerſo credētium gregi cor vnicum, & anima vnica tribuitur Act. 4. 32. Ex hoc tamen cœtu quoniam Solomon vnam quandam omnium nomine loquentem producit, & facilè eſt animaduertere diſtinctionem ab ipſo ſeruari inter hanc quæ veluti regina ac domina loquitur & Hierosoly-

Quæ hoc in dialogo inducantur perſonæ: & totius libri argumentū.

Sponſa fidelium cœtum referens.

rosolymitanas cæteras, quod etiam obseruatum est Psal. 45. Per alias illas puellas intelligere nobis licet, tum eos qui nomine tenus potius quàm re in Ecclesia versantur, tum illos qui ex Ecclesia quidem sunt, sed adhuc tenelli & inexercitati, tanquam infantuli matrem suam sectantur, quam instar reginæ virginum ac pedissequarum agmen comitatur. Porrò Sponsus est ipse Dominus noster Iesus Christus, cuius amicos in primis interpretamur in hac sponsalium celebritate, beatos spiritus quorum opera semper ille vsus est, vtitúrq; ad suę Ecclesię structuram: quod Psal. 34, & Heb. 1. passim denique in tota sacra scriptura indicatur, mirificis cum ipsorum ministerij effectis. His autem præcipuè adiungendi sunt illi templi architecti, nempe Prophetæ, & Apostoli Ephe. 2. & Apoc. 21. denique pastores & doctores qui sedulò operam nauant ornandæ diuinæ huic sponsæ, vt inquit Apost. 2. Corint. 11. & coagmentando sanctorum corpori Eph. 4. Præterea notandum est, quemadmodum in cōtrahendis terrenis nuptiis, tribus veluti gradibus proceditur: primùm per stipulationem qua propriè sese despōsant vir & mulier, vnde sponsaliorum, sponsi & sponsæ appellationes ductæ. Deinde solenni celebratione nuptiarum quo die iam nuptę dicuntur: ac tandem consummatione, qua peracta, mariti demum & vxoris nuncupationes vsurpantur. Ita in hoc matrimomio spirituali, Dei Filius primum

Sponsæ omnium asseclarū non eosdem esse affectus.

Sponsus ipse Christus est.

Sponsi amici sponsam deducentes & exornantes, qui?

Christi ad Ecclesiam appulsus apposita similitudine descripti.

Ecclesiam suam veluti desponsauit, illa promissione Adamo facta de mulieris semine, serpentis caput contrituro: quam denuò Abrahamo, Isaaco, & Iacobo confirmauit. Dehinc vlteriùs progressus, instituit sacerdotiũ, ac sacrificia Leuitica, aliásque vmbras Euangelicarum promissionũ, quarum res ac substantia, in Christo erat, Col. 2. quo tempore, nuptias quidem dici posse videtur quodammodo celebrasse cum sua sponsa, sed absens, ac veluti per legatos. Hinc illud est quòd hęc Sponsa huius dialogismi initio à Solomone inducitur, mirè incensa desidrio & expectatione, suum illum sponsum præsentem ac proximum intuendi. Is verò postquam multis modis, certissimísque sui erga illam amoris argumentis, eam confirmauit atque consolatus est, tandem sese coràm sistit, in illius conspectum, sic nimirum prædicente Solomone, diuino afflatus Spiritu; Filij Dei sequuturam tandem in carne manifestationem, & realem in media sua Ecclesia conuersationem, sed tamen haud diuturnam: complemento huius sanctissimi ac diuinissimi coniugij, in vltimũ illum diem dilato, quum celebrabitur in cœlis, erítque Deus omnia in omnibus. 1. Cor. 15. & reipsa apparebit, quid sit Ecclesia: quæ ipsum qualis est intuebitur 1. Ioh. 2. & 3. Ad hunc igitur præsentaneum sponsi aduentum duplicem, diem illum, inquam, & hunc secundum: sponsa miro affectu animum intendit, quod Mat. 13. & 1. Pet. 1, ex-

Perpetua Sponsæ intentio.

explicatur de veterum Prophetarum desideriis, expressiùs verò & clariùs Pauli exemplo declaratur, cupientis dissolui & iam esse cum Christo, Philip.1. Cuius exẽplo, solicitè cuncti fideles quotidie precantur vt Dei regnum adueniat, idq; cum gemitibus inenarrabilibus, Rom.8. Interim verò euenturas Ecclesiæ afflictiones, & persecutiones à suismet alumnis excitandas, nequaquam præterit Solomon: quinimò & gentium vocationem attingit, adhibitis saluberrimis & solidissimis solatiis, & nouis ac sæpius iteratis promissionibus: iisque certissimis collatis, denique plurimis maximísq; spiritualibus beneficiis, id est, totidem illius secundi sui cum summa gloria aduẽtus pignoribus, illius desiderium solatur.

Canticum canticorum ob excellentiam.

Hæc est igitur summa, hoc, inquam, argumentum huius Cantici: quod Canticorum Cãticum appellat, quoniam inter cetera, quæ in sanctis scripturis leguntur, plurimùm excellat (tantum abest vt sit à nobis repudiandum) vel quòd ex pluribus, ac diuersarũ personarum interloquiis constet. Denique ne quis sit huius cantici scriptor ambigereteur, Solomonis nomen illi adscriptum est: Solomonis, inquam, non delirantis, sed illud ex verè diuina sapientia depromentis, cuius abundantia tunc redundabat. Ipsius autem sequuto lapsu turpissimo, admonemur Deũ esse nobis precandum vt cum fructu, sacrum

Solomon cãtici huius scriptor haud ambiguus.

hoc Canticum legamus, &, superato hac in re ipso Solomone, illud conseruare in cordibus nostris diligenti cura valeamus, quæ illi misero exciderunt: nisi malimus coniectare scriptum hoc canticum à Solomone iam sene, & spiritu resipiscentiæ donato, vt & Ecclesiasten: licet de ipsius seria resipiscentia taceat scriptura, & ipsius idolomaniam constet multis etiam post eum seculis viguisse.

Trium Solomonis librorum ad suorum institutionē ordinata dispositio.

Sed agè, hoc omisso, de quo nobis non liquet, librorum Solomonis seriē potius consideremus. Dico igitur Prouerbiorum libro Solomonem homines docere vitę huius terrenæ ducendæ certissimam rationem, ídque documentis adeò familiatibus, vt præceptoris in scola discipulos suos priuatim instituentis vices quàm optimè præstiterit. In Ecclesiaste verò nos tanquam ex humili planitie in altissimum mōtem prouehit, vnde velut ex sublimi specula, anfractus illos varios, & multiplicia diuerticula prospectātes, quibus omne mortaliū genus oberrans seipsum seducit, præeunte nobis inter hæc diuortia Solomone, & rectum iter demonstrāte, quo sit nobis incedendum, ne ad huius seculi vanitates delabamur: sed huius potius vitæ curriculum sic conficiamus, vt hoc velut itinere ad fœlicitatem æternùm duraturā perueniamus. Idē denique Solomon in hoc demum Cantico ita institutos & prouectos, tandem velut supra nubes ipsas secum abripit ad cœlestium rerum contemplationem,

ac si iam nunc cœli ciues essent, aut saltem ad ipsas iam cœlorum fores pulsarent, eò intromitti gestientes. Hæc autem omnia sunt, vt iam pridem à quodam ex veteribus obseruatum est, ad Templi Dominici ab ipso Solomone constructi, tripartitā distinctionem allegoricè, admodum eleganter & scitè accommodata. Erat enim ibi in primis area siue atrium, in quod populus conueniebat, cui parti respondet liber Prouerbiorum: Inde verò demum in locum Sanctum solis sacerdotibus patentem, ac tandem in Sanctū sanctorū siue sanctuariū ibatur, soli Pontifici Maximo peruiū. Sic igitur libro Prouerbiorum velut ab atrio communis hominū vitæ, videtur Ecclesia per Ecclesiasten ad Sācti loci aditū introduci, vbi ab hoc Cantico Canticorum excepta, hinc tandem ad ingressum in ipsum aditum sensim progreditur, vestigia sui Sponsi, æterníque summi sacerdotis Iesu Christi premens, in hoc sacrarium prioris ingressi Heb. 9, vt illuc quoque nobis accessus pateret, ibíque domicilium suæ sponsę pararet. Ioh. 14. ibidem suo tēpore recipiendæ, sicut ipse Deum Patrem est deprecatus Ioh. 17.

Structura templi veteris allegorica distinctio.

Iam superesset vt ad contextum ipsum veniamus, quod tamen in præsentia nō aggrediemur. Agedum verò ista quæ dicta sunt in vsum nostrum accommodemus, illum precati qui pro immensa sua benignitate, nobis hoc ingens beneficium præstat, vt in ipsius

Exhortatio ad vtilitatē ex hac expositione captandam.

Ecclesia procul ab immunditiis, & à tot ac tantis idololatriis ac superstitionibus immunes versemur, vt nobis largiatur sancti sui Spiritus virtutem, qua tum audire, tum rectè comprehendere possimus sanctam illius doctrinam, nobis tam abundanter domi ipsius id est in Ecclesia præbitam: qua freti in dies magis ac magis in illius timore proficiamus, animo complectentes eius immensæ misericordiæ abyssum, qua, pro eo quod merebamur quàm longissimè proiici, dignatus est nostras sordes eluere, vt nos sibi tanquam virginem castam ac pudicam consecraret. Absit igitur vt tantam illius erga nos beneficentiam aspernati, sanctum ipsius purificationis Spiritum contristemus. Contra verò potiùs faxit ille vt opus suum in nobis quàm potentissimè, ex fide in fidem progredientibus, perficiatur, interim dum vigilantes & intentis sursum animis secundum eius aduentum expectamus: quo demum tempore gloria illa sempiterna & inenarrabili, quam ipse nos hodie sperare iubet, plenè perfruemur. Amen.

Hanc sequuti doctrinam, precemur illum, vt nostri misereatur, Hac formula.

DEus omnipotés, Pater cœlestis, agnoscimus & ingenuè profitemur, quod & verum est, indignos esse nos qui in cœlum oculos attollamus, vt coram te nos sistamus: nec tantum debere nobis arrogare vt exauditum à te iri preces nostras speremus, si eorũ quæ tibi afferimus rationem habeas. A propriis enim accusa-

cusamur conscientiis, nostráque peccata aduersum nos testimonium ferũt: te verò iustum esse iudicem nouimus, qui peccatores & nequam homines non iustifices, sed in eos animaduertas qui tua mandata violauerint. Hinc fit, Domine, vt dum totius vitæ nostræ statum reputamus, nostri nosmet pudeat, nec aliud quam animum despondere possimus, perinde acsi iam in abyssum mortis demergeremur. Verumtamen, Domine, quum pro tua immensa misericordia dignatus sis nobis imperare vt te inuocemus, ídque vel ex intimis inferis; & quo magis viribus destitui nos videmus, tãto magis ad tuam summam bonitatem confugiamus: quum præterea pollicitus sis nobis te precibus nostris fore exorabilem, in nomine Domini nostri Iesu Christi, (quem nobis aduocatum & intercessorem constituisti) eiúsque merito: non autem spectãtem, quid meriti simus: ecce, omni humanæ fiduciæ renuntiantes tuáque sola bonitate freti, in conspectum tuum prodire tuúmque sanctum nomen ad obtinendam misericordiam inuocare non dubitamus.

Primùm Domine, præter infinita beneficia, quę assiduè in reliquos quoque homines quotquot terra sustinet confers, peculiariter etiam nobis tot gratiæ dona impertiuisti vt ea recensere nequeamus, imò verò ne mente quidem satis complecti possimus. Hoc verò singulare, quòd ad notitiam sancti tui Euangelij vocare nos dignatus sis. miserabile quo nos Diabolus premebat seruitutis iugum excutiens, & ab execranda idololatria vanísque superstitionibus quibus immersi eramus, liberatos ad lumen veritatis tuæ adduxeris. Nihilominus tamen (quæ nostra est ingratitudo) obliti bonorum quæ manus tua nobis largita est, a recta via declinauimus, & te relicto carnis nostræ concupiscentias sequuti sumus. Quinetiam sanctum tuum verbum debita reuerentia atque obediẽtia fraudauimus, nec tuum nomen quibus decebat præconiis prosequuti sumus. Et quamuis assiduè fidelibus verbi tui admonitionibus aures nostræ personuerint, eas tamen negleximus. Peccauimus itaque Domine, téque offendi-

mus:ideóque pudore suffundimur,nos grauium scelerum apud tuum iudicium reos esse agnoscentes: adeo vt si dignas nobis pœnas infligere velis, aliud quàm mortem & damnationem expectare nequeamus.Nam si nos excusare velimus, at nostræ ipsorum conscientiæ nos accusant,nostráque nequitia tuis oculis ad nos condemnandos patet.Ac profectò reipsa,Domine, ex castigationibus quas iam nobis immisisti,te iustissimis de causis aduersus nos excanduisse cognoscimus.Quũ enim æquus sis iudex, tuos non immerentes affligis. Tuis igitur verberibus cæsi tuam aduersus nosipsos iram prouocasse agnoscimus.Sed & nunc manum tuam ad nos puniendos extentam videmus.Gladii enim quibus ad exigendam vltionem vti soles, stricti nũc sunt: & ea quæ peccatoribus sceleratísque hominibus minitari consueuisti,parata esse cernimus.

Quamuis autem multo etiam grauiores quam anteá de nobis pœnas sumeres, atque adeo plagas centuplo plures infligeres, adeóque horrendæ illæ clades,quibus olim peccata populi tui Israëlitici castigasti, nobis ingruerent, nos illis dignos esse, ac sceleribus nostris promeruisse confitemur.Sed enim,Domine,tu Pater es noster,nos aliud nihil quàm terra & lutum:tu Creator es noster, nos tuarum manuũ opera: tu nobis Pastor es,nos tibi ouile sumus: tu noster es Redẽptor, nos populus abs te redemptus:noster es Deus, nos hæreditas tua. Ideo ne ita irascaris nobis vt in furore tuo nos castiges:ne recorderis nequitiæ nostræ ad eam puniendam,sed pro tua clemẽtia nos leniter castiga. Accensa quidem est aduersus nos ira tua,propter peccata quæ commisimus:sed nomẽ tuum inuocari super nos, tuámque nos tesseram gestare memineris. Conserua potiùs opus quod gratia tua in nobis inchoasti, vt te nostrum esse Deum & seruatorem totus orbis agnoscat. Hoc certè nosti,mortuos qui apud inferos sunt,& quos perdideris ac funditus profligaueris,te nequaquam esse laudaturos, sed tristes & omni consolatione destitutas animas,corda contrita, conscientias sensu culpæ suæ oppressas,tuæque gratiæ fauorem sitientes,gloria

&

& honore te affecturas. Tuus Israeliticus populus flagitiis tuam sæpe iram prouocauit, túque eum, iusto tuo iudicio, affixisti: verùm quoties ad te conuersus est, semper illi ad tuam clementiam aditus patuit: & quantumuis grauia essent eius scelera, tamen propter fœdus quod cum seruis tuis, Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, inieras, flagella tua & clades quæ illis imminebant auertisti: adeo vt nunquam preces eorum repulsā apud te passæ sint. Atqui nos præstantiore fœdere dignatus es, quo apud te niti possumus: eo nimirum quod pepigisti in Iesu Christi Seruatoris nostri dextera, quódque sanguine eius scribi, & eiusdem morte obsignari voluisti. Quapropter, Domine, nobisipsis renuntiantes, omnique alia spe valere iussa, ad faustum hoc fœdus confugimus, quo Dominus noster Iesus Christus corpus suum tibi in sacrificium offerens, nos tibi reconciliauit. Intuere igitur Domine in Christi tui faciem, non in nostram, vt eius intercessione ira tua placetur, faciésque tua super nos ad gaudium & salutem refulgeat: ac nos posthac tuo Spiritu sancto regendos & gubernandos suscipias, qui nos in meliorem vitam regeneret, per quam *Nomen tuum sanctificetur, veniat regnum tuum: fiat voluntas tua, quemadmodum in cælo, sic etiam in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & remitte nobis peccata nostra. etenim ipsi remittimus omnibus qui debent nobis. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula. Amen.*

Quamuis autem indigni simus qui pro nobismet ipsis os aperiamus, & te in rebus aduersis inuocemus, quum tamen mandaueris vt alij pro aliis precaremur, nos pro omnibus fratribus, eiusdem corporis mēbris, quos nunc tuis flagellis castigas, preces tibi fundimus, & vt iram tuam ab illis auertas obsecramus: nominatim verò pro N. & N. Memineris Domine, eos quoq; filios tuos esse, sicut & nos: atque ideò, quamuis te offenderint, ne tamen bonitatis tuæ & misericordiæ erga eos cursum interrumpas, quam perpetuam erga tuos omnes fideles fore promisisti. Tuas igitur omnes Ec-

clesias oculo tuæ clementiæ intueri digneris, omnésq; populos, quos nunc, aut peste, aut bello, aut alio flagelli genere cædis, & singulos homines qui verbera tua sentiunt: qui videlicet carcere cōstricti sunt, morbóue aut pauperie afflictantur: cōsolationémque omnibus, prout illis opus ea esse cognoscis, afferens, & castigationes tuas ad vitæ emendationem illis vtiles reddēs, patientia eos instruere, seueritatíque tuæ moderari, ac tandem eos liberando, plenam illis materiam exultādi in tua bonitate, sanctúmque tuum nomen benedicēdi præbere digneris. Præcipuè verò in eos qui pro tua veritate decertant oculos conuertere velis & publicè & priuatim, vt inuicta eos constantia robores, tueris eos, & vbique opituleris, omnes hostiū illorū tuorúmque technas & machinas irritas reddens, furorē eorum refrænans, omnes eorum conatus ignominiæ damnans. Neque Christianismum omnino deploratum esse permittas, ne memoriā nominis tui in terris penitus aboleri sinas: ne eos super quos nomen tuum inuocari permisisti, luctuoso interitu obrui patiaris: ne Turcæ, Ethnici, Barbari, Papistæ aliique infideles nomini tuo cum blasphemiis insultent.

Tibi igitur preces fundimus, Pater cœlestis, pro omnibus Principibus & magistratibus quorum ministerio ad nos gubernandos vteris. Potissimum verò pro huius vrbis præfectis: vt Spiritum tuum, qui solus bonus est & verè principalis, impertiri illis atque in dies augere digneris: adeo vt Iesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum, dominatorem dominatorum regémque regum esse certò persuasum habētes, quemadmodum tu illum omni potestate in cœlo & in terra donauisti, ita & ipsi in suo principatu cultum illius & regni eius amplificationem sibi ante omnia proponant, suos subditos (qui sunt manuum tuarum opificia, & pascuorum tuorum oues) pro tuo arbitrio gubernantes: vt & hîc, & in alia quauis orbis terrarum parte, pace stabili fruentes, te cum omni sanctimonia & puritate colamus: metúque hostium nostrorum liberati, materiam celebrandæ tuæ laudis toto

vitæ

vitæ nostræ tempore habeamus.

Deinde Precibus nostris tibi commendamus, Pater verax & Seruator, omnes quotquot fidelibus tuis pastores constituisti, quorum etiam tutelæ animas commisisti: quos denique sacrosancti tui Euangelii dispensatores esse voluisti: vt eos sancto tuo Spiritu regas, quò probi fidelesque gloriæ tuæ ministri comperiantur: huc studium omne conferentes, conatúsque suos dirigentes, vt omnes miseræ oues, quæ adhuc sunt errabundæ, recolligantur, & ad Iesum Christum Dominum nostrum, præcipuum pastorem, & episcoporum principem, reducantur: vt in dies maius iustitiæ & sanctimoniæ incrementum in eo accipiãt. Interea autem omnes tuas Ecclesias è faucibus rapacium luporum eripere & ab omnibus mercenariis liberare digneris, qui gloriæ tantùm aut lucri cupiditate ducuntur, de tui nominis illustratione tuíque gregis salute nihil planè solliciti.

Insuper tibi preces nostras offerimus, Deus clementissime & Pater summè misericors, pro omnibus in vniuersum hominibus: vt quemadmodum totius humani generis agnosci vis Seruator, per redẽptionem à Iesu Christo Filio tuo præstitam, ita ii qui adhuc ab illius notitia sunt alieni, tenebrísque immersi & ab erroribus ac ignorantia tenentur captiui, affulgente illis sancto tuo Spiritu, tuóque Euangelio auribus illorum insonante, ad rectam salutis reducantur viam: quæ in eo sita est vt agnoscamus te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Rogamus & vt illi quos iam gratiæ tuæ fauore dignatus es, quorúmque mentibus per cognitionem verbi tui illuxisti, quotidie in melius proficiant, spiritualibus tuis benedictionibus ditati: vt simul omnes vno & corde & ore te adoremus, Christúmque tuum, Dominum nostrum, regem & legislatorem, honore debito prosequamur, ac iusto obsequio colamus.

Precemur etiam illum vt fidem in nobis adaugere velit, cuius & corde & ore confeſſionem edemus, dicentes.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ. Et in Ieſum Chriſtum eius Filium Dominum noſtrum. Conceptum de Spiritu ſancto, natum ex Maria virgine. Supplicio affectum à Pontio Pilato, cruci ſuffixum, mortuum, & ſepultum. Qui deſcēdit ad inferos. Tertio pòſt die reſurrexit ex mortuis. Aſcendit ad cælos, ſedet à dextris Dei Patris omnipotentis, inde venturus vt iudicet viuos & mortuos.

Credo in Spiritum ſanctum. Sāctam Eccleſiam vniuerſalem. Communionē ſanctorum. Remiſsionem peccatorum. Carnis reſurrectionem. Vitam æternam, Amen.

Sequitur ordinarij Pſalmi decantatio, qua abſoluta, Miniſter populo diſceſſuro Benedictionem hanc precatur, ex Num. 16. deſumptam.

Benedicat vobis Dominus, vóſque ſeruet incolumes. Dominus vos ſpenldore vultus ſui illuſtret, vobiſque ſit propitius. Conuertat Dominus faciem ſuā ad vos, & omnia proſpera vobis largiatur. Amen.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA SECVNDA.

Auxilium nostrum sit à Domino, &c.

Quod sequitur extat in Cap.1.vers.2.

2 Osculetur me osculis oris sui.

SVperiore cōcione diximus, breuibus ad quem scopum dirigenda sint quæcunque in hoc cantico continentur, & quænam hinc sit nobis doctrina, velut ex limpidissimo fonte hauriēda, nēpe quod ita nos degere in hoc mūdo oporteat, vt mūdani neutiquam cēseamur: quin potius mente & cogitatione in cœlos vsque abrepti Phil. 3. 20. sic vtamur iis quę hîc in sensus nostros incidūt, vt cuncta ad Dei gloriam, atque adeò ad hāc felicissimam coniunctionem, ad quam enitimur, referamus: ad perfectam, inquam, fruitionem Domini nostri Iesu Christi, quam is nobis à Patre postulauit & obtinuit. Ioh.17. 24, & cuius nunc spiritum arrabonem habemus, 2.Corinth.5.5. Donec Deus sit omnia in omnibus filiis suis.1.Cor.15.28. Hoc igitur illud est, quod hîc nobis sub persona Ecclesiæ, quæ ex cunctis veris fidelibus cogitur, propositū est. Licet enim in terris quodammodo reptent, iam nunc tamen cœlos affectu & votis occupāt, haud secus ac Sponsa nuptiarum diem sollicitè expetens: qua quidem cu-

Certus huius operis scopus

ra maximè nos angi quotidie æquum est: à Deo petentes vt nomen illius sanctificetur, & regnum ipsius adueniat. Etenim ne ipsam quidem salutem nostrã nobis pro votorum nostrorum vltimo fine proponere nos decet, verùm ad ipsius Dei gloriam vsque respiciẽdum nobis est, ad quam admonet Apostolus vt cuncta nostra tanquam ad vltimum electionis nostrę terminum dirigamus, Eph. 1.6, & 1. Cor. 10.31. Interea verò non præterit Solomõ ærumnas quibus Ecclesia obnoxia est, exercendáque sunt singula ipsius membra, quoad suo desiderio potiantur: sed ita vt iis alleuandis, Sponsus è cœlis ad consummationem vsq; seculi manus ei porrigat, suámque Sponsam miris modis soletur, suo tempore, in suos amplexus illã euocaturus Matt. 28.20, & Ioh. 14 18, iam nunc in nobis gemitus illos ciens inenarrabiles, nũquam à Deo neglectos, Rom. 8.16.

Animam fidelem ad Dei gloriam præcipuè collimare: extremum videlicet electionis nostræ terminum.

Cæterùm in hoc exordio, quatuor sunt præcipuè & sigillatim nobis obseruanda. Vnum, quænam persona hic loquatur: diximus enim superiore concione, plures personas in hoc cantico induci. Deinde, ad quem isti sermones dirigantur. Tertiò, considerandum est quid à postulante petatur. Postremùm, quomodo, quóue sensu istud postuletur. Vt duo igitur priora ex istis simul absoluamus, Sponsa est, quæ hîc Sponsum suum compellat. Nam quod veluti de absẽte quopiam loquens. *Deosculetur me*, inquit, nõ autem,

tem, *Deosculare me*, ita fert idioma Hebrææ linguæ, qua scripsit Solomon. Nec propterea existimandũ est, ad alium, quàm ad Spõsum, eúmque præsentem, orationem hanc dirigi.

Quod autem illa prior Sponsum compellat, id quidem videri posset omnino à virgineo pudore alienum, nullóque pacto illibatæ castitati conueniens, quandoquidem in nuptiis ea qua decet honestate cõtrahendis, omnium gẽtium moribus receptum est, vt puella prius à proco ipsam ambiente interpelletur. Attamen nihil est in hoc sermone præposterè dictum aut factum: immò in hoc spirituali contractu, verè iuxta Sponsaliorum optimas leges, sese gerit quælibet anima fidelis. Quanuis enim hic Sponsa præoccupare videatur Sponsum, illius nimirum amore accẽsa, haud secus ac Cerua illa cupidissimè refrigerium aquarum expetit, Psalm. 42. absit tamen vt desiderium, quod fecit vt in hunc sermonem erumperet, ab ipsa priore exortum cẽseamus. Etenim Sponsus haud dubiè is est, qui prior eam interiùs alloquutus, istos in ipsius mente motus excitauit, & huc eam impulit, vt tanto ardore Sponsum quæreret, ac sectaretur: quod innuit Propheta, Psal. 116, Credidi, inquiens, id est, fidẽ in Deum habui, ideo loquutus sum: sicut Rom. 10. 10, scriptum est, Corde nos credere ad iustitiam, ac demum ore confiteri ad salutem. Et certè, ex Ezechielis cap. 16. Vbi huius coniugij primordia exponuntur, satis con-

ſtat, cauſam ſponſo non præbuiſſe priorem, Sponſam, vt quę illic ſub imagine repræſentetur miſeræ puellæ, recens ex vtero matris eductæ, ſanguine penitus adhuc conſpurcatæ, & in ſordibus iacentis: quod apertè Paulus, nullóque velamine explicat, miſera nos vocãs cadauera: & quidem in peccatis mortua, Eph. 2. 1. Quare fateantur oportet, etiam iuſtiſſimi quique, Deum immenſo nos amore ſuo anteuertiſſe, ideóque abluiſſe, Apoc. 1. 5. Ioh. 4. 10, electos nimirum, non in nobis, ſeu quòd eſſet noſtrę alicuius dignitatis præſcius: prout nec vlla vi noſtra, facti creatíue fuimus, Pſal. 95. ſed in illo ſuo dilecto, neque eò quòd iam ſancti eſſemus, ſed vt ſancti fieremus, Eph. 1. 4.

Tanti beneficij in mortales collati exempla.

Exempla requiritis? Abrahamus Dominum quidem ſequutus eſt, ſed ex idololatria eductus diuinitus, in qua cum cæteris immerſus erat, Ioſ. 24. 2. Iſaac filius quidem eſt Abrahami ſed ex vi promiſſionis, quam pater Abrahamus fide fuerat amplexus, ideóque præter leges naturæ cõmunes genitus, Gen. 18. 13. Rom. 4. 2. Dei enim fuit liberos Abrahamo ſuſcitare, & ex iis Eccleſiam conſtituere: Abrahami verò, neutiquã, vt Deo familiam daret, ex qua Eccleſiam colligeret. Iacobus benedictionis hæres fuit, eò quod, Deus illum vltrò, repudiato Eſauo, dilexerit, Gen. 25. 23, & Malach. 1. 2. Moſes populum in libertatem aſſeruit, ſed ad hoc exequendum opus penè inuitus extruſus, Exod. 3. 11. Populus introdu-

troductus est in terram Canaan, sed renitẽs, & vi pertractus. Loquuti sunt Prophetæ, sed Spiritu Dei superueniente. Apostoli Iesum Christum sequuti sunt, sed tũc vocati, quum rebus suis, suæ videlicet piscaturæ, penitus essent intenti. Paulus singulari Dei beneficio, quum blasphemus, & Ecclesiæ Dei destructor esset, factus est vas electum. 1. Timo. 1. Deniq; ne tam procul ista petamus, ecquis nostrûm, qui ex omnibus ferè Europę regionibus in hanc Ecclesiam conuenimus, in seipsum inquirens, ausit iactare, quod prior Deum agnouerit, vel etiam compellarit: ac nõ potius ingenuè fateatur, quod Dominus Esa. 65. 1. loquens, Feci vt inuenirer, inquit, ab iis qui me minimè quærebant? Ecquis enim illi prior dedit? Rom. 11. 35. quũ ne minimam quidem de Deo cogitationem, animos nostros subire, tanquam ex nobis, sit certo certius. 2. Cor. 3. 5. Itaque vt ad rẽ regrediamur, hîc quidem prior apertè loquitur Sponsa, sed quia illam haud dubiè prius Dominus internè vellicarat: rectè propterea precante Dauide, Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Tracta est denique à Patre, Io. 6. 44. vt obturetur os vnicuique, & tribuatur gloria Deo, qui vnus est gratis, & principium & medium, & consummatio nostræ salutis. Quomodo enim suspirata Sponsa ad Sponsum, nisi se ab illo diligi firmissimè crederet? fide, inquam, quæ nõ ex nobis, sed à Deo est, Eph. 2. 8. quia nobis datur

vt credamus, Phil. 1. 29.

Amor reciprocus Sponsæ in Sponsum sicut ab eo nascitur quod Sponsus Sponsam diligit, sic ab eo nunquam separari potest.

Sed hic præterea meminerimus oportet eius quod de suo in Deum amore reciproco sponsa nobis testatur: Illam videlicet dilectionem Dei erga nos, aliam in nobis dilectionem parere, qua Deum redamamus, & fratres quoque mutuò se diligunt. Io. 3. 10. & 4. 20. quæ duo vsque adeò sunt inter se cõnexa vt disiungi nulla ratione possint. Hinc enim manifestum est nos esse filios Dei, quòd eum diligamus: & hanc rursum dilectionem testatur altera illa qua nos inter nos amamus, sicut accuratissimè nos monet Christus illa diuinissima concione, quam postremam habuit ad discipulos suos, quum ad mortem properaret: quod etiam subinde à dilectissimo illo discipulo prima ipsius Epistola catholica inculcatur. Sic quoque Dominus Luc. 7. 47. de illa muliere antea peccatrice loquens, dilexit, inquit, multùm: ex quo colligit multa illi peccata fuisse condonata. Quid nos igitur magis optare & curare decet, tot tantisque beneficijs per Dei misericordiam cumulatos, quàm vt his monitis obsequuti, & verè ad Deum cõuersi, tum illum diligendo, tum nos mutua charitate complectendo, verè nos esse ex eorum numero testificemur, quos ipse tantopere & tam seriò dilexit.

Quid per osculum Spõsi intelligat Sponsa.

Sed in primis dispicere operæpretium est quidnam sponsa petat, quod tertio loco animaduertendũ docuimus. Ditissimus quidem ac liberalissimus est is ad quem illa suspirat, cun-

cunctæque tum præſentis tum futuræ vitæ benedictiones ſitæ ſunt in ipſius vnius poteſtate. Sed illa nihil præter oſculũ, oſculum inquã, oris Spõſi non temerè efflagitat. Neq; cauſa eſt, cur tantam hãc familiaritatem miremur, nec enim hæc Sponſa, quæ Dei Eccleſia eſt, Spiritum timoris ex legis damnatione accepit, Rom.8.15. ſed ſanctã illam fiduciam quæ nos ad thronum vſque gratiæ impellit, Hebr.4.16, non quidem aliqua noſtra dignitate fretos, ſed pia confidentia in eo repoſita qui pax noſtra eſt, Eph.2.15. id atteſtante Spiritu ipſius in cordibus noſtris, vt qui clamet Abba, id eſt Pater, adeò vt etiam palàm fiat quod inquit Matth.11. 12. regnum Dei à violentis rapi: Deo ipſo veluti ſponte nobis cedente & in hac manifeſta lucta ſeſe vinci à ſuo Iſraele ſinẽte, ſicut in Iacobi hiſtoria ſcribitur Gen.32.

Pia fidelis animæ confidentia ex Spiritu dilectionis.

Quod ad oſculum autem attinet, alludit ad mores paſſim omníque tẽpore vſitatos, quibus homines decentibus quibuſdam ritibus mutuam beneuolentiam demonſtrant: variè tamen, ac pro cuiuſlibet gentis more & arbitrio. Sic in his regionibus conſuetum eſſe videmus caput aperire, corpus inclinare, & procidere in pectus honoris atque amicitiæ ergo, talíque geſtu ſeſe quodammodo alios aliis ſummittere: dextras etiam, alter alteri dare ſolemus, eo teſtantes paratos eſſe nos, facultates noſtras, atque adeò cor ipſum amicis tradere: ſed inter cætera, ciuſmodi ne-

Vetus mos ſeſe mutuò oſculandi quid deſignarit.

ſcio quid ſingulare obtinet exoſculatio. Quũ enim vita in reſpiratione ſita ſit, & ore Spiritus meet ac remeet, os ori admouere, eſt velúti ſignum, nos libenter animam pene ipſam in amicum, ſi fieri poſſet, inſinuaturos. Qui mos ab omni æuo obtinuit, præſertim apud Orıẽtales populos, & quidem in primis iam olim, inter populum Dei, atque adeò in Eccleſia Chriſtiana vetere, tũ Orientis, tũ Occidẽtis, vt apparet ex Rom. 16. 16, & 1. Pet. 5. 14. & aliis Apoſtolicarum Epiſtolarum locis.

Sanctorum rituum ineptæ imitationes inter Pontificios.

Sed & nunc quoque mos iſte, quod ad externã ceremoniam à monachis obſeruatur: & huius ritus imago quædam eſt, id quod in Papiſticis miſſis canoris, pacem vocãt: quam deoſculandam ſingulis præbẽt, ſubmota interim ſacræ cœnæ communione, ad quam, huiuſmodi oſculis, ſeſe fideles olim, tanquam veræ concordiæ & charitatis ſymbolo, comparabant. Verùm huic conſuetudini vſuuenit, quod multis aliis antiquis, & ſuo tempore minimè inutilibus inſtitutis: nempe vt tot corruptelis fœdata ſint, atque conſpurcata oſcula: vt vix ac ne vix quidem mos ille, purè & ſanctè poſſit, in Eccleſiaſticis cõuentibus in vſum reuocari. At auguſtiſſima puriſſimáque ſunt hæc oſcula, quæ ab hac Spõſa flagitantur, immò iis quoque infinitè caſtiora, quę vel moderatiſſimus vllus maritus, vxori quantumlibet venerandæ vnquam libarit. Caſtiora, inquam, ſunt, quàm quæ vllo æuo vſurpari inter homines potuerint, merè nimi-

nimirum ſpiritualia ſunt, & illuſtre ac certiſſimum, ſperatæ illius ſuæ futuræ cum ſponſo coniunctionis, pignus, qualia Spiritus ſanctus monet, vt viciſſim Spóſo prębeat Sponſa, Pſal. 2. 13.

Cur Oſcula poſtulans Sponſa, diſertè oris vocabulum exprimat, ratio prima, initium fæderis reſpiciens.

At cur, inquies, diſertè oris illius oſcula Sponſa poſtulat, quum nō niſi ore præbeantur? Sciendum eſt igitur, hoc oſculo nobis myſticè ſignificari, in primis ordinariam illā rationem, qua Deus ſeipſum cū Eccleſia ſua copulat, quæ eſt verbi Diuini prædicatio, cū vi & efficacitate ſancti Spiritus coniuncta. Huius autem myſticæ ſignificationis analogia, ex eo conſtat, quòd os ſit illud verbi organum, quod propterea Dei potentia, ad ſalutem cuiuis credenti, ab Apoſtolo Rom. 1. 16. nuncupatur, & incorruptibile ſemen Eccleſiæ dicitur, 1. Pet. 1. 25. quamuis tota illa efficacia, propriè Spiritui Dei competat, Io. 3. 8.

Ratio altera ſub Abrahamo vſque ad Legem.

Sed præterea, quum accuratiùs iſtud conſiderantibus, conſtet ſponſam iſtā nunquam fuiſſe verbo deſtitutam, (nuſquam enim abſque verbo extiterit vnquam Eccleſia) manifeſtum eſt, aliquid hîc amplius Spōſam à ſuo Sponſo requirere: ac ſi diceret, hactenus, mi Sponſe, literis & internuntiis à te ſalutata & deoſculata ſum, ſed iam teipſum cupio & repoſco, alioqui nequaquam mihi ſatisfactum puto. Itaque ab ipſo quidem mundi exordio, Dominus Seruatórque noſter, ſibi ſuam Eccleſiam deſpondit: cum Adamo & Eua paciſcens, ex quibus illā ſibi ſeculis omnibus col-

legit. Idem quoque hęc ſponſalia cum Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo, tanquam cum credentium patribus renouauit. Sed hæc nihil tamen fuerunt aliud, quàm huius matrimonij futuri ſtipulatio.

Ratio tertia ſub lege. Et quanuis poſtea Spōſus ſeſe huic Sponſæ quodammodo ſtiterit, & ſpectādum præbuerit, in Legis ceremoniis, quibus, aliquāto propinquior illi factus, expreſſioribus pactis Eccleſiam ſibi deſponſauit, vt ſignificat Apoſt. Hebr. 11: Id tamen omne, quaſi inter longè diſſitos, nec perfectè geſtum fuit, Heb. 11. 13. adhibitis videlicet figuris & vmbris, quarum corpus & veritas eſt Chriſtus, Coloſſ. 2. 17.

Ratio quarta, ſub Chriſti exhibitione in carne. Itaque ſufficiebat quidem iſtud fide apprehenſum, ad patrum ſalutem, adeò vt beatorum ſedes ea de cauſa, ſit dicta Abrahami ſinus, Luc. 16. 22. vt qui Chriſti diem viderit, & ſit gauiſus, Ioh. 8. 56: ſed eorum deſiderium minimè ſic eſt expletum, ſpe nimirum illorũ ad ea reſpiciente, quæ ſuo demum tempore peragenda, & perficienda tunc norāt, quum ipſemet hæres ad vineam ſuam erat acceſſurus, Matt. 2. 28. Itaq; meritò Dominus noſter Ieſus Chriſt⁹, Luc. 10. 24. Multi reges (inquit) & Prophetæ, cupiuerunt videre quæ videtis, nec viderunt, & audire quę auditis, nec audiuerunt: cui Petrus ſuffragatur, 1. Pet. 1. 11. Hoc eſt igitur quod intelligit requirítque Sponſa: ac ſi diceret, Domine, mi Seruator & Spōſe, abundè mihi abs te venerunt nuntij, ſatis ſupér-

ſupérque ſalutationum accepi, & teſtimoniorum tui futuri ad celebrãdas noſtras nuptias aduentus. Sed quando tandem illud feliciſſimum tempus aderit, quo meipſam tibi reipſa coniũges, & os illud ſanctiſſimum, puriſſimè & ſanctiſſimè ſuauiandum præbebis? Nam certè nunc demum dici poteſt, ac debet Dei filius nos deoſculatus eſſe, immò pluſquàm deoſculatus, quum adeò ſeſe proximè noſtræ naturæ adiunxit, vt homo quem aſſumpſit, non modò imago Dei creatoris ſui ſit, ac dicatur, ſicut prior ille Adamus, verumetiam Deus verus, idémque verus homo exiſtat, in vnica perſona: & quidem ea vnitione, quæ nunquam ſit æternùm diſſoluenda: qua ratione, os illius ori noſtro, perpetuo oſculo, eóq; ſanctiſſimo, agglutinatum permanet.

Spõſus quãuis omnium hominum ſimilis quod ad ipſam naturã humanã attinet: tamen ſolam ſuam Sponſam eſt deoſculatus.

Sed ne hæc quidem ſufficiunt ad iſtius oſculi tantopere à Sponſa expetiti præſtãtiam cognoſcendam, & animo perfectè concipiendam. Licet enim Dei Filius, qui Sponſus dicitur, aſſumpſerit naturam toti generi humano communem, minimè tamen idcirco cunctos homines illum deoſculatum eſſe, exiſtimandum eſt: ſed ſuam illam duntaxat Sponſam, id eſt Eccleſiam. Quamobrem ſicuti neque vir quilibet, cum quacunque muliere, neque mulier quæuis, cum quolibet viro in vnam carnem coaleſcit, quoniam vt vir quiſpiam vnicus, & quæpiam mulier, vna caro fiant, vltra eam coniunctionem qua na-

turaliter homo homini congener est: & qua vterque sexus in eadem specie conueniunt, alia peculiaris corporum duorum copulatio requiritur: ita ad hunc de quo hic agitur spiritualē nexum, alia quoque per fidem vtrinque datam & acceptā vnitio requiritur, qua Iesus Christus Ecclesiæ suæ vir fiat, & illa vicissim os ex ossibus eius,& caro ex carne illius euadat, Ephes.5.30.

Stipulationem huius coniugii fieri in hac vita, matrimonium in futura vita perfici.

Spiritualem autem hanc stipulationē, scriptura docet duplici gradu perfici. Primò nāque sponsus hic, in terris Ecclesiæ suæ seipsū tradit, illa verò ipsum fide recipit, cuius pacti instrumentum est Euangelium, sigillis duobus, Baptismo videlicet & Sancta Cœna Domini, communitum. In hoc tamen non subsistimus, sed hac vnitionis, per fidem ac spem, specie freti, tanquam alterius pignore, ad illam cōtendimus: ad illam videlicet realem,& certissimè actu ipso sequuturam vnitionem, vltimo illo die, quum id quod spe non inani sumus, perfectè ac reipsa toti existemus: tum inquam, quum ipsum Sponsum prout est intuebimur, 1.Io.3.2. eritque ipse Deus omnia in omnibus, 1.Cor.15.28. quum deniq; nō ex parte, seu per enigmata, Sponsum illum cernemus, 1.Thess.4.17. vnum cum ipso facti, sicut ipse à patre postulauit, Iohan. 17.21.

Perpetuis osculis erigi & foueri, ad

Sed & illud obseruandum est, Sponsam non de vno solo osculo agere, sed oscula postulare: ita demonstrantem, sese non simpliciter

citer appetere Sponsi aduentum in terras, in carne, quem tamen sciebat coràm ac præsentem sibi sisti oportere. Verùm oscula osculis superaddi desiderantem, consciam vtique breuis illius, & veluti fugacis commorationis in terris, & locum verę consummationi huius sanctissimi coniugij destinatum, non in terra, sed in cœlis situm esse, vbi rex suę Sponsę coronam imponet, & suam illam gloriam cum illa communicabit, prout à Patre postulauit, Io.17. nempe vt eò introducamur, vbi futurus tum erat, & vt vbi nunc est, ibi nos quoque cum ipso simus. Nouerat, inquam, hæc Sponsa, illum descensurum in terras, non vt ibi consisteret, sed vt ipsam sursum post se traheret, Io.12.32. & anteuertens ipsi pararet aditum, ac nuptialem thalamum institueret, Io.14.2. Itaque singulari osculo minimè contenta, ad extremum illum diem aspirat, nullis illecebris huius terrenæ vitæ detenta, Col.3.1. quod à Deo continuis votis, omnibúsque momentis exigere, singuli monemur, nimirum vt illius regnum adueniat: quē diem nomine nostræ liberationis propterea designamus: & quo appropinquante, capita nostra erigere iubemur, Luc.21.28. Cuius etiam desiderio exclamat Apostolus, Rom.7.24. Miser ego homo quis me eripiet, ex corpore huius mortis? & alibi, Cupio hinc demigrare, & esse cum Christo, Phil.1. 28. sciens nimirum ac profitens, se nondum metam attigisse, sed adhuc currere, & ad pal-

consummationem vsque, id est æternæ gloriæ communicationem, postulat Sponsa.

mam ferri, Philip. 3. 13.

Trinis gradibus, ad perfectam cum Christo Sponso copulationẽ perueniri, multiplici, atque adeo dispari intermixta deosculatione.

Idem autem alibi tres gradus sibi statuere consueuit, quibus ad summam vsque desiderij sui metam, vltimo demum illo die, conscendat, in quo reposita sibi iustitiæ corona potiatur, 2. Timot. 4. 8. Primus igitur horum graduum hic est, & primũ hoc osculum quo nos hic Sponsus dignatur, quum nos sibi in hac vita per sanctum Spiritum adiungit, Io. 14. 21. Ad alterum autem gradum progredimur ex hac vita demigrantes, ad alterum excipiendum osculum, tantisper dum vltimus ille dies illucescat. Quãuis enim ex hac mortali vita discedentes beatorum Spiritus ad Sponsum aggregentur, illos osculo beatiore & pressiore suauiãtem, testibus ipsius Christi verbis ad Latronem, Luc. 23. 43. & Stephani precibus, Act. 7. 59. quia tamen altera nostri portio, (corpus videlicet) iacet adhuc in puluere & ignominia mortis, inde fit vt oscula illa plena & integra ad vltimum vsque diem differantur, quũ obuiam ibimus Sponso, & ipse nos vicissim hac tam fausta salutatione excipiens, Adeste, inquiet, benedicti Patris mei ad possidendum regnum vobis à iactis mundi fundamentis præparatũ, quum, inquam, aduenienti Sponso occurrent prudentes illæ virgines, Matth. 25. 6.

Hic etiam in terris continuis osculis donorũ gratiæ, iisque

Præterea etiam si duntaxat illius status ratio habeatur, quo suam in terris Sponsam Dei Filius osculari dignatur: non immeritò tamen illam dixerimus à suo Sponso, non v-

nicum

nicum osculum sed plura flagitare, nempe vt fide, spe, charitate quotidie augescens, cunctorum donorum quæ ad salutem conferũt multiplici serie, perpetuóque tenore cumuletur. Est enim Christiani hominis vita curriculi instar, in quo magis magísque progrediendo, sensim eò peruenimus, vbi proposita nobis est corona: sicut Apostol. pluribus in locis admonet, declarans etiam oportere vt Christus in nobis adolescat, nósque in illo Philip. 3. 12. Eph. 4. 13.

gradatim au gescentibus, Ecclesiam ad se Christum allicere ac tandem perducere.

Cæterùm et si Sponsa non postulat vt sibi Spósum osculari liceat, sed oscula sibi à Sponso dari postulet: tamen quum vtrunque vno eodémque actu transigatur neque aliter fieri possit: sic admonemur oportere nos officij nostri memores vicissim Sponsum deosculari, quod fieri tamen nõ potest, quin ille prior ad nos accedens deosculãdum os suum præbeat: impura siquidem, vel etiam simulata forent oscula quæ proprius aliquis humanus affectus suggereret, cuiusmodi sunt omnes superstitiones, & cultus omnis humanitus excogitatus Esa. 29. 13. Col. 2. 29. Omnes denique virtutes etiam morales vulgò vocatæ, & à non regeneratis profectæ. Ro. 14. 23. Quinimò Spõsæ quoque ipsius oscula sic cum osculis ab ipso Sponso priore præbitis cohærent, vt tamen magna imparitate inter se differant. Etenim quæ à Sponsa inferuntur nullius per se sunt pretij si ex se æstimentur, tantúmque quia Sponso grata sunt non ab ipso-

Mutua esse hæc oscula.

rum pretio seu valore, sed à mera ipsius gratia proficiscitur.

Quomodo affectam esse deceat Sponsam ad oscula Sponsi excipienda

Præterea (vt ad quartũ thematis nostri caput accedamus) quũ ad Sponsi osculationem ventum est, vt ei clientelaris illa fides præstetur, à potentissimis etiam quibusuis præstanda, Psal. 2. 13. cauere nos magnopere decet, ne temerè & superbè statim ad os ipsius procurramus, quin potius demittere nos oportet, & ad pedes illius aduolui, exemplũ sequutos mulieris illius peccatricis, quę pedes illius lachrymis suis lauit, capillis detersit, & pretiosis vnguentis vnxit, Luc. 7. 38. prius ab illo videlicet internis resipiscentiæ & donis fidei perfusa. Osculum igitur Domino præbituris nobis ordiendũ est ab impuritatis nostræ agnitione minimè ficta, illius miseri publicani exemplo: qui pudore suffusus procul stabat: neq; propiùs accedere audebat, Luc. 18 13. Cor igitur illud deiectum & contritum præferentes, (quod tantum abest vt à Domino spernatur, vt illi potius suauissimi sit odoris sacrificiũ, Psal. 51. 19. & ad pedes eius prostrati, tum demum vnà cum hac Spõsa, ex sacratissimo eius ore, constanti fiducia, oscula petamus, mox ex illius ore nos suauiante, vocem illam inenarrabilis gaudij plenam audituri, Condonata sunt tibi peccata tua: tandẽ etiam ad huius sancti coniugij veram consummationem admittendi. Sed agè, tandem ad quartum nostræ distinctionis articulum accedamus. Dicimus ergo nos hîc quoque com-

commonefieri, expendendum esse diligenter qua ratione, & quo modo hæc oscula sint nobis à Sponso postulanda, affectu nimirum inconcussa fide repleto, & flagranti zelo æstuante, eius nimirum fructus indice, quem Spiritus ille Dei ex pœnitẽtia de qua loquuti sumus elicit. Sic autem appello piam illam confidentiam, & penitus pacatam conscientiam, quæ per Dei gratiam viua fide apprehensam, nos à Deo diligi sibi certo persuadet, id attestante nobis adoptionis Spiritu, Ro.8.16. à quo docti sumus quæ de nobis Deus ab æterno decreuit. 1. Cor. 2. 16. Est autem hoc donum eiusmodi vt eius nobis donati nunquam Dominum pœniteat. Rom. 11. 29. adeò vt nulla vi ab ipsius charitate & dilectione vllo tẽpore disiungi possimus: Ro, 8 35. Hinc ergo gignitur in nobis desiderium illud ingens quo impulsi ac roborati, posthabitis omnibus, summa vi, Apostoli exemplo, stadium hoc percurrere nullis retinaculis detenti contendimus, donec ad vltimam metam perueniamus, vbi Sponso occurrentes dicamus cum Dauide, Psal. 16 5. Domine, tu es sors mea, & portio hæreditaria mea, non autem hic mundus cui sum crucifixus Gal. 4. 14. & rursum, Satiabor quum gloria tua apparuerit, Psal. 16 15.

Quænam igitur est ista Spõsa quam Sponsus deosculatur, & quæ vicissim illum tam ardenter suauiatur? hoc profectò neutiquam iis conuenit qui retrocedẽtes seipsos & ter- *Antithesis eorum qui dignè ad hæc oscula accedunt &*

eorum qui ab iis sua prophanitate arcentur.

rena quærunt. Nam certè cœlum in terris situm non est: neque quisquam hoc Sponso frui potest nisi qui seriò illum quærit, semet ipsum in primis abnegans, testãte vera Spõsa, quum ait Osculetur me, sese omnem suam fœlicitatem in illo vno habere repositam, quinimò sese sui ipsius oblitam illum vnum perquirere donec inueniat. Neque illis igitur hoc beneficium tribuitur quibus venter est Deus, quibus nihil dulcius est quàm seipsos spumantes dissuauiari: nec etiam auaris qui auri argentíque oscula insanè concupiscunt: quum tamen Deo & Mammonæ simul seruire nemo possit. Iob.31.24. Matt.6.24. In summa quicunque fieri cupit eius coniunctionis particeps quæ his osculis adumbratur, & in qua vinea sita est nostra omnis firma ac perpetua beatitudo, is necesse habet agglutinari Domino, ac vnus idémque Spiritus esse cum Christo, 1. Cor.16.17. Rom.8.1. oportet, inquam, vt principem huius mundi abneget, vt seipsum cæteráque omnia, siue sublimia, siue infima, siue media, quibus ab hoc proposito abduci potest, semel penitus eiuret.

Applicatio obiurgatoria supradictorum, ad præsentis seculi mores.

Hæc verò quum ita se habeant, & videam puræ huius vitæ vix tenuia quædam vestigia inter nos apparere, vigentibus adhuc apud nos tot tantísque corruptelis ac flagitiis, licet assiduis monitis corripiamur, atque adeò clarissima nostris oculis obuersentur iræ diuinæ testimonia: nescio profectò quid aliud

aliud nobis expectandum dicam vel cogitem, quàm quæ de diuortio apud Ezech. 23. ſcripta ſunt, niſi fortaſſis interuenerit clementiſſimi Domini immenſa indulgentia: quum tamen illam ipſam grauiſſimam pœnam mereamur quam Chriſtus incolis Chorazin & Bethſaidæ & Capernauntis interminatus eſt, Matt. 11. 21. Nec eſt cur prætexamus idololatriam à nobis abiectã vt Sponſum oſcularemur; quum pernicioſiſſima omnium idololatria quæ inuiſibilis eſt, etiam nunc in cordibus noſtris regnet, & parum ſit abdicaſſe Sathanam ac ſuperſtitiones, niſi Chriſtus induatur. Enimuerò (quod non ſine maximo dolore dicam, & dicam tamen) maxima pars noſtrum in eorum claſſem reiicienda eſt, de quibus Dominus apud Eſa. 29. 13. Populus hic, inquit, labiis me honorat, cor autem illorum longè abeſt à me: horum autem oſcula annõ iis ſimillima dixero quibus Ioab Abnerum, & Dominum Iudas deoſculati ſunt? prorſus certè ab iis aliena quæ Spõſa noſtra expetit ſimul & præbet, cuiuſmodi affectu Dauid, Pſal. 42. 1. Anima mea, inquit, Deum viuum deſiderat, vt Ceruа ſitibunda torrentes aquarum. At cõtra Sponſus vt ſuis nos oſculis dignetur, primùm requirit, vt à manifeſtè prauis cogitationibus, & palàm vanis ſermonibus, aut operibus iniuſtis alieni ſimus, quibus Spiritus Dei qui nos docet vnà cum Sponſa ſuſpirare, haud dubiè cõtriſtatur, ac tandem extruditur, vnde fit vt

vltima conditio deterior euadat priore Mat. 12.45. Cuius calamitatis eheu ſatis ſupérque exemplorum paſſim ob oculos habemus.

Dona Dei ſæpe aſtutia Sathanæ fiunt hominibus incautis exitii inſtrumenta.

Deinde hoc præterea flagitat, vt perpetuò hûc quoq; incumbamus, & toti in eo ſimus, vt mutua hæc oſcula perpetuo tenore continuentur, tum maximè quum Deus eo fauore nos proſequitur, vt operetur in nobis. Ea ſiquidem eſt vetuſtiſſimi aduerſarij aſtutia, vt dona etiam Dei in nos collocata in ſuũ cõmodum ſæpiſſimè conuertat, & iis quoque velut inſtrumẽtis (quod eſt pene incredibile) in noſtram perniciem vtatur. Quotuſquiſq; enim eſt qui ex præclaro aliquo ſeu dicto ſeu facto, cuius exequendi gratiã Deus illi ſit largitus, non ſtatim ſibi gloriolam quampiam arroget? qui ſi quid recti dixit aut fecit, ſtatim illud non vitiet à ſeipſo faſcinatus, niſi ipſe ſibi tẽpeſtiuè & diligenter, etiam atque etiam ab ambitionis & arrogantiæ peſte caueat? Exempla requiritis? Abraham & Sara ingenti cupiditate tenebantur promiſſæ poſteritatis, nec erant vera viuáque fide deſtituti. Quînam enim abſque fide futurũ iſtud ſperaſſent? Ecce præſtò adeſt inſidiator Sathan, & ſic illos callidè aggreditur iniecta in fidem illorum præcipiti impatientia, vt propemodum maxima ſua culpa, tanta expectatione exciderint. Perſuaſit quippe Sara marito, vt cum Agara ancilla concumbens, prolem ex illa ſuſcipere ſatagaret: vnde natus eſt Iſmael, ille Iſaaci filij promiſſionis, & vnici illius

illius in sancto fœdere hæredis insectator. Sic etiam Rebecca quum iis credidisset quæ de duobus suis filiis ipsi prædicta fuerant, adhuc illos in vtero gestanti, Gen. 25. 23. tamen Sathanæ proculdubio suggestione, quum animaduerteret Esauum mox à Iacobo benedictum iri, impatientia sua penè rem totam euerterat, nisi Deus suo Spiritu insigníq; clementia, Iacobum quamuis incautum in hoc negotio gubernasset. Nec alij sanè causæ quàm isti supplãtationi, qua cõmotus Esauus tam atrocia in fratrẽ comparauit, acceptę ferendæ sunt ærumnæ, quæ Iacobum postea exercuerunt: licet demũ Deus ex illis tenebris clarissimã lucẽ eduxerit. Habemus etiam huius rei luculentum in Martha Mariæ sorore quãuis non tam tristè exemplum: quæ nescia satis prudenter regere optimum illud desiderium commodè ac comiter apud se Dominum excipiendi, potiorem partem neglexit, à qua penè decidit, Luc. 10. 42.

Exhortatio ad preces & osculorum Sponsi, pro vocationis ratione, meditationem.

Agedum igitur fratres, oremus omnes assiduè, & quàm ardentissimè Deum illum nostrum, vt nos omni tempore nõ modò qualibuscunq; donis suis, sed ea potissimùm gratia dignetur, quæ rectum cæterorum ipsius beneficiorũ vsum nos doceat, quod etiã hìc peroptare videmus Sponsam, non osculũ sed oscula numero multitudinis postulantẽ, oscula inquam oris ipsius: significans omnino, ad hoc vt idonei euadamus ad obtinendã hãc tã expetendã cõiunctionẽ, requiri vt Dominus

gratiam gratiæ superaddat: quę quidē omnia beneficia ex ore illius proculdubio in nos emanāt, & ab eodem ipsius Spiritu ad rectum ordinē & finem diriguntur: quod etiam placet ad vos fratres propius accommodare. Ecce video vos, venerādi magistratus, sedulam operam iuri dicundo & dirimendis ciuium controuersiis nauare, quæ vestra est sancta vocatio, in qua obeunda cura, faxit Dominus vt quàm integerrimè ac studiosissimè vos geratis. Verum si fortè tanto studio ciuiles disceptationes absoluēdi tenemini, vt hæc vacua subsellia cernamus, quibus insiderevos maximè deceret Dei verbum audituros, id est vestri quoq; istius negotij normam: istud quid aliud fuerit quàm boni prętextu, id quod primarium est negligere? Sit etiam concionator quispiam domi priuatis sacris studiis semper intentus, vt abūdet pabulo quod suo gregi suppeditet: fuerit certè hæc cura maxima laude digna, vtpote non vtilis modò, sed etiam necessaria. Sed quid si dum perauidè circa libros domi satagit, Sathan vnam quampiam ex ipsius ouibus, foris absente Pastore abripiat? id profectò nequaquam fuerit ritè officio Pastoris fungi, cui non id solum curæ esse debet, vt multa legat, Timo.1.13. sed etiam, vt tum super vniuersum gregem, tum etiam super singulas oues excubias agat, Apostoli exemplo, Act.20.20. Detur etiam bonus quispiam paterfamilias industrius œconomus, & strenuè laborans, vt

fami

familiam alat: detur (quod ſanè rariſſimum eſt) honeſtus mercator, bene ſibi conſcius, & qui mercaturam non tam ſibi quàm vtilitati publicæ exerceat. Hæc quoque laudanda atque adeò ſancta ſunt ſtudia. Sed ſi qui iis curis detenti domi hærent, vel ſuis officinis affixi tenentur quo tempore vox Dei in templis reſonat, vnde petenda illis fuit recta gubernandæ familiæ,& exercendę mercaturæ ratio,iſtud profectò fuerit officij ſui præſtandi ſpecie, verum officium negligere. In ſumma igitur,ſollicitudine quàm maxima ſimul & quàm ardentiſſima, concupiſcenda ſunt oſcula oris Domini, & toto corde ad beatiſſimam illam Chriſti nobiſcum cōiunctionem eſt anhelandum: quod neceſſarium ad ſalutem deſiderium, his precibus petemus vt Deus in nobis accendere magis ac magis dignetur.

Omnipotens Deus,&c.

* *
*

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA TERTIA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.1.verſ.2.

2 Amores enim tui vinum bonitate ſuperant.

AVdiuimus Sponſam palàm cõteſtatam nihil ſibi optatius, quàm oſcula ex ore Sponſi excipere, eóque ſolo voto ſeſe, cæteris vniuerſim poſthabitis, teneri. Nunc autem ne videatur inſano quodam affectu rapi: ſed planè prudenti conſilio, tum quæ ſunt expetenda, tum quæ declinanda perpendere, addit flagrantiſſimi huius deſiderij cauſam, eámque firmam ac ſolidam: Amores nempe ſiue dilectiones Sponſi ſui. Quę quidem verba quum vtrinque flexibilia ſint, atque tam de Sponſi erga Sponſam dilectione, quàm huius in ipſum beneuolo affectu intelligi poſſint, nobis in primis ſtatuendum eſt hic agi de amore quo Sponſus ſuam proſequitur Spõſam. Nimiùm enim illa ſibi ſumeret, amores ſuos iactando: qui mos eſt à ſanctis prorſus alienus. Hic igitur eſt ſenſus, Spõſam non temerè, neque abſque grauiſſima cauſa, hoc vnum concupiſcere, vt à Sponſo ſuo Ieſu Chriſto diligatur, eóque vnico perfruatur, cuius ſancto deſiderio, capta ſit ipſa ſui ipſius oblita.

Omne gaudium Sponſæ ex eo eſſe, quod Sponſus illam prior amarit

oblita. Et meritò quidem: quum ea demum ſit vera felicitas ſi à Deo diligamur: vnde ex aduerſo efficitur, eum demum verè ſapere qui in illum ſolum affectus omnes intendat. Sed huius ſanctiſſimi amoris exordium ab illo eſt, qui prior nos dilexit, 1.Ioh.4.10, alioqui neque ipſius notitia nobis vnquam ſalutari futura, neque nobis vnquam de ipſo diligenter cogitaturis.

Creationis opus primum testimonium esse dilectionis Dei erga genus humanum.

At enim immenſitatem huius abyſſi quam nunc ingredimur, dilectionis Dei videlicet erga Eccleſiam, quis tandem ſcrutando metietur? Deus vtique noſter immenſus eſt, cuius nullum opus, quantumuis exiguum, animo complecti valemus: quòd nulla ſit inter infinitũ, & id quod terminis clauditur proportio. Quod ſi quis eſt eius cognoſcendæ immenſitatis modus, in eo certè poſitus eſt, vt eius amplitudinem nullis terminis definiri vltro nouerimus & profiteamur. Nec enim Deus hominem in eum finem condidit, vt ſeſe in eo aſſequendo quod comprehẽdi nequit, fruſtrà fatiget: ſed eius bonitatem, ſapientiam, potẽtiam, in rerum omnium creatione, diſpoſitione, gubernatione denique, ſummam agnoſcat & adoret. Itaque mẽtem illi indidit ea facultate præditam, qua vtcunque extremas tantę maieſtatis oras attingat, prout illi huius orbis ſtructuram contemplandam, & eius partes ſummas & imas ſpectandas præbet: in quibus tanquam limpidiſſimis ſpeculis, ſenſuum organis percepti-

bilibus, ipſam creatoris æternitatem, omnipotentiam,& conditoris pręſertim in ipſum humanum genus ſingularem beneuolētiam intueatur. Quantum enim illud beneficium eſt, quòd hominem omnibus inferioribus regendis rebus præfecit, cui quodammodo voluerentur ſydera, ſpirarent venti, tota denique huius mundi machina quodammodo ſubſeruiret, ſicut paſſim in Pſalmis admonemur,& ab Apoſtolo 1.Cor.1.21.Rom.1.20.

Redemptionis opus maius atque admirabilius argumētum eſſe dilectionū Dei: verùm illud propriè ad Spōſam pertinere.

Verumenimuero poſteaquam homo mētis ſuæ oculos ita ipſe ſibi effodit, vt iam intueri in opere creationis tantum ſui creatoris beneficium,nec velit nec poſſit:ecce pręſtò adeſt Spōſus, longè certiori ac dilucidiori teſtimonio ſuam illam declarans beneuolentiam,opere videlicet redemptionis,longè alteri creationis operi anteponendo, ſiue modum ac rationem operis perficiendi, ſiue opus ipſum per ſe ſpectemus. Quod enim Deus hominem initio creauit tam excellentem, vt eſſet ipſius conditoris quædam imago,immenſę profectò fuit bonitatis. Verùm quid hoc rei eſt, præ illa prodiga charitate, qua impulſus eſt vt hoc alterum opus aggrederetur, id eſt, non alterum quempiam hominem illo priore puriorem & perfectiorem aliunde deſumptum conderet, ſed ex illa ipſa per ſe corrupta,per Spiritum tamen ſanctum ſanctificata maſſa, hominem Deum, coæterno Filio ſuo carni noſtræ perſonaliter vnito, proferret: carni, inquam, noſtræ,

omnibus infirmitatibus excepto peccato, ad tempus obnoxiæ: cui denique omnia peccata nostra debitis pœnis luenda imputaret. In quorum istud, quæso, gratiam? nostram certè, qui eramus iurati ipsius hostes, ex quibus tamen suam Sponsam charissimam elicit, vt ad hoc tātum & omnium abditissimum mysterium quasi obstupefacti, Eph.3.18, & 5. 32. vnà cum Apostolo clamemus. O profundas diuitias tum sapientiæ, tum cognitionis Dei! Rom.11.33.

Dilectionum Dei testimonia in Scripturis haberi.

Sed aliud præterea huius tantæ dilectionis testimonium sese in hoc nostræ redemptionis opere exerit. Quoniam enim eo consilio Dei Filius in terras sese non demisit, vt in terris coniugium cum sua Ecclesia consummaret, sed potius vt illam è terris in cœlos eueheret, nempe ad sacrarium illud quò prior ipse terras deserens ingressus est, Hebr. 9.24. nobis aditum patefacturus in æternum domicilium, Io.14.2, & 2.Cor.5.1. vt interim dum à nobis corpore suo procul abest, viua Filij Dei imago animis nostris perpetuò obuersetur, Galat.3.1. Imaginem sui nobis ad viuum expressam, in doctrina per Apostolos perscripta reliquit, in qua quicquid fidelem nosse & credere oportet, tum de illius persona, tum de Dei Patris, quod ad salutem nostram attinet, immutabili consilio, continetur Act.20.27. non minus profectò verè & dilucidè, quinetiā certiùs & efficaciùs, quàm si duntaxat carneis nostris oculis spectādum

se sisteret, aut his auribus vocem illius percipere, manibúsque eum palpare nobis adhuc liceret. Hoc enim posterius permultis contigisse constat, qui tamen illum ad salutem neque cognouerunt, neque sicuti decebat apprehenderunt. Quid amplius? Ecce rursum dilectionem dilectione cumulatã. Quoniam enim frustrà cæcis proponeretur pulcherrimũ etiam quidpiam, idcirco Dei Filius, cum illo suo verbo & ab ipsomet prædicato, & à suis Apostolis scripto, tantam sancti sui Spiritus copiam Ecclesiæ impertit, quanta ad rectum salutis iter dignoscendum, eíque insistendum requiritur, sicut pollicitus fuerat ministerio Prophetarũ ac præsertim Ioelis, vt à Petro citatur & exponitur, Act. 2. Nempe vt ab eo Spiritu in omnem veritatem introducamur, Ioh. 16. 13. acceptis ab eodem oculis ad vidẽdum, & auribus ad audiendum: qui denique in cordibus sanctorum regnet ad extremum vsq; diem illum, quo sanctum hoc coniugium plenè consummabitur, Mat. 18. 2.

Cur vino præstantiores hic dicantur Dei dilectiones, & quare vocem dilectionum numero plurali proferat Sponsa.

Mirum non est igitur hanc Sponsam arra futuri pleni coniugij fretam, cui soli datum est tantam suauitatem decerpere, tãto ipsius potiundi Sponsi desiderio flagrare, vt nihil aliud expetat aut requirat, quàm illius sui Sponsi *oscula*, præ quibus nihil ipsi dulce videatur. Hic enim obseruandum est *vini* vocabulo nõ solùm significari liquorem illum, cuius proprius effectus est cordis exhilaratio

vt

vt ait Propheta, Psal.104.15. sed quascunque delicias, atque adeò res omnes creatas vnde quidpiam delectamenti sumi potest, idque nulla penitus earum excepta. Hęc etiam caussa est cur Sponsa *dilectiones* commemoret multitudinis numero: non quòd in Dei essentia plures sint numero dilectiones, quum in eo omnia sint vnum, & ipsemet Deus vnus, sed nostri demũ respectu, quoniã in hac terrena vita Deus innumeras, tum qualitate diuersas, tum quãtitate impares dotes in nos effundit: præsertim autem propter inexhaustum illum thesaurum æternæ felicitatis, quo Ecclesiam suam, quum erit omnia in omnibus. 1.Cor.15.28. cumulabit: & iis decorabit donis quæ oculus non vidit nec auris audiuit, neque in mentem cuiquam vnquam venerunt, Esa 64.4, & 1.Cor.2.9.

Mutuam dilectionem Sponsæ erga Sponsum legis esse summam, & quã variè mortales amore & odio abutatur.

Denique ex hac Sponsa discendum nobis est, quo pacto sit à nobis rectè ac vtiliter immensa illa dilectio Sponsi excipienda atque perpendenda, vt quemadmodum ille nos dilexit nullo suo commodo, ita nos illum vicissim idcirco redamemus, quòd is sit solus amari dignus: qui locus omnino flagitat vt aliquantò copiosiùs de vero amore iustóque odio disseramus, quòd hi duo affectus cæteris omnibus sint legis ac normæ vice. Rogatus igitur Dominus noster Iesus Christus Matth. 22. quodnam esset maximum & sanctissimum mandatum, primam citauit legis tabulam, sic paucis comprehensam, Diliges

Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua,& ex tota cogitatione tua. Et certè mutuus omnis amor,siue rectus siue prauus,eò nos rapit, vt qui verè amat, nihil cupidiùs & ardentiùs expetat, quàm ei quem diligit gratificari. Hinc illud est quod anima fidelis, (quæ Sponsæ nomine tecta hoc loco inducitur,vt nos doceat quanto ac quàm vehemente affectu tota ad Deum suum anhelet) statim ab ipso exordio,testatur & prædicat hoc vnum à se expeti,vt Iesu Christo suo Sponso penitus adhærescat,& quasi in illum ipsum transeat,cui ex animo obsequatur, & omnem gloriam & honorem tribuat. Nam certè verus & legitimus scopus ad quem non modò quicquid agimus, verumetiam quicquid cogitamus & volumus meritò refertur, hic vnus est, vt verè cum Apostolo dicamus Christum in nobis viuere & nos in illo Gal, 2.20. Amoris nãque affectio vt omnium ardentissima est, ita sunt illius effectus vehementissimi, quod testatur his verbis Dominus, Vbi est thesaurus ibi est cor tuum, Luc, 12.34. Sed hîc præcipuè laborandum est vt id demum ametur quod amari dignum est, & ita quidem ametur vt amari meretur. Nam ad hos scopulos plerunque offendunt homines,quòd ament quę odisse oportuit,& contra oderint quæ amari conueniebat: immo tunc etiam quum expetunt meritò expetenda, aut refugienda refugiunt, vix, inquam, contingit vt eo quo decet modo quidpiam

ament aut oderint: ſed vel amplius vel minus quàm equum ſit vnum expetant, alterum refugiant, idque non eo quem oportuit fine & ſcopo.

Vt igitur tanto malo mederi poſſimus, Sponſa nos exemplo ſuo docet, Deum ſolum propriè amandum eſſe, & ita quidem, vt huius amoris noſtri nullam vel minimam particulam ab ipſo auerſam in aliam rem vllam, ſiue ſurſum poſitam, ſiue mediam, ſiue infimam, transferamus: quod ipſa quoque ratio quantumuis deprauata docet. Nam omnino duo ſunt, quæ ad ſui amorem homines pelliciunt, Pulchritudo videlicet & Bonitas, nunquam ſeiungendæ, niſi falli vltrò volumus, teſte ipſo quoq; peruulgato prouerbio, Pulchritudinē à bonitate ſeparatam nullius eſſe pretij, imo vaniſſimū eſſe illicium quo ad res turpes abripimur. Atqui fatēdum eſt omnino ſolū Deum verè bonum pulchrúmq; eſſe atque adeò ipſammet bonitatem atque pulchritudinem, modis omnibus abſolutiſſimā: quādoquidem quicquid ineſt pulchri vel boni in vlla re creata, tanquam riuulus quidam eſt, ex ea quę planè perfecta ac eſſentialis eſt in Deo creatore, tum pulchritudine tum bonitate, deductus.

Deum ſolum propriè & præcipuè amandum eſſe.

Quoniam autē Deus ne ab intellectu quidem noſtro, ſicuti diximus, comprehēdi poteſt, nedum vt videri, audiri, odorari, guſtu vel tactu percipi queat, fortaſſe videri poſſet, hinc effici fruſtrà nos de eo cognoſcendo at-

Verum amorem eſſe rei certæ & priusagnitæ: & qua ratione homo

ante ipsius lapsum Deũ amarit, nouerítque.

que demum amando laborare. Constat enim amori notitiam necessariò præire. Quod si ita est, nullus illum certè vnquam ex animo coluerit: vana fuerit ac prorsus inanis spes & fides nostra: omnis denique religio euanuerit. Quibus incommodis vt occurramus sunt ista rursus à nobis diligentius peruestigãda. Discimus igitur ex sacris literis quamuis Deus res omnes gloriæ suæ causa condiderit, Prouerb. 16. 4: nempe vt laudi ac honori Dei cedant (quod quidem fieri nequit nisi sese quodammodo in illis agnoscendum præbeat) minimè tamen à Deo sic omnes esse conditas, vt eius notitię sint capaces: sed ea facultate Angelos duntaxat & homines donasse. Ac de Angelis quidem non hic est dicendi locus. Sed quod ad homines attinet, quum Moses imaginis ac similitudinis Dei vocibus vtitur, de hominis creatione disserens, hoc liquido innuit, Deum quum animam primi hominis conderet, illius naturæ simul clarissimam quandam lucem atque admirabilem sapientiam indidisse, quibus freta conditorem illum sui cognosceret, præstanti quodam intelligentiæ gradu: paritérque voluntatem illius donasse præstanti quadam integritate, qua nihil prorsus experteret ipsius voluntati repugnans, & quod non esset verè bonum & rectum. Hoc enim Apostolus exponit vocibus veritatis in intellectu, & iustitiæ in voluntate, declarans Eph. 5. 9. quæ fuerit illa imago ac similitudo Dei ad cuius exem-

exemplum Adamus fuit initiò conditus: idque vt ab homine agnoſceretur & glorificaretur. Præterea indidit Deus omnibus aliis rebus creatis, infinitas quaſdā notas, tum ſuæ imméſæ ſapientiæ & liberalitatis, tum aliarū virium, quæ ſunt in ipſo omnibus numeris abſolutiſſimæ: ac demū his vniuerſis regēdis, vicarium quodammodo dominium homini, vtpote in illius vſum cōditis attribuit: vt copiosè in multis Scripturæ locis, ac in primis Pſ.8. & 19. explicatur: eo videlicet conſilio, vt harū rerū intuitu foueretur, ac cōfirmaretur in homine, tum illa ipſa Dei notitia, tum voluntatis humanæ integritas: tot ipſi propoſitis ſpeculis, admirabilis illius perfectionis, quam in Deo creatore agnoſcere par eſt, quot res creatas in hoc orbe cerneret: & tot argumentis expreſſam Dei erga ſe bonitatem probatam ſpectaret quam multa ſunt ipſius vſibus condita, & eius adminiſtrationi ſubiecta. Ab hominibus igitur agendæ ſunt Deo gratię non de beneficiis dūtaxat in ipsū collatis ſed etiam de cunctis illis donis, quibus res alias hominum cauſa conditas exornauit: quæ veluti totidē ſunt gloriæ Dei precones, Pſ.19. Neq; dubitandum eſt quin ſi res illæ intelligētia & organis oris ac vocis prędítæ eſſent, his clamoribus homines fuerint compellaturæ: Homines, quorum cauſa conditæ ſumus, gratulamini Domino, noſtro nomine, ipſiúſque gloriam magnificate. At illę cōtrà ex quo lapſus eſt homo, miſerrimæ ſeruitutis iugo factæ obnoxiæ, Gen.3.17.

aduersus hominem ingemiscũt, & ad Deum vindicem prouocant, Rom. 8.22. Res igitur illæ conditæ, quum sint & pulchræ & bonæ pro vniuscuiusque modulo, vt idem Moses apertè testatur in creationis historia: Pulchritudo verò & Bonitas propria sint amoris obiecta: natura denique sit ita comparatum, vt nemo iis moderandis quibus offendatur operam libenter impendat: consequens est, hominem, ante lapsum, instinctu ipsius naturæ, cunctis rebus creatis fuisse delectatum, eásque omnes amore quodam singulari prosequutum: & ita quidem vt in ipsarum eleganti specie ac bonitate, tot bonorum auctoris Dei præstantiam contemplaretur: ac proinde non tam res illas conditas quàm earum conditorem in illis diligeret.

An boni & mali notitiã habere potuerint Adamus & Eua antequam peccarent.

Cæterùm quum amor & odium ex diametro inter se opponantur, omnino necesse fuisse videtur, vt quum homo Honestum & Bonum amaret ante lapsum, vicissim Turpe & Malum odio prosequeretur. Id verò quînam fieri potuit, quum ante hominis lapsum nihil in mundo non pulchrum & bonum existeret, cuiusmodi videlicet res omnes Deus condiderat? Gen. 1.31. Fatendum est igitur quum in mundo nihil turpe, nihil malum extaret, hominem priusquam laberetur, nihil odisse, immò conditorem suum in rebus omnibus dilexisse. Sed quum esset ea intelligentiæ luce præditus, vnde intelligeret qua in re suum amaret conditorem: illi certè non defuit

fuit contrarij, ſiquod ſeſe forte offerret, dignoſcendi facultas. Et ita profectò maximo noſtro malo mox euenit, Satana illo perdito (qui in veritate non perſtans Ioh. 8. 44. turpiſſimus & peſſimus euaſerat) ſeſe illi offerente, & ſatis apertè quiſnam eſſet & quanto odio dignus declarãte, quum Deum Opt. Max. inuidiæ & falſitatis accuſaret. Hoc illud eſt igitur Adami & Euæ facinus, quod excuſari nullo modo poteſt, vt qui abutentes ea qua præditi erant huius impoſtoris detegendi ratione, aures illi præbuerint: quo facinore tum ſibi tum poſteris ſuis omnibus miſeram illam corruptionem accerſiuerunt, Rom. 7. 14. Inde fit igitur vt omnes tum cæcitatem tum improbitatẽ in amore & odio prodamus.

Nullam amandi rectã regulam ſibi conſtituere homines neque velle neque poſſe, priuſquam regenerẽtur.

Etenim ſi quo modo ſeſe quiſque gerat in hoc mũdo conſideremus, quid aliud comperiemus, quã vnos quidem errore deceptos, bonum à malo, turpe ab honeſto non diſcernere? alios verò contra conſcientiam quod odiſſe oportuit vltrò amplecti, quod diligendum fuit odiſſe? Exempla requiritis? ſi de diligendo & colendo Deo quæritur, en tibi ſuperſtitioſos & idololatras, vſque adcò faſcinatos, vt non modò neque agnoſcere neque amplecti veritatem poſſint aut velint, ſed etiam aures & oculos auertant, ne loquentem audire, & in oculos incurrentem intueri cogantur: quinetiam illam omni ſæuitiæ genere perſequuntur. Ecce altera ex

parte impios & omnis religionis irrisores, quibus hodie conspurcatus est omnis terrarum orbis, eius impietatis vindicē Deum inclamans. Quod si expēdamus quales sese homines hominibus præbeant, & quibus studiis dies ac noctes vacare cuiusuis ætatis & ordinis homines cōsueuerint, alios inueniemus bonorum affluentia crepantes, quibus vel leuissimæ delitiæ sunt ipsa æterna vita chariores: alios miserè seipsos assiduis laboribus tota vita fatigantes, nō vt Deo seruiant, sed ne fame pereant, animam & verbum illud saluificum præ terūtio p:ratos aspernari: alios qui quod habeat non possideant, sed suis facultatibus & corpus & animam addicant: alios porcorum instar sese in mediis sordibus volutantes: alios auiditate quadam inexplebili honoribus & dignitatibus inhiantes: alios denique vanissima quæque pertinacissimè captantes, vt ex huius eiusdem sapiētissimi Solomonis concionibus non ita pridem intelleximus. Hinc illud miserrimum euenire plerisque consueuit, vt in amore & odio decepti, priùs ex hac vita excedant, quàm à quo & quorsùm in ea fuerint collocati, didicerint.

Modum amandi à solo Dei Spiritu Sponsam doceri, licet renitentem, & immorigerā.

Et hæc quidem est huius tanti mali origo, & hic progressus. Cedò verò quodnam tanto malo remedium adhibebimus? Nempe ad illum ipsum est nobis confugiendum à quo sicut initio conditi, sic refingi nunc possimus, eadem illa nimirum virtute, quæ verus

est

est cum Patre & filio Deus, nostræ mentis oculos illustrante Eph.1.18.& Act.26.18.creante in nobis cor nouum Psal. 51. 12. ciente in nobis velle & facere, Philip. 2.13. à capite ad calcem vsque nos renouãte, 2. Cor.5.17.& vt paucis omnia comprehendam, tales nos statuente qualis hæc Sponsa nobis hic spectanda proponitur, & qualem illam nobis Ezechiel tum in eo in quo reperta fuit, tum in altero ad quem euecta est statu cap. 16. graphicè prorsus depingit. Opus certè Deo optimo iure assertum ab Apostolo 1. Cor. 9. 1. Deo, inquam, soli, quod ad veram eius effectionem attinet 1.Cor.3.7.& summè difficile, ac laboriosum vsque adeò, vt nobis pertinacissimè obsistentibus, vix nec nisi maxima cum difficultate, ac veluti machinis omnibus adhibitis Spiritus sanctus superior in nobis euadat. Dicere me verò quod res est nõ aliunde meliùs intelligere possum, quàm si dispiciamus qualem illam in Deum & proximum perfectam charitatem esse oporteat, duabus illis diuinæ legis tabulis expressam, & vtcunque à prophano quodam scriptore paucis declaratam, quum de mutua hominũ inter se amicitia differens, Vera, inquit, amicitia est idem velle, idem nolle. Nam hæc est certè certissima vitæ rectè instituendæ norma si ad Dei voluntatem qualis est nobis ipsius verbo patefacta, dilectionem & odium exigamus: & hoc semel positum retineamus, hoc ius esse Sponsi capitis in Spon-

ſam, vt eius voluntatem arbitrio ſuo regat, prout & ipſa quotidie illum compellat inquiens. *fiat voluntas tua.*

Arduũ certamẽ à Spõſo pro ipſius Spõſa ſuſceptũ.

Vt autem quàm ſit nobis iſta diuinæ voluntatis regula neceſſaria pleniſſimè omnes intelligant, agedum hunc ipſum Sponſum, id eſt Ieſum Chriſtum nobis pro exemplo proponamus: qui in hunc mundum idcirco ingreſſus vt hãc Sponſam, ſicut ipſa poſtulauit, ſuis ipſius oſculis dignaretur, in ipſo aduerſus illum, à quo hæc ipſius Sponſa vi retinebatur, ſuſcepto certamine, in has etiam voces erupit, *fiat id quod tu vis, non quod ego volo.* Eminuero quid iſtud rei eſt? Num enim quępiam inter Dei Patris & Ieſu Chriſti voluntatem fuerit repugnantia? Abſit. Nam alioqui neque Deus, neque probus & integer homo, nedum ſeruator Chriſtus extitiſſet. Quatenus igitur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus perſonis quidem ſunt diſtincti, eſſentia verò vnicus & idẽ Deus, ea ipſa fuit Filij quæ Patris & Spiritus voluntas. Quatenus autem homo eſt, vt alteram naturam, ſic alteram habet numero voluntatem, minimè tamen diuinæ voluntati aduerſantem. Cuius igitur hęc verba ſunt? Ieſus Chriſti certè, Dei & hominis ſimul, ſed hominis propriè & diſtinctè in hoc agone decertantis, & ſeipſum quodammodo, quatenus eſt Deus & peccati iudex & vltor, ſuperaturi: vt vnus & idem in hoc certamine oppugnet & oppugnetur, vtrinque tamen victor appareat. Sed ecquid illi

illi voces istas expressit? nulla certè repugnãtia humanæ aduersus diuinam in vna & eadem Christi persona voluntatis: sed diuersitas duntaxat, non aliunde exorta quàm ex vehementissima horrendæ illius maledictionis Dei apprehensione, aduersus omnia electorũ omniũ, Christo quamuis omni peccato immuni, imposita peccata: tali tamen apprehensione, quæ sese voluntati diuinæ penitus subiiceret, ac proinde nullo prorsus esset vitij labe contaminata. Quod si hoc sermone vsus est Sponsus ille, in quo nihil ad summam perfectionem desiderari potest, quid nobis faciendum censebimus, in quibus vixdum est ista moderatio inchoata?

Diuturnam esse Spiritus & Carnis colluctationem.

Idcirco dixi innouationem istam, qua datur Sponsæ vt idẽ amet & oderit quod Spõsus, non esse vnius horæ, vel mensis, vel anni opus, sed tam diuturnum certamen, quàm longa est nostra hæc vita, inter Hominis renouati spiritum, & carnem hominis adhuc antiquum retinentis. Quod igitur hoc loco testatur Sponsa, sese videlicet tota mente ad hunc suum Sponsum ferri, in quo felicitatem omnem suam reponat, verè quidem testatur: (nec enim mendacij sed synceritatis & veritatis schola est Ecclesia) sed id de illa accipiẽdum est in qua peccatum etsi non dominatur Rom. 6.14. tamen adhuc quantum potest resistit gratiæ Spiritus. Eius autem rei vnus ex huius Sponsæ vel præcipuis membris Apostolus est testis, omni exceptione maior, cla-

mans ſe facere malum quod nolit, nec bonum facere quod velit, ac tādem etiam vociferás, O me miſerum, quis me ex hoc mortali corpore liberabit? Rom.7.24. Eſt igitur omnino per Dei gratiam hæc Sponſa, id eſt fidelium cœtus, & quod ad intellectum attinet quo bonum à malo rectè diſcernat, & in affectibus inſtaurata, quibus bonum quidé amat & proſequitur, malum verò odit & deteſtatur. Sed tamē in hac cognitione promoueat oportet ex fide in fidem Col.1.10 & 1. Pet. 3. 18. & in illius etiam praxi & vſu proficiat neceſſe eſt, eò vſque vt non tantùm rectè diligat & oderit, ſed etiam quantùm diligere & odiſſe oportet: in quo tenendo modo maximæ quoque difficultates occurrunt.

Vt ſeſe inuicem, ceteráſque creaturas amare debeant homines.

Quis iſte tamen ſit modus facile eſt intelligere. Quum enim Deus toto corde ſit diligendus, nulla huius amoris particula fuerit inde decerpenda. Itaque proximi dilectio quam illi ſecundùm Deum & propter Deum præcipientem debemus, non eſt noua quædã alterius amoris ſpecies, cuius cauſa noſter hic animus velut in duas partes ſecetur: ſed eſt quaſi riuus quidam ex ea dilectione qua Deum ipſum proſequimur, deductus. Deus enim ardēs tum gloriæ ſuæ, tum huius Sponſæ zelotypia, riualem pati nullum poteſt. Quod autem in diligendo proximo ſeruandum eſſe dixi, valet cæteris etiam in rebus ad vſum noſtrum conditis, ad quas ſollicitè cauendum

uendum est ne amorem nostrum traducamus, auaros secuti, suis opibus vt Idolis addictos Eph. 5. 5. vel alios luxui deditos quorum Deus venter est? quotquot denique affectibus suis abrepti mentem & corpus vllis creatis rebus mancipant, quibus potiùs cum gratiarum actione vtendum fuit 1. Timot. 4. 4. adhibito etiam modo ne vel in qualitate aut in quantitate, vel in scopo aberremus, ad quem illarum vsus est referendus, qui est ipsius Dei conditoris gloria 1. Cor. 10. 31. sicut passim in sacris litteris admonemur. Et hæc quidem est huius sponsæ dilectio totum animum eò referentis vbi situs est eius thesaurus, pro recepta sancti Spiritus mensura.

Quantum autem ad odium attinet dilectioni ex aduerso oppositum, satis liquet tam odisse nos Malum oportere quàm Bonum diligere, verùm quum Malum nō sit res quędam condita & subsistens, sed deprauatio quædam & vitium quod rebus bonis initiò conditis superuenit, accuratè est adhibenda & obseruanda inter rem ipsam & eius prauitatem distinctio, quantùm quidē id fieri potest ac debet. Hanc autē exceptionem addo vnius rei conditæ causa, tantopere deprauatæ, & æternæ Dei execrationi tam obnoxiæ (quoniam omnis & in sese & in homine mali ac proinde peccati & mortis est origo) vt omni ac perpetuo sit omnium odio dignissima, Diabolum dico & ipsius Angelos. Hic enim ille est, fratres, hic ille est, inquam,

Perpetuas cum Sathana exercendas esse inimicitias.

huius nostri Sponsi perpetuus hostis, vtpote cuius caput attritum Gene. 3. 15. huius Sponsę pedibus quotidie subijcit Rom. 16. 20. hic ille est nobis vt Leo famelicus insidians 1. Pet. 5. 8. & vetus ille Draco rufus ecclesiam insana rabie persequens Apoc. 12. 4. Agedum igitur, istum, fratres, odio prosequamur irreconciliabili: hunc illa christiana panoplia totis viribus oppugnemus Eph. 6. 14. & 1. Thessal. 5. 8. hunc denique perpetuò execrabilem detestemur.

Quæ ratio odij in prauos. Cæteris autem in rebus obseruanda est accurata distinctio: quoniam enim inter res omnes conditas solus Homo totus intus & foris est illius draconis veneno contaminatus, seorsim ac distinctè considerandus est, & ea in re peculiaris certa quædam est tenenda ratio. Nam certum quidem est vniuersum hominum genus esse penitus deprauatum ac proinde singulos homines ab ipso conceptu Psal. 51. 7. fieri indignationi Dei obnoxios Eph. 2. 3. Sed & illud fatendum, requirere amicitiæ legem, vt communes sint hostes & amici, ac proinde quos amat Deus amemus, quos odit oderimus. Sed quoniam Deo summè misericordi visum non est, sicuti Satanam & eius Angelos, sic etiam singulos homines exitio perpetuo damnare, immò verò Sponsam id est Ecclesiam ex illa corrupta massa eligere, nobis autem compertum non est, nisi ex incertis quibusdam & fallacibus cóiecturis ecquos odio suo perpetuo destinarit, & bene sit

ne sit nobis potiùs de quibusuis sperandum: idcirco relictis penes Deum arcanis ipsius iudicijs, communes quidem cum illo amicos & hostes habere nos oportet Ps. 139. 21. sed indefinitè, id est hac obseruata lege, vt hunc vel illum pro reprobo & æternę maledictioni addicto minimè habeamus. Contra verò, quum simus ipsimet in nobis reipsa experti, in illius esse potestate positũ vt hostes ipsius natos Eph. 2. 3. sibi amicos reddat Rom. 5. 8. & Eph. 2. 11. odisse nos malum & vitium ipsum & eius fructus omnes oportet, tum in nobisipsis in primis, tum in alijs, & quidem odio prorsus irreconciliabili: at ipsos homines minimè, quos potiùs studere oportet eiusdem beneficij Christi participes facere, tum continuis adhibitis precibus vt ipsius regnum adueniat, tunc certè plenum futurum quum expletus fuerit electorum numerus 1. Cor. 15. 24. tum omnibus sinceræ charitatis officijs, etiam erga extraneos, vt quodammodo cogantur ad conuiuium intrare Luc. 13. 14. vt & erga domesticos quidem sed foras eiectos, vt eos miseræ suæ sortis pudeat 2. Thess. 3. 14. erga illos ipsos denique à quibus crudelissimè vexamur Matth. 5. 14. quum ex prima Petri concione liqueat Act. 2. 37. non frustrà precatum fuisse Dominum pro ijs à quibus crucifigebatur Luc. 23. 34. & ex Pauli conuersione minimè vanas fuisse Stephani preces pro ijs fusas à quibus lapidabatur. Act. 8. 60. Nec aliter accipiendæ sunt preces Dauidis plurimis

Psalmorum locis aduersus inimicos suos cō-
ceptæ, exceptis tamen propheticis, quales e-
tiam nonnullæ apud Apostolum extant Gal.
5.12. & 2. Timoth. 4.14. quas valde cauendū est
ne temerè in exemplū trahamus, sedulo suos
discipulos, exemplo Helię abutentes, ea de re
admonente Domino Luc 9. 55. Sic etiam in-
telligendum est quod de vitando dissolutorū
hominum consortio præcipitur 1. Cor. 5.9. &
15.33. quum Iesus Christus ipse cum publica-
nis & peccatoribus cibum etiam sumpserit,
cuius rei rationem reddit Matth. 9.13.

Quàm inique nostri causa odio prosequamur Creaturas.

Ad res verò cæteras ad vsum nostrum cō-
ditas quod attinet, minimè sunt à nobis in
sese, vel propter se odio habendæ, quum res
sint bonæ diuinitus creatæ: qua in re tum à
fanaticis nonnullis peccatur quorum memi-
nit Apostolus. 1. Timot. 4.3. tū ab ijs qui lega-
lem ciborum distinctionem in vsum reuoca-
re studebant Col. 2.21. quorum hodie sunt nō
dissimiles nonnullis de quibus agitur Matth.
23.24. quibus religio fuerit flosculum odora-
ri: quum tamen hæc Sponsa vinum minimè
damnet, sed Sponsi sui dilectiones illi vt infi-
nitè præstantiores anteponat. Multò minus
igitur sunt res illæ nobis in sese diligendæ,
nec illis addicere mentes nostras decet, vt est
à nobis paulo ante explicatum. Immò quæ-
cunque nos ab eo quod Deo & proximo de-
bemus, auocant, sedulò fugere nos oportet,
ne parentibus quidē, vel vxore, vel liberis ex-
ceptis, quod odij vocabulo intelligitur, quū
omnia

omnia ſine exceptione Dei gloriæ & vocatio ni noſtræ poſtponere iubemur Deut. 33. 9.& Luc.14.26. Denique hæc illa eſt Sponſa mundo crucifixa ,& cui crucifixus eſt mūdus Gal. 6.14.mundo ſic vtēs vt eo nō abutatur.1.Cor. 7.31.& ſic intra mundum collocata,vt tamen non ſit ex mundo Io.17.11. & 16.

Epilogus recta rationis amoris & odij.

Hæc eſt igitur,Fratres,huius Sponſi noſtri erga nos ſuā Sponſam charitas , vnde noſtra ſalus oritur.Hæc eſt viciſſim dilectio qua diligere ipſum debemus , qua in re poſitum eſt electionis & ſalutis noſtræ teſtimonium 1. Ioh.4.10.Denique hæc eſt veri amoris & odij norma in quibus ſita eſt vitę Chriſtianæ ſumma.Hanc viam tribuat nobis Dominus vt & bene nouerimus , & conſtanter teneamus: quod , vt & cætera omnia nobis ad ſalutem neceſſaria. his verbis ab ipſo poſtulabimus.

Omnipotens
Deus &c.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA QVARTA.

Auxilium nostrum sit à Domino, &c.

Quod sequitur extat in Cap. 1. vers. 3.

3 Ob odorem vnguentorum tuorum optimorum, nomẽ tuum est vnguentum effusum, idcirco te puellæ diligunt.

Sicut vnguẽti fragrantia odorantis desiderium excitat: ita eius præstantiæ consideratio qua Sponsus hic excellit, accẽdit in Sponsa penitius illũ cognoscendi ardorem,

Quæcunque in hoc cantico continẽtur, eò summatim referenda sunt, vt inde discamus, animam omnem piam ac fidelem, quin & ipsam vniuersam Ecclesiam, ita in mundo versari, vt interim toto corde feratur in cœlos, & hoc vnum cogitet ac concupiscat, vt tota quàm arctissimè illi adhæreat, Iesu Christo videlicet, in quo situs est omnis ipsius thesaurus. Quare suum hoc ingens desiderium Sponsa tam clarè priùs testata, nũc addit eò sese non temere adductam, vt cuncta quibus homines hîc detinentur, præ illo quem vnicè amat, aspernetur, quoniam, inquit, nihil illo fragrantius reperiri potest, cuius suauissimis odoribus, tum ipsa, tum illius comites captæ sunt.

Quale fuerit sacramentale suffimentum Iesum Christum de-

Est autem nobis in primis obseruandum, Sponsam, in ista similitudine, precipuè rationem habuisse vngentorum quæ sub lege fuerunt diuinitus instituta. Etsi enim aromatum

tũ vſus inter gẽtes orientales ferè omni tempore freque̅tiſſimus fuit, vt ex hiſtoriis, tum ſacris, tum prophanis patet: tamen Spõſa hoc in loco nihil vulgare cogitat, ſed ad ſacrum illud oleum mentem erigit, ex terrenis odoratis ita conſtitutum, vt tamen minimè ex hominum inſtitutione, ſed Dei ipſius præſcripto ſpeciatim componeretur. Exod. 30. 23. addita quoque ſeria prohibitione ne illius vſus vni ſacroſancto Dei cultui conſecratus, ad alias res vllas transferretur Exod. 30. 32. Erat igitur hoc vnguentum, Sacrame̅tum ab alijs odoriferis mixtionibus diſtinctum, haud ſecus quàm aqua Baptiſmi à communi diſcriminatur, & panis ac vinum, quibus in ſacra Domini Cœna, à pane atque vino communibus, quod ad vſum videlicet, diſcernuntur: rebus illis alioqui in priſtina ſua materia & natura permanentibus. Hoc igitur Sacrame̅tum (vt & cętera) ſigno ſignificante, & re quę ſignificabatur ſacramentali ratione coniunctis, conſtabat, id eſt eo ſignificationis genere, quæ rem ſignificatam mentibus non tantùm repræſentaret verùm etiam certo confirmaret idipſum verè ac reipſa præberi & tradi animæ fideli, quod eo ſigno externis ſenſibus patebat. Inde fit, vt in Sacramentis, ſæpiùs rei ſignificatæ, tum nomen tum effectũ ſigno attribuatur, veluti quum externus Baptiſmus peccatorum noſtrorum ablutio dicitur Act. 22. 16. quod propriè competit internæ ablutioni, quæ fit à Spiritu Dei 1. Pet. 3 21.

ſignans, ad quem Sponſa intenta eſt.

& Matt.3.11. Sic quoque in Cœna Domini, pani & vino tribuitur ab ipſo Chriſto, corporis pro nobis traditi, & ſanguinis pro nobis effuſi appellatio. Pari ratione idem ipſe Ieſus Chriſtus, quem Solomonis ætate ſacri illi odores deſignabant, & qui ſimul eſt, vt mox exponemus, vngens & vnctus præ conſortibus ſuis, Pſ.45. vnguentorum nomine hoc in loco deſignatur, idque numero multitudinis: cuius rei cauſam mox explicabimus. Sic igitur ſtatuendum eſt, Sponſum hunc Eccleſiæ & cuiuſuis animæ fidelis, illum eundem eſſe nec alium quẽquam de cuius vnguentorum redolentia ſermo habetur, vt qui Apoſtolo teſte Col. 2. 17. ſit quaruncunque vmbrarum legis, corpus & ſubſtantia, cuius excellens præſtantia & infinitas numero multitudinis per hæc vnguenta ſignificabatur.

Hoc ſuffimẽtũ vni Sponſæ bene olere, & in Chriſto conſiderandũ ſecundùm vtramque naturam, non eadem tamẽ ratione.

Cæterùm quũ Ieſus Chriſtus verus Deus & verus homo ſit, planè conſtat illum, habita Deitatis ratione, vnicum eſſe fontem, ac veram omnium bonorum & omnis excellentiæ, quantamcunque animo concipere poſſumus, ſcaturiginem, cuius odore perfuſę ſunt initiò res omnes creatæ, quatenus in illis quaſdam bonitatis ac pulchritudinis ſuæ notas inſculpſit. Sed hîc agitur de pigmento quodam peculiariter Sponſæ ſuę, cæteris hominibus in illa ſua impuritate & fœditate iacentibus, impertito. Odores igitur iſtos Chriſti in ipſius perſona, Dei & hominis, id eſt, ſi-

eſt, ſimul ac coniunctim conſiderabimus, ne naturas ipſas cum Neſtorianis ſeparemus: ſic tamen vt illos ex Filij Deitate aſſumente, in ipſam aſſumptam humanitatem emanare nouerimus; per quam huic Sponſæ adhæret, vt eam faciat horum donorum, ac demum etiam gloriæ & vitæ illius æternæ participẽ. Itaque Apoſtolus hac de re diſſerens, nõ ſimpliciter ait Ieſum Chriſtum mediatorem eſſe inter Deum & homines: ſed cũ nominatim hominem appellat, non quaſi ſuo quodam modo non ſit etiam ſecundùm diuinam naturam inter Patrem & nos mediator, teſtante rectè quodã ex veteribus, neque Deitatẽ Chriſti abſque humanitate, neque humanitatem abſque Deitate mediatricem eſſe: ſed quòd interuentu humanitatis, qua nobiſcũ coniungitur, hoc mediationis beneficium ad nos pertineat, vt ad Deum vſque conſcendere & vitam æternam inde conſequi valeamus. 1. Timot. 2. 5. & Heb. 2. 14. Hoc ipſum igitur Ioannes ſpiritum vocat, Chriſto abſque menſura datum Ioh. 3. 34. quod illa columba quæ in Baptiſmo ipſius apparuit, repræſentabat, Hoc, inquam, illud eſt, quod nunc à Sponſa vnguentorum vocabulo deſignatur, qua loquendi formula Ieſaias quoque vſus eſt vt quodammodo videri poſſit huius loci interpres, Ieſ. 61. 1.

Prima Sacramentalis ſuffimenti conformatio cum Chriſto.

Cęterùm in omni Sacramento requiritur certa quædam inter ſigna & res ſignificatas analogia ſiue conuenientia: quam ob cauſam

Dominus, ſub nouo fœdere, ablutionem ſpiritualem peccatorum ac macularum noſtrarum deſignare volens, aquæ ſignum in baptiſmo adhibuit: & vt nobis oſtenderet vnde ſit nobis æterna vita haurienda, panis & vini ſigna vſurpauit: quamobrem neceſſe eſt vt ſimilis quoque cõgruentia in hoc Sacramẽto inueniatur. Eſt igitur in primis obſeruandum, ſicut huius conficiendi pigmenti, non homo quiſpiam ſed Deus ipſe auctor fuit, ita gratias iſtas in Chriſti humanitate cõſiſtere, quatenus illam æternus ille Dei Filius ex ſobolis Dauidicæ, virginis videlicet Marię ſubſtantia, atque adeò ex ipſius Adami generis propagatione, in vnitatẽ perſonæ aſſumpſit. In quo, inquam, Adamo, natura hæc humana imaginem illam Dei perdiderat, & à peccato ſubacta fuerat Rom. 7. 14. Natus eſt tamen ex illa Chriſtus ſecundùm carnem, abſque vlla peccati labe, vtpote ex Spiritu ſancto in Virginis vtero conceptus, & inenarrabilibus donis ſanctiſſimis ornatus, vt eſſet ornatiſſimum ac omnibus modis ſacrũ perpetuúmque ipſius animæ domicilium: animæ, inquã, ſanctiſſimæ, & ſupra cæterarum rerum creatarum modum integerrimæ, omnibúſque numeris abſolutiſſimæ: deníque vt in ea humanitate perſona filij Dei vnici, coeſſentialis ac coæterni, tanquam in auguſtiſſimo, & ſimul ſibi perſonaliter vnito templo, perpetùo exiſteret, ex ipſo temporis momento quo concepta eſt in vtero Virginis ac proinde

Ieſus

Iesus Christus verè Deus & homo sit, & quidem iustorum iustissimus, sanctorúmque sanctissimus.

Deinde & illud animaduertendum est, sicut mistura diuini istius legalis vnguenti ex naturis per se terrenis constabat, sic harum gratiarum siue horum donorum nomine, quorum humana in Christo natura sedes ac veluti vas quoddam existit, & quæ hoc in loco à Sponsa celebrantur, minimè intelligi quæ sunt in ipsa Iesus Christi Deitate essentialia: qua in re seipsos fallunt Eutychiani, sed qualitates in Christi humana natura à natura diuina creatas: vnde nos qui membra ipsius sumus, eas alioqui recipere nulla communicatione siue paticipatione possemus, Eph. 2. 21. Sunt autem, ista, fateor, ardua mysteria, & humanam omnem sapientiam exuperant Eph. 5. 32. & 1. Timot. 3. 16. sed quum iampridem in hac Ecclesia res istas diuinas audierimus, excusare tarditatem nostram nequimus, nisi sensus planè formatos & ad hæc intelligenda exercitatos habeamus, Heb. 5. 14. Quum itaque Deum Sapientem, Iustum, Bonum esse asserimus, sic nos quidem pro intellectus nostri captu loquimur: sed ad ipsius Dei naturam accommodatiùs erimus loquuti, si Deum esse ipsammet Sapientiam iustitiam, ac bonitatem dixerimus, ita nimirum vt sit illud ipsum, quod verè est, non à quotalis esse dicatur, quod rebus creatis conuenit; Sic enim Dei naturam graphicè ex-

Secūda Collatio.

primeremus. Vnguenta verò siue pigmenta vocamus hoc loco effecta ex illa Deitatis prę̄stātia in caput excelcissimi ac æterni nostri Pontificis effusa, vt in Psal. 133 adūbratur.

Tertia collatio. Tertiò, vt rectè congruentiam illam signorum cum rebus significatis intelligamus, maximè nos expendere decet, quamobrem dotes illæ quibus à Filij Deitate imbuta est Christi humanitas nomine vnguentorum appellantur. Dico igitur primum id fieri, quòd vt vnguentis odoriferis foetor ex qualibet re corrupta ac putrida expellitur, ita summa illa atque perfectissima vis quæ humanitati mediatoris nostri, & iis omnibus quæ nostri causa gessit indita est, omnem corruptionis nostræ graueolentiam, ac quicquid sordium inde manare potest, apud Deū abolet, vsque adeò vt nos ipsi accepti gratissimíque fiamus in illo quem vnicè diligit, & in quo vno acquiescit Matt. 3. 17. & Eph. 1. 6. Adhæc, vt suffimenta odorata sursum feruntur, licet proximè adstantium sensus afficiant: ita Iesus Christi dona, & vis illius Spiritus viuifica in nos defluens, vt vera nos suauitate mirabiliter recreet: quemadmodum illa ex alto prodeunt sic supera repetunt, & nos sursum subuehunt. Idcirco Christus, homo cœlestis, illa duplici nimirum ratione, ab Apostolo vocatur. 1. Cor. 15. 48. & docemur patrem precantes addere, *qui est in cœlis*, quò videlicet tanquam spei quibusdam alis, sursum erigimur, ac si cum illo iam in illis

cœlestibus

cœleſtibus locis, conſideremus: ad quæ properat hæc Sponſa, & nos omnes illa duce cõtendimus Col. 2. 6. Et hæc quidem tria illa ſunt hoc loco in primis obſeruanda. Nempe ſignum illud legale, ſacris pigmentis ſenſui corporis perceptibilibus conſtans. Deinde, res ipſæ vnguentis iſtis deſignatæ, vires videlicet illæ ac virtutes perfectiſſimæ, quibus Ieſus Chriſtus plane inſtructus eſt. Ac tandem ſignificatarum rerum cum ipſis ſignis congruentia ſiue proportio.

Solus igitur Ieſus Chriſtus eſt vas illud, quo ſanctiſſimi & præſtantiſſimi odores iſti continentur: At enim hæc omnia vana eſſent, & quod ad Sponſam attinet, inutilia, ſi ad ſolius vaſis vtilitatem intra ipſum concluderentur. Ideo minimè dixit illa, *Ob optimos tuos odores*, ſed, *ob odorem vnguentorum tuorum optimorum*: Neque ait, *Nomen tuum eſt tanquam vnguentum*: ſed, *nomen tuum vnguentum effuſum*. Agedum igitur odorem iſtius vnguinis ſuauiſſimum, & eos in quos effuſus dicitur, propius perpendamus. Pater profectò Domini noſtri Ieſu Chriſti primus eſt ac præcipuus, ad quem horum vnguẽtorum vapor aſcẽdit, tam ipſi gratus ac ſuauis, vt eo fuerit in æternum iis recõciliatus, quorum cauſa ſeſe gratiſſimus ille obtulit ſuauis fragrantiæ victimam, vt inquit Apoſt. Eph. 5. 2. Quod enim Moſes ſacrificiis legalibus hoc paſſim tribuit, eatenus illis competit, quatenus erãt tantæ huius gratiæ figuræ: non quod in ſan-

Sacrum hoc ſuffimentum in primis apud Deum ſpargi oportuiſſe, vt eius ſuauitate delinitus, ipſum propitiũ haberemus.

guine taurorum aut hircorum vis illa propitiatoria, siue in totũ, siue aliquatenus inesset, Heb.10,4. Hinc illud Iohannis Baptistę, Ecce agnus ille qui tollit peccata mũdi, Ioh. 1.36. & illud Petri, Peccata nostra sustulit super lignum. 1.Pet.2.24. & illud Pauli, Quemadmodum per vnius hominis inobediẽtiam peccatores cõstituti sunt multi, ita per obedientiam huius, iusti constituti sunt multi, Rom.5.19. Obedientia quidem ad mortem vsque, mortem inquam, crucis. Phil.2.7.

Eundem suffitum pariter in membra Ecclesiæ, quam hæc Sponsa repræsentat, diffundi necesse fuisse, vt illis odoribus sapientiæ, obedientiæ & puritatis Sponsi, perfunderẽtur, gratuitæ imputationis beneficio.

Portò secundùm Deum Patrem ad quem ascendit hic suffitus effusa est hæc fragrantia, effunditúrq; quotidie in vnumquodq; Sponsæ Christi membrum, quemadmodum olim omnia sacra sub lege sanguine aspergebantur, Heb.13.18. quem ritum Petrus ad Christi sanguinem refert. 1.Pet.1.2. quam ob causam Angeli huius Sponsi natiuitatẽ, & huius vnguenti redolẽtiam mox actu ac re ipsa spargendam annuntiantes, ad quam hæc Sponsa iam inde ab ipsius Solomonis seculo anhelabat, non modò dixerunt natum esse eo die saluatorem, sed vobis (inquiebant) natus est hodie saluator. Iidémque cœlestes Spiritus epinicia lætissima præclaro illo hymno celebrantes, non modò cecinerunt gloriam tribuendam esse Deo in excelsis, sed etiam pacem atque beneuolẽtiam hominibus in terris exhibitam renũtiarunt. Hic igitur demum est suauissimus ille odor, auream illam & incõprehensibilem pacẽ conscientiis afferens,

quam

quam dare mundus non potest, Iohan.14.27. Rom.5.1. & Philip.4.7. idque merito: quandoquidem Iesus Christus vnus nobis factus est à Deo Patre Sapientia, Iustitia, Sanctificatio atque Redemptio, 1.Cor.1.30. vt qui non modò sustulerit quicquid faciebat vt Deo fœteremus, verumetiam earum sordium loco, nos, vt quodam suffitu, perfudit, iis omnibus quæ Deo Patri grata esse possunt. Primùm enim sincera ac perfecta Sapientia illius, in quo reconditi sunt omnes Sapientiæ atque Intelligentiæ thesauri, Colos.2.3. nobis per fidem communicata, ignorantia ac cæcitas quibus mens nostra obruitur, contectæ quasi euanescunt. Præterea peccatis nostris omnibus expiatis, per illius satisfactionem qui Iustus pro iniustis mortuus est, 1.Pet.3.18. ac demũ plena & integra omnium Dei mandatorum præstatione in eo inuenta, qui sese legi subiecit, Gal.4.4. vt nostra causa iustitiã omnem adimpleret, Matth.3.15: his, inquam, peractis omnibus, & nobis instrumẽto fidei imputatis, non tantum immunes euadimus ab omni iniustitiæ nostræ fœtore, verumetiã odore fragrantissimo obedientiæ fratris nostri imbuti, cõparemus, vt non tantùm morti eximamur, verumetiam quod præstantius est, æterna vita potiamur. Denique imputata nobis in eiusdem Spõsi persona perfecta naturæ nostræ instauratione, quũ fieri nequeat quin is qui nobis ipsum donat, omnia itidem nobis cum ipso largiatur, Rom.8.32: inde fit,

vt tot tantarúmque ſordium loco, quas nullo modo ferre poſſet Dei pura ac perfectiſſima ſanctitas, mundi, puri, elegantes apud ipſum in huius Sponſi perſona, atque adeò cœleſtibus odoribus imbuti, compareamus, tales in ipſo habiti, Eph.1.4.& 16.

Eſſe & aliud ſacri huius ſuffitus effectum, nempe ſanctificationẽ noſtri. Opera verò ſanctificatorum, non aliqua ſui dignitate, ſed quòd hoc ſuffitu perfuſa ſint, Deo bene olere.

Nunquid verò amplius? Sanè aliquid etiã amplius: nempe vis illa Spiritus Dei, qua initiò creati ſumus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, & quæ rurſum eandem in nobis tam miſerè deprauatam naturã, multò etiam pleniùs & efficacius in Ieſu Christo fratre noſtro ſanctificauit: qua de cauſa dicitur vnctio noſtra, 1.Iohan.2.27. Vis igitur illa, in eorum corda qui per hanc Sponſam deſignantur, & huic Sponſo adhærent, ſeſe inſinuans, huius ſanctitatis effecta in illis gignit, veterem illam noſtram ſpurcitiem ſenſim abolens, & nouam ac planè diuerſam indolem in nobis efficiens, Pet.1.23. vt quæ Dei ſunt velimus & faciamus, prout in nobis ſeſe vis illa exerit: Phil.2.13. vt peculiaria plurima dona prætermittã, quæ Spiritus ille, ſanctis prout & qua menſura libuit impertitur. 1.Cor.12.11. ex huius Sponſi veluti penu depromptа, Ioh 16.26. ſicuti ſacræ literæ locis pene innumerabilibus propoſito nobis nouæ generationis beneficio, teſtantur. Hinc eſt quòd Christianorum opera, propter Chriſtũ Dominum noſtrum in nobis operãtem, quoniam hoc ſuauiſſimum vnguentum redolent, Rom. 8.14, Deo grata acceptáque ſunt Rom.12.1. Inter

ter hæc autem opera excellit Diuini nominis inuocatio, de qua differens Propheta, & ad vnguentum istud mysticum alludens, Psa. 141.2. *Valeat*, inquit, *precatio mea pro suffitu ante te, & manuum mearū eleuatio pro vespertino sacrificio*: cuius etiam fit mētio Apoc.8.4. Inuocationem proximè sequuntur opera, quibus charitatem erga proximum testamur: ad maiestatem vtique ipsius Dei pertingentia, Act.10.4. & Phil.4 18. qua etiā ratione Sponsi nomen Sponsa cum effuso vnguento cōfert. Nam idcirco tum Sponsus iste, Christus id est vnctus vocatur, tum nos ab eo Christiani denominamur, id est ipsius salutari vnguine per regenerationem delibuti: vt & Iesus nūcupatur, quòd nos ab omnibus peccatorum sordibus afferat, Matth.1.21. Sed interim cauendum est in primis, nequid dignitatis operibus nostris attribuamus, quasi vel vllum satisfactionis locum vel præmium vllum iustitiæ mereantur. Hoc enim non aliud fuerit quàm sanctum hoc vnguentum fœditate longè maxime inquinare. Sufficiant igitur nobis aromata & verè digna merita vnius Iesu Christi in quo plenissimè consummamur, Col.2.10, quibus Deus ex mera sua gratia ac misericordia sancti sui Spiritus in nobis opera recipiat, & licet minimè commerita mercede remuneretur.

Exhortatio ad vitādum omnem saporem huic

Quid igitur facto opus est? nempe vt exemplum Sponsæ sequuti, nihil præter vnū Christum nobis bene oleat: Cætera verò,

purißimo suffitui oppositum.

quatenus quidem à nobis inquinantur, & conſpurcantur, tanquam fimum & ſtercora ducamus: quatenus illis quoque per nos eſt aliqua maculæ ſpecies inuſta. Quum enim Moſes ait Dominum propter hominis peccatum terræ maledixiſſe, cui prius in illius gratiam benedixerat, Gen. 3.17. ſatis apertè docet nihil in hoc mũdo exiſtere, cui notam aliquam maledictionis nõ impreſſerit: quod ipſa quoque experientia demonſtrat, & quò Paulus reſpicit, Rom. 8.20. Sed hoc in primis ex eo conſpicuum eſt, quòd homines, & ſeipſos, & cæteras res omnes, ad vſum ſui conditas, contaminare nõ deſinant: vt qui quandiu ſunt in hac vita ſuperſtites, illis ſicuti par eſt, id eſt ea qua decet veneratione, & bona conſcientia duce, ad Dei conditoris gloriam vti, nec velint nec poſſint. De rebus alioqui licitis & imperatis loquor, & quorum vſus eſſet legitimus, niſi illis abuteremur. Huiuſmodi ſunt, exempli gratia, labor ad hanc vitam comparatus, eſca, potus, veſtitus amor parentum & patriæ, & cætera huiuſmodi, in quibus ſemper aut exceſſus, aut defectus, aut turpiſſimũ illud vitium inuenitur, quod nimirũ ad Dei gloriam ſtudia noſtra minimè referamus. Quæ quum ita ſe habeant, quid tandem de iis ſtatuemus, quæ ex profeſſo contra Dei voluntatem patrantur, & quibus orbis terrarum intus & foris ſcatet? Faxis igitur Deus Opt. Maxime, vt ſatis tandem ſeriò tantam hanc ſpurcitiem agnitam deteſte-

ſtemur, & è contrario, ſuauiſſimum & pretioſiſſimũ hunc odorem nobis ab hac Sponſa propoſitum ſectemur, ex eburneis illis domibus manantem, quorum fit mentio Pſal. 45.9. & cuius fragrantia Sponſa ſeſe delibutã prædicat. Diſcite, igitur, Auari, quàm Deo pudeat & ſit abominabilis iſta veſtra ſpurcities, & pro eo quòd fugacibus iſtis diuitiis acquieſcitis, 1. Timo. 6.17. erectis ſurſum animis, ibi theſauros vobis parate, vbi puræ perennéſque vigent opes, Luc. 12.33. Diſcite, Ambitioſi, quanta ſit honorũ & dignitatum vanitas, quarum ſplendore faſcinamini. Et vos Helluones, quibus nil præter vinum ſapit & qui ſolum culinæ nidorem ſectamini, quarum rerum finis & terminus eſt fœda annihilatio, 1. Cor. 6.13. Diſcite tandem aquam illam viuam inquirere, quæ ſola refrigerium in vitam æternam tribuit, Ioh. 4.14. Verum illum panem vitæ, Ioh. 6.27. vinum illud denique, cor hominis vera ſolidáque lætitia exhilarãs. Zachar. 10.7. Scortatores denique, infames animæ, & bipedes porci, quouſque tandem in iſto fœdiſſimo turpiſſimarum voluptatum cœno volutabimini? At nos, dilectiſſimi Fratres, ſi qua nos cura verę vitæ tãgit, & illius veræ lætitiæ quæ deſcribitur Pſ. 23. & 138. & 36. 9. & vaniſſimis ac turpibus illis deliciis, Pſal. 17.14. & alibi paſſim connumeratis, ex diametro repugnat: attendamus, amabò, iis quæ ex altero Solomonis libro, Eccleſiaſte videlicet, didiciſſe nos oportet.

Quomodo cunctos fideles esse virgines oporteat, & quãtus iam olim error in Ecclesiam hac in re irrepserit.

Attendamu, inquam, estis huius Sponsæ verbis *Idcirco te puellæ diligunt.* Age igitur cuncti tum viri, tum mulieres, tum iuuenes, tum senes, harũ virginum cœtui, cuius etiam Apoc.14.4. fit mentio, sedulò nos adiungamus, vel potius omnes, istius loquẽtis & nos inuitantis Sponsæ personam puram & immaculatam sustineamus, quãdoquidem hoc elogio Ecclesiam totam Apostolus exornat 2.Cor.11.2. Nec enim agitur hoc in loco de corporis virginitate, in qua sanè per se considerata Dei regnum non magis situm est quàm in cibo vel potu, 1.Cor.7.36. & Rom. 14.17. sicuti neq; ex coniugio vlla cuique maior accedit sanctimonia in eo posita, vt siue coniugati siue cœlibes simus, purã & castam vitã exigamus. Nihil igitur hæc Sponsæ verba faciunt ad virginitatem corporis coniugio oppositam, sed de pudicitia & castitate spirituali intelligenda sunt, omnibus impuris affectibus & actionibus carnis seu veteris hominis, vt Scriptura loquitur, repugnãtibꝰ, quæ omnia nisi abnegemus, & patiamur à Dei Spiritu sensim in nobis aboleri, sed è cõtrario in his peccati sordibus permãserimus, nihil nobis est commune cum Christo Iesu, & regno Dei, 1.Corin.6.9. Rom.8.9. Aberrarunt igitur à scopo qui cœlibatum eò vsque extulerunt, vt quandam omnium Christianarum virtutum epitomen esse censuerint, quorũ hyperbolis Satan, etsi contra illorum institutũ, tamen adeo efficaciter abusus est, vt

praua

praua religione mortalibus iniecta, votísq; temerariis exortis, ipso frustra reclamante Apostolo, 1.Cor.7.35. Ecclesiam tandem in Sodomam atque Gomorram transformarit, tum per impurum illum clerum Romanum, etiamnum hodie & à multis seculis, tum per cloacas illas impurissimas monachorum & monacharum, quorum detestanda fœditas in cœlum ipsum vsque perfertur. Hæc autem nihil ad illam corporis virginitatem de qua hîc agitur pertinere vel ex eo constat, quòd huiusmodi cœlebs vita, fuit Solomonis ætate vsque adeò incognita, vt si quis filiam innuptam retinuisset, probrum familiæ suæ conciliasse videretur. Deinde si de virginibus huiusmodi locum hunc intelligamus, excludendi fuerint vtique ex hoc cœtu præstantissimi quique & præcipuum in illo locum obtinētes, Abrahamus nempe, Isaacus, Iacobus, Iosephus, denique patrum primores, & quotquot magni nominis homines in Ecclesia ante Domini aduentum extiterunt: immò & ipse Petrus inde fuerit abigendus, quem tamen nonnulli Ecclesiæ caput fuisse contendunt, Matt.8.14. cæteríque itidem Apostoli & fratres Domini, 1.Corin.9.5. atque adeò Paulus ipse si plerisque creditur veteribus claris interpretibus, Philip.2.20. Sed ad rem. Sponsa paucis istis verbis tria nos docet magnopere obseruanda. Vnum, si Christi consortes esse volumus, oportere nos Virgines esse, id est peccatum in nobis aboleri, ne

nobis dominetur, immò quemadmodũ Deus noster sanctus est, ita nobis quoque toto affectu sanctitati studendum esse, mortificanda membra nostra terrestria: Christum denique imitandum, vt sicut ille incessit ita & nos incedamus, Col.3.5. Eph.5.1. & 1.Ioh.2.6. Alterum, animaduertere nos sollicitè oportere quo medio ab impuritate nostra ad puritatem illam transeamus, illo videlicet suffitu siue vnguento quo totus madens Sponsus suam Sponsam perfundit, dans nobis vt credamus, Phil.1.29. & Eph.2.8. & vt velimus atque perficiamus pro ipsius gratuita beneuolentia. Phil.2.13. Tertium, attendendum esse nobis quisnam sit istius vnguenti in corda nostra effusi præcipuus effectus: amor ille videlicet quo Deũ vicissim prosequimur, amori huius mundi ex diametro repugnans, & virginearum lampadum illarum flamma, quarum fit mentio, Matth.25. id quod etiam maximè inculcatur ab ipso Iesu Christo vltima illa concione quam moriturus habuit apud discipulos suos, & qualis est a Ioãne tota prima ipsius canonica epistola descriptus.

Summa eorum quæ hoc tertio versiculo comprehenduntur.

Itaque vt paucis omnem à me habitum sermonem concludam, habemus in hoc tertio istius Cãtici diuinissimi versiculo descriptã, totius veræ doctrinæ Christianæ summã: ex quo tum veram illam Ecclesiam ab adulterina discernere possimus: quarum illa tota ab huius Sponsi gratuita benignitate pẽdet, hæc verò vel in totum, vel ex parte sibi salutem

tem ſuam tribuit: tum etiam teſſeram certiſſimam ac perpetuam diſcere queamus verè Chriſtianorum: in quibus vt cenſeamur, non ſatis eſt vnguento Euangelij perfundi, ſed præterea requiritur vt intus imbuamur ſanguine Sponſi & Spiritus ſanctificationis virtute, 1.Pet.1.2. veram fidem bonorum operum teſtimoniis confirmemus, vt in nobis adimpleatur quod ſcriptum eſt Pſa.133.id eſt, vt illo pretioſo vnguento, quo vnctum eſt caput illud noſtrum Ieſus Chriſtus ad nos vſque prolapſo, eum diligamus ſicuti nos ille prior dilexit, Eph.5.25. tandem illo vltimo die reipſa & pleniſſimè æterna ipſius gloria in cœleſtibus replendi, Cui in vnitate cum Patre ac Spiritu ſit laus & gloria ſempiterna.

Amen.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA QVINTA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino,&c.

*Quod ſequitur extat in Cap.*1.*verſ.*4.

4 Trahe me, curremus poſt te. Quum Rex nos introduxerit in conclauia ſua, exultabimus & lætabimur in te. commemorabimus tuas dilectiones magis quàm vinum.

Vocabuli trahẽdi quãtum pondus & quanta ſit hominis qualis quidẽ naſcitur naturæ aduerſus Deum & ipſius veritatem repugnantia.

HActenus audiuimus ardentiſſimum Sponſæ deſiderium,animo defixę in illius ſui Sponſi præſtantiam: cuius æternam & beatam coniunctionem vehementiſſimè concupiſcit. His autem nullo modo videtur conuenire, quod nunc adiicit, efflagitans vt ab ipſo trahatur. Eos enim qui ſponte properant qualis eſt hæc Sponſa, quam veriùs volare non incedere diceres, quid opus eſt trahere?quorſum equo in curſum effuſo calcar addere? Hoc enim nõ niſi tardis & ignauis conuenit,ac multò etiam magis reſiſtentibus & calcitroſis: quod huic certè Sponſæ tribui niſi maxima cum iniuria non poteſt. Quamobrem diligenter expendenda eſt huius verbi *Trahere* interpretatio, vt inde non mediocrem vtilitatem percipiamus. Primum itaque fatendum nobis eſt, ſi quando verè

bona

bona, id est ad Dei gloriam tendens sicuti par est animos nostros subeat cogitatio, istud nequaquam ex nobis, quales nati sumus, oriri. Nihil enim in hac hominis natura reperiri potest præter superbissimam ac peruicacissimam rebellionem, donec Dei Spiritus tenebras in primis ex mentibus nostris abigat, quæ neque possunt neque volunt ex sese quæ Dei sunt cogitare, 2. Cor. 3.5. ac demum peruersitatem voluntatis nostræ corrigat, ipsi Deo, & omni verè bono inimicæ Rom.5.10.& 8.7. Apostolo præterea testante Eph. 21. non solùm nos esse saucios sed omnino in offensis & peccatis mortuos: & quodam huius Cantici vetere interprete, rectè scribente, duo esse in nobis diuinitus purganda, intellectum vt moueat, voluntatem vt velit.

Duplex error perniciosissimus illi doctrinæ oppositus.

Duo sunt igitur nobis hic cauenda præcipitia. Vnum, eorum qui ignorantes primi hominis lapsus grauitatem, quo, ne iis quidē exceptis qui adhuc in vteris matrum latent, omnis illius soboles comprehenditur, existimarunt hominem intellectuali vi ac naturali iudicio præditum, non in aliū vsum egere lege Dei scripta, quàm vt pleniùs ac meliùs voluntatem conditoris sui cognoscat: haud secus ac puero boni ingenij bono præceptore opus est, & vt pura charta quæ quicquid inscribitur vltro recipit. Alterū verò eorum est qui nos tanquam claudos pedibúsque infirmos esse somniant, quibus duntaxat aliquo

fulcimento ad rectè incedendum ſit opus. Et hæc eſt hodie illorum ſophiſtarum quibuſcũ contendimus ſententia, cócedentium quidẽ, nos gratia Dei egere, quæ nos, propter infirmitatem illam naturalem ex corruptione hæreditaria in genus humanum propagatã, & anteuertat & comitetur: ſed ita vt gratiam illam contendant eſſe veluti ſcipionis inſtar, vnde ipſi poſtmodùm merita quæ imaginãtur eliciant. Horum igitur primi, ſupernaturalem Dei gratiam funditus tollunt, quæ tamen eſt noſtræ ſalutis baſis præcipua, quapropter meritò iampridem exploſi ſunt ac damnati. At poſterioris erroris fautores, liberum, quod vocant, naturæ arbitrium cum Dei gratia copulantes, alia quidem via, in eãdem tamet erroris grauiſſimi voraginem præcipites ruunt. Tam enim in Deum peccat iſtorum quàm illorum dogma, quoniam è contrario fatendum eſt ac palàm teſtandum, ſola & prorſus vnica Dei gratia & miſericordia nos inire ſalutis iter, non quæ debilem noſtram iuuet naturam, ſed quæ ipſius peruerſam qualitatem immutet, vt ex tenebris ad claram lucem pergamus, Act.26.18. & Eph 5. 8. & quæ nos ex morte ad vitam traducat Eph. 2. 1: quam gratiam qui eo vſque non agnoſcit, neque adhuc nouit quid ſit Euangelium, neque hæc verba Domini intelligit ex Ioh. 6. 44. Nemo venit ad me niſi Pater traxerit eum. Atqui, iſtud eſt (inquiunt illi) ex hominibus ſtipites facere, aut illos in ſaxa trans-

transformare, intelligentiæ nimirum & voluntatis vsu spoliatos: quam sanè conclusionem falsò ac ineptè ex doctrina nostra extorquent. Nouimus enim per Dei gratiam primum hominis lapsum, neque mente neque voluntate illùm priuasse, quibus facultatibus adhuc à bestiis distinguitur: tantùm abest vt hominem ligneum aut saxeum statuamus, licet scriptura passim cor hominis nondum regenerati lapideum vocitet oppositum carneo, id est quod Dei gratia maceratum sit ac emollitū. At quod ad saluificam veri Dei notitiam attinet, id est ad doctrinam Euangelicam, quæ est Dei potentia ad salutē omni credenti Rom. 1. 16. affirmamus illam nobis neque in totum, neque vlla vel minima ex parte, à carne & sanguine, id est naturali intelligentia qua præditi nascimur, patefieri vel oblatam admitti: sed necessario oportere vt illam nobis Filius reuelet Ioh. 1. 15. Matt. 16. 17. minime id quidem quasi nobis videndi facultate præditis, duntaxat sit opus, aspectabile obiectum oculis subiicere: Verùm quod necesse sit vt Deus ipse nobis oculos tribuat, id est secūdùm Apostoli phrasim Eph. 1. 18. illuminet oculos mentis nostræ antea cōfossos ac cæcos penitus, ad cernendā salutis notitiam. Idem quoque de voluntate plane peruersa ac Dei voluntati repugnante, sentiendum esse affirmamus. Intellectum igitur nobis reliquum esse fatemur quidem, sed tenebris ignorantiæ obrutum & nullatenus

illius veræ ſcientiæ capacem: imò Dei veritatis hoſtem Rom. 8.7. Voluntate itidem præditi ſumus ſed malitia ac vanitate penitus auerſa. Ideo Dominus de prima iſta gratia differens, vocabulo regenerationis vtitur Ioh.3.3. quod primam originem ſtatus ac cõditionis vitæ ſpiritualis deſignat: quantum quidem ad duarum iſtarum facultatum nouas à gratia creatas qualitates, non autem quod ad ipſas facultates attinet. In ſumma quod Apoſtolus ait hominem ante primam hanc gratiam mancipatum eſſe peccato, eíq; penitus obnoxium Rom. 7. 14. & animalem hominẽ, id eſt ſua ipſius anima duntaxat viuentem, qualem ordine naturæ accipimus, minimè idoneum eſſe ad intelligenda quæ ſunt ſpiritus Dei, iſtud, inquam, de toto homine in illa ſua natura permanente, intelligendum eſſe, planè & abſque vlla exceptione aſſerimus.

Trahi nos opus eſſe quãdiu in hac vita degimus.

Tractus tamen huiuſmodi nequit huic Sponſæ conuenire, vt ex ipſius præcedente perſpicuo & minime fucato ſermone liquet, ſatis teſtante ipſam iam antea pertractam, atque adeò hac gratia ſupra nubes abreptam fuiſſe, cuius rei certiſſimum argumentum eſt vehementiſſimus ille vlteriùs progrediendi affectus. Quare ijs quę diximus hoc etiam addere par eſt: vt prior illa & noſtrã intelligentiam ac voluntatem immutans gratia, nobis eſt prorſus neceſſaria: ita non minus nos egere altero, imò & tertio, ac conſequenter perpetuo

petuo Dei fauore, vt ad extremum vſque halitum omnibus horis cunctíſque momentis vociferetur anima fidelis *Trahe me, Trahe me, inquã, Domine*: vſque adcò refractarij ſunt etiam qui obſequentiſſimi videntur, & ignaui torpent celerrimi quique. Has autem omnes gratias ex eodem fonte prodire neceſſariò ſtatuendum eſt, videlicet ex illa merè gratuita Dei noſtri liberalitate, qua mouetur ad perficiendum opus ſuum in nobis, non autem vt vlla merita noſtra quaſi debitor noſtris operibus factus, remuneret: ſed quod pari liberalitate tam in præſtando quàm in promittendo vtatur. Quamobrem diſtinctio illa operum, in ea quæ fidem præcedunt & à ſophiſtis præparatoria dicuntur, & illa quæ fidem ſequuntur, vnde merita condigni fabricantur, eſt proculdubio exquiſitum Satanæ artificium, quo vix aliud magis idoneum potuit ad perdendos homines excogitare facile ſibi ad perſuadẽdũ pronos, ſe meritis aliquibus Deum ſibi obſtrinxiſſe. Atqui prorſus alia, immò repugnans eſt Apoſtoli oratio Rom. 7. 25. qui reliquias corruptionis in ſeſe adhuc vigentes ſentiens quantumuis regenerato, quum in hos clamores erupiſſet. Miſer ego homo quis me liberabit ab iſto corpore mortis! ſuos poſtea labores minime iactat, ſed gratias agit Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, teſtatúrque alibi, etiam ſi certus eſſet brauij ſtrenuo cuique ac fideli athletę promiſſi 2. Timot. 4.7. minime idem

velle reperiri ſua iuſtitia ornatus quæ ex lege eſt: ſed illa quæ eſt ex fide in Chriſtum. Itaque Leonis primi hoc nomine ex priſcis epiſcopis Romanis, veriſſima eſt hæc ſententia, qua omnia venalium veniarum ſeu Indulgẽtiarum figmenta, à prauis ac degeneribus illius ſucceſſoribus excogitata, his verbis penitus euertit: Iuſti, inquit, nequaquam coronas donarunt, ſed acceperunt: & ex fidelium conſtantia prodierunt exempla tolerantiæ, non autem dona iuſtitiæ. Non igitur ſufficit donum illud Dei quo deſiderium ipſius cognoſcendi & colendi in nobis creat: niſi etiã inceptis faueat, & vires nobis addat quibus id pro noſtro modulo poſſimus, alioqui mox in fumum abituro omni noſtro conatu: adeò vt poſterior conditio noſtra deterior priore ſit futura: cuius rei, Eheu, quàm multis abundamus etiam recentibus exemplis, quibus ſatis ſupérque cõformantur quæ ſcripta ſunt Matt. 12. 45. & 2. Pet. 2. 20. Itaque quum Sponſa inquit *Trahe me*, perinde eſt ac ſi diceret, Eheu mi Sponſe, adeóne parui facis meos clamores, vt nihilo magis te mihi propinquum fieri experiar? Hoc igitur eſt deſiderium illud ingens quo ardebant Patres 1. Pet. 1. 11. & cuius meminit Chriſtus Matt. 13. 17. Ergo, inquit Sponſa, oportet vt ipſe propiùs ad te accedam: verùm licet totis illis viribus quas tu ipſe mihi ſuggeris iſtuc contendam: videor mihi tibijs carere, tam ſunt tardæ & torpidæ. Euolarem equidem ad te libens,

bens, ſed debiles alas ægrè traho, Attrahe me igitur, obſecro. Niſi enim (vt ait quidam) ad me acceſſeris, non attrahar: niſi me attraxeris, ex hoc cœno nunquam extrahar. Et his certè precibus quotidie nobis eſt opus: licet verè iactare nos poſſimus Spóſum nobis pro ximiorem factum, quàm Solomonis tempore, & ante oculos noſtros depictum Gal. 3. 1. cuius Spiritu trahimur, per quem ad Patrem peruenitur, vt vera ſit cuiuſdam ex Patribus hæc ſententia, Nos per Chriſtũ ad Chriſtum peruenire.

Deinde & illud obſeruandum eſt, has preces conuenire non tantùm ſingulis Eccleſiæ membris, prout & ſpiritu ſunt infirmi, & voluntate debiles: ſed ſingulis etiam Eccleſijs totis, atque adeò Eccleſiæ catholicæ id eſt vniuerſaliter conſideratę: perpetuis & hæreticorum ſanam doctrinam oppugnantium rixis vexatæ, & offendiculis variis, tanquam maculis deformatę, vt omnes hiſtoriæ veteres oſtendunt. Iſtud verò ſeriò expendere oportuit tam eos qui, vt olim Cathari, & noſtris temporibus Anabaptiſtæ, perfectionem ſomniant in vnoquoque Eccleſię membro: quàm eos qui apud ſe imaginantur ideam quandã Eccleſiæ Catholicæ, carentem hoc ſeculo ruga & macula: quod ſpectrum poſtea, nulla ratione & nullo ſcripturarum teſtimonio freti, in Romana ſede collocant. Nec tamen hæ reſiduæ maculę obſtant quominus vera Eccleſia ſit velut armarium veritatis Dei, cuius

Hominis prauitatem tum in vniuerſo corpore Eccleſiæ, tum in ſingulis quibuſque illius membris perſpici.

fundamentum ſemper firmum & immotum permanet.

Quibus quaſi funibus Deus adſe Sponſam trahat.

Sed cum his vocibus *Trahe me* ſimul eſt arripiendus funis quo nos ille ſurſum ad ſe per trahit. Quid enim aliud fuerit quàm Deum ludificari, ſi petentes ab illo vt nos in altum attollat media nobis ad hoc oblata contemnamus? Funem autem vocamus in hoc argumento, ſacram & ſynceram Euangelij prædicationem. Eſt enim Euangelium Spiritus Dei ordinarium organum, quo mentes noſtras aperit vt attenti & intelligentes fiamus Act. 16. 14. quo nobis aures ad audiendum perforat Pſal.40.7. quo tribuit nobis oculos ad videndum Pſal.119 18. quo denique nos tãdem in omnem veritatem introducit Ioh.16.13. & ad extremum vſque corroborat: & hæc eſt omnium Chriſtianorum perpetua meditatio. Fruſtrà igitur diuini verbi contemptores vociferati ſunt *Trahe nos*, quod perinde fuerit ac ſi dicerent, fac Domine vt abſque anima viuamus, & abſque luce videamus.

Vnum ab altero viciſſim trahi oportere, vt vno eodemque curſu ad eandẽ metam contendamus.

Sed hîc fortaſſis quęſierit aliquis cur Sponſa *Trahe me* numero ſingulari potius quàm *Trahe nos* pronunciarit, quum mox de ſuis ęqualibus loquens dicat, *Curremus poſt te.* Sciẽdum igitur eſt Sponſam hîc nõ vnicam duntaxat perſonam, ſed fidelium vniuerſum cœtum vera fide præditorum repræſentare, cœtum inquam iam adultorum, alios ſubinde Sponſo ſecum aggregantium, quos hoc loco ſibi tanquam comites adiungit. Iſtos igitur,

licet

licet de se speciatim loquuta Sponsa, minimè tamen neglexit, quasi eorum oblita: sed eos vt adhuc tyrones siue neophhytos, exemplo suo docet quid eos facere deceat. Et hoc illud est quod eos facere zelus gloriæ Dei & charitas iubent, qui sunt in Ecclesia prouectiores, nempe aliis minimè rudioribus esse gratiæ Dei instrumenta, vt simul alij alios manū deducētes, ascendamus omnes ad sacram illam Dei ædem quò contendimus Ies. 2.3. quod quidem est præcipuè pastorum munus. Addit igitur Sponsa gregalibus suis sese adiungens *Curremus post te*, id est cursu te sequemur: quibus verbis indicat quo fine efflagitarit vt à Sponso traheretur: nempe vt non solum animosiùs incedat, sed etiam currat. Hic ergo carpitur ignauia ac desidia maximæ partis eorum qui tamen videri volunt expeditiores: in eo culpādi, quòd, prout sunt ignaui, dona non excolunt sibi diuinitus concessa, ex fide ad fidem progredientes, ac subinde gradum promouentes vt admonemur Psal. 84. 8. nec vnquam currendo defatigati Heb. 12.12. quò nos, exemplo suo impellens Apostolus, hortatur vt eorum quæ à tergo sunt obliti, & ad ea quę sunt à fronte respicientes, scopum versus ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu contendamus Phil. 3. 14. Idē etiam propterea vitam hominis Christiani alibi stadium esse inquit, in quo multi quidem currunt: vnus autē apprehendit pręmium: is scilicet qui non temere currit sed

ita opportunè vt præmium præripiat, 1. Cor. 9.24. Quod si reprehendendi sunt qui minus gnauiter currunt, multò minus excusandi fuerint qui pedetentim & testudineo gradu ambulant. Quid verò de illis censendum qui non modò non procurrunt sed etiam retrocedunt? Quid de illis qui non solùm pedem referunt, sed etiam terga vertẽtes, suis instar lutum repetunt, & canum more ad vomitum redeunt? 2. Pet. 2.22.

Huius doctrinæ vsus, aduersus ignauos refractarios, & diuerticula quærentes.

Quid autem ad hæc dixero, Fratres? id sanè quod res est. Quamuis Dominus, mira quadam ac continua suorum beneficiorum serie, & tolerantia singulari, non desinat nos inuitare, allicere, vrgere, nos inquam qui hic presentes astamus adeò sonora voce aduocare, vt ab vltimis vsque orbis terrarũ oris sit exaudita: non ausim tamen affirmare apud nos quenquam reperiri qui ad cursum seriò sese accingat. Sed, Eheu, tardorum, ignauorum, surdorum, claudorum, frigescentium, imò etiam retrocedentium plus satis. Testis est mihi Deus quanto cum dolore ista commemorem, quæ nunc videmus cum ijs quæ paulò ante vidimus conferens, quum inter nos sese prodebat is zelus & cõcursus ad audiendum Dei verbum, vt illis nulla Pastorũ quantumuis magna diligentia satisfaceret: non absque vbere fructu tum in reipublicę administratione, tum in priuata disciplina; quum, inquam, vbique priuatorum ædes ac singulorum familiæ Psalmis & Canticis ad Dei laudem

personabant, quum vicinus à vicino doceba tur, scelera minimè dissimulabantur, peregrini blasphemias, cæteráque praua, velut ad vrbis portas, deponebant Geneuam ingredientes. Denique si fœlix illud tempus cum hoc nostro conferatur, currere cunctos ad Deum non ambulare dixisses: & Deus vicissim mirificè nobis opitulabatur, potentissimorum hostium rabiem, quanuis tunc feruentibus in pios odiis, & passim sæuientibus flammis, coercens. Nunc verò quales sumus, & quantum ab illis mutati? adeò quidem alij, vt vix nomen retineamus eius pietatis cuius solida apud nos substãtia vigebat. Nobis itaq;, nobis competit illa aduersus Galatas Apostolica increpatio, vt qui exorsi Spiritu, in carne desinamus Gal. 3.3. Quærit suum vnusquisq;. Auaritia ac diffidentia corda nostra expugnarunt, nullis legibus frænari potest luxus, ne nunc quidem, quum ad cinerem & saccum diuinitus vocemur. Ludi, scortationes, adulteria quoque in nonnullis nullum iam remedium admittunt. Denique non modò non progredimur sed etiam retrocedimus, ita sese gerentibus quamplurimis, ac siquis, ad currendum sese comparans, quo sit expeditior, pluribus sese pellitis stragulis oneret, quum potius oportuerit cuncta ad interiorem vsq; lineam vestem abijcere, siquid illorum nos remoraretur. Sic curis huius mundi omnes inuoluuntur, tantum abest vt ea meditemur quæ nos à mundo auertant ne cum ipso pe-

reamus: Deferbuit ardor ille quem potius magis ac magis exardeſcere oportuit. Quid multis moror? Ea inter nos apperet ſagina quæ nos per anguſtam portam ingredi nullo modo deinceps patiatur. Res certè miſerrima, & ſummè deploranda, cuius vos in nomine Domini cum lachrymis admoneo, dum adhuc ille clamat, Venite ad me: & illius ſi non prorſus patent at certè adhuc hiant fores. Alioqui, Fratres, maximo noſtro malo ſentiemus reipſa Dominum fuiſſe vitæ noſtræ inſpectoré, & quis tam cæcus eſt qui non illum animaduertat ſeſe aduerſum nos inſtruere? Tunc igitur clamantibus nobis quid aliud reſponſurum illum arbitramini, quàm quod vocatis ad conuiuium reſponſum eſt Matth. 7. 23? & ſtolidis illis virginibus Matth. 25. 10? In ſumma igitur vt ad noſtrum contextum reuertar, ſancti tanquam in mundo peregrinantes, profitentur hoc in loco, ſeſe ad ciuitatem illam properare cuius conditor & artifex eſt Dominus Heb. 11. 10. totis illis viribus fretos quas eis idē ille ſuppeditat, à quo ſurſum trahuntur.

Non ſatis eſt currere, ſed curſu præeuntem Sponſum ſequi oportet: & quinam in hac decurſione vitandæ anfractionum ſiue euagationes.

Sed hæc voculæ *Poſt te* nequaquam ſunt leuiter prætereundæ. Nam vt aliquo perueniās, currere minimè ſufficit, ſed primùm omnium recta via currendum eſt. Deinde in illa pergendum: & ita quidem vt neque ad dexteram neque ad ſiniſtram deflectas. Denique ad ipſum verum ſcopum quod propoſitum eſt contendendum, alioqui quò lōgiùs

giùs curritur, eò magis aberratur. Hęc autem omnia in vno Iesu Christo assequimur. Nam ab ipsius Spiritu oritur tum currendi desiderium, tum efficax ipsa rectè currendi facultas Phil.2.13. & ille ipse est via: immò & ipse omnis recti cursus scopus Ioh.14.6. Itaque si rectum iter nosse & errores omnes vitare, metam ipsam denique opportunè attingere volumus, necesse semper est vt ipse quidem præcurrat nos auten præeuntem sequamur. Quamobrem quotquot sibi ad vitam æternam diuortia perquirunt, id est Deum colunt prout ipsis in mentem venit, aut aliorum quorumcunque hominum inuenta tanquã ducem sequuntur, quantumuis & à multis seculis & à quamplurimis hominibus tutæ sint istæ semitę, & sese somnient nonulli istos tam diuersos calles tandem ad ipsam viam regiam concurrere, tandem sese frustra diu multúmque laborasse experiũtur, nihil aliud assequuti quàm quod prædicitur Esa. 29. 13. & Col. 2.8. Eiusmodi sunt hodiè qui sibi persuadent operum merita cum gratis imputata Christi iustitia consentire: frustra contrariũ tam sonorè vociferante Apostolo, tota ad Romanos & Galatas præsertim epistola. Itidem qui sanctorum defunctorum inuocationes cum officio mediatoris vnici Iesu Christi congruere autumant: qui essentialis ipsius corporis, in altaris, quod vocant, sacramento præsentiam conciliari cum ipsius Christ coirporis veritate, & eiusdem in cœ-

los aſcenſione, & ſecundo quem expectamus aduentu, poſſe, adhibito omnipotentiæ diuinæ fuco, imaginantur: qui denique vlla cõtradictoria ſimul eſſe poſſe vera ſtatuunt. Itaque tribus iſtis voculis *Curremus poſt te*, prauæ quæcunque religiones deſtruuntur: quarum Apoſtolus, eodem illo loco, nempe Col. 2. 18, tria notat genera. Vnum, earum quæ ex ſpeculationibus quibuſdam inanis ſapientiæ fuco illitis deducuntur: veluti ſanctorum mortuorum interceſſiones, quæ, aulici moris prætextu, fulciuntur, nempe quòd ad reges & principes abſque fautore & auctore quopiam vix cuiquam pateat aditus. Adhæc (inquiunt) ſi ſancti illi dum in his terris vitam agebant, gratia ac fauore apud Deũ valuerunt, multò magis valebunt cũ Deo in cœlos recepti. Mater verò cum filio in ſumma ſemper eſt gratia. Hinc & illud purgatorij foci fundamentum, quòd vel hîc vel in futuro ſeculo peccata ſuperſint expianda. Itẽ (aiunt alij) quum optimus quiſque reipublicæ ſtatus ad vnitatem maximè ſpectet, conſequitur in Eccleſiæ vniuerſalis adminiſtratione, vnum aliquod caput neceſſariò conſtitui oportere. Talia ſunt denique omnia huius farinæ commenta, eorum qui religionem ſibi ſuo arbitrio conſtituunt, iudicio nimirum humano, quod plane abnorme eſt, ea quæ extruere cupiunt metiti. Secundum genus vitioſæ religionis eſt craſſæ illius ſuperſtitionis fœtus, cuius falſiſſimæ abſurditates omnibus patent, iis exceptis qui ſtudio

clarissimam lucem auersantur, aut planè cæci sunt. Hinc omnibus seculis innumeri extitêre ritus, quibus homines in animum induxerunt peccata sua posse deleri, atque adeo ipsummet Deum reliquatorem effici: cuiusmodi sunt in Pseudoecclesia Romana nostri temporis, aqua illa lustralis, cera consecrata, globuli precatorij, peregrinationes religionis ergo, certa ratio vestitus, ingeminata signacula crucis, ritus deníque histrionici innumerabiles: nullo sensu, nulláque ratione, nē humana quidem, in Ecclesiam inuecti. Tertia falsæ religionis species ab iis orta est Apostolorum tempore, qui ceremonias iudaicas cum Iesu Christi Euangelio miscebant: in quarum locum successerunt hodie fatuæ traditiones infinitæ, quibus non modò obruta iacent Dei mandata, premuntúrque miserrima seruitute Christiani, verum etiam ipsius Christi euangelica gratia prorsus extinguitur: adeò nihil sani puríue istiusmodi erroribus superest, siue doctrinam siue Sacramenta consideres. Hoc autem omne est in genere deos alienos frustra sectari, licet plausibilibus titulis, ista defendi consueuerint: prætextu videlicet cultus diuini, auctoritatis ecclesiæ, antiquitatis, atque bonæ intentionis. Figmēmentis autem humanis omnibus semel explosis, solus hoc loco nobis Sponsus ille proponitur, in illa sancta & vnica doctrina sese intuendum, agnoscendum, sequendum præbens: quem Prophetæ primùm, prout tem-

porum opportunitates ac diſpenſationes tulerunt, ac deinceps Apoſtoli ab ipſomet miſſi & edocti, tum voce prædicarũt, tum ſcriptis, Spiritu Sancto dictante prodiderunt: ita vt illorum monumẽtis quicquam addere vel detrahere, ne Angelis quidem licuerit Gal.1.8.2. Ioh.10. quòd ei fundamento ſuperſtructa ſit eccleſia, Eph.2.20. & Apoc.21.14. Hoc idem paſſim & innumeris locis teſtatur ſcriptura, alioqui manca & infirma ad euertendas falſas doctrinas futura: quod quidem ſine blaſphemia proferri nequit. En igitur quale nobis percurrendum eſt ſtadium, & quod conſtitutum eſt præmium metam attingentibus. Cæterùm non ſolùm hic agitur de retinendis huius doctrinæ placitis quæ Chriſtiana fides vocantur, & toti Eccleſiæ audienda & credenda proponuntur: ſed in primis de morum & ipſius vitæ norma, ad quam ſingulorum cogitationes, deliberationes atque actiones ſunt dirigendæ: ſollicitè, nimirum quotidie petito ſancto Spiritu, quem vnum ducem nos dirigentem ſequamur, illum neutiquam anteuertentes, & nuſquam ex oculis amittentes eius mandata, vt dilucidè & copioſiſſimè docemur toto præſertim Pſal.1. & 119. Fœdè itaque lapſus eſt olim Petrus ſtatim ab ipſius egregia fidei confeſſione, auſus ſuo magiſtro quaſi prudentior præire, quo nomine tam grauiter fuit reprehenſus, vt etiam Satanas probroſè ſit à præceptore appellatus quòd illa quæ Dei ſunt non intel-

ligeret

ligeret, sed tantum humana: addito demum ab ipso Iesu hoc mandato, si quis (inquit) vult venire post me, abneget semetipsum ac tollat crucē suam ac me sequatur. Vt igitur paucis absoluam, si volumus Christiani esse, præire Christo non oportet, sed præeuntem sequi.

Addit Sponsa, *Quum Rex nos introduxerit in conclauia sua, tum exultabimus & lætabimur.* Quibus verbis sese verā esse Ecclesiam prodit, tantopere iam nunc de iis exultans quæ nondum quidem nisi quadamtenus norat, 1. Cor. 13. 12: sed certa fiducia expectat: beatitudinem illam videlicet cuius arrabonem Spiritum tam arctè retinet, 1. Cor. 1. 22. vt iam in cœlestibus locis sedere sibi videatur, Eph. 2. 6. Prophetæ exemplo, Psal. 84. exclamantis, Quàm amanda sunt tabernacula tua æternè Deus exercituū: quæ tam auidè quoque expetit, Psal. 42 de iis vmbris incredibiliter etiā exultans, Psal. 122. quarum corpus est ipse Iesus Christus, Col. 2 17. Conclauia igitur eius qui Rex hoc loco dicitur, & verè, ac seriò, ex Dei Patris decreto, quod ab hominibus irritum fieri nequit, Rex est Psal. 2. 6. prima siue primo sese loco offerentia, sunt reuelationes mysteriorum Dei, quæ ad salutem nostram in Iesu Christo adipiscendam spectant, Propheticis oraculis patefactæ. Fuit enim prophetica doctrina veluti vestibulū siue atrium quoddam cœlestis basilicę, in quod introducti sunt sancti, qui, ante Iesu Christi manifestationem in carne, promissiones venturi

Quænam iā olim fuerint, & nunc sint, & deinceps sunt futura conclauia, in quæ admissi oblectemur.

Christi eminus viderunt,ac procul adhuc remotas salutarunt,Heb.11.13 : diem illum Domini , veluti velo interposito, prospicientes, de quo gauisus Abraham dicitur ab ipso Iesu Ioh.8.56. Est autem in horum numero etiam hæc Sponsa, minimè dissimulans sese melius ac perfectius aliquid sperare : magnum illud nimirum pietatis mysterium , quo Sponsus in carne præsens exhibendus erat , idémque à Spiritu iustus pronunciandus, conspiciendus ab Angelis, gentibus annuntiandus, cui fides in mundo adhibenda erat, tãdem etiam in gloriam cœlestem recipiendus,1.Timot.3. 16. Tum enim introducta fuit hæc Sponsa in interiora conclauia,vbi propiùs & dilucidiùs ipsum spectare licuit , annuntiantem Patris cœlestis impletam voluntatem, Ioh.15.15:atque adeò illũ reipsa intueri in quo ratæ sunt cunctæ Dei salutiferæ promissiones,2.Cor.1. 21. Quapropter Iesaias Euãgelium vocat Dei brachium. Esa. 53. 1. & Paulus potentiam Dei ad salutem cuiuis credenti , Rom.10.16: vnde meritò Simeon Seruatorem nostrum inter vlnas gestans,summo gaudio sese affici testatus est,Luc.2.29.vt optimo iure pronũtiarit Christus , cum Apostolis suis lõgè meliùs actum esse , quàm cum veteribus piis ac Prophetis ipsis,Matth.13.17. Nos tamen fatendum est adhuc tanquam nube circunfundi, neq; apertè prorsus sed aliquatenus duntaxat illum intueri, 1.Cor.13.12. Nondum enim reipsa illud apparuit quod futuri sumus,

sed

ſed in vltimum aduentum Sponſi differtur, 1.Ioh.3,2. Acceſſimus igitur ad interius vſque conclaue, ſed eatenus vt quaſi ex limine duntaxat gloriam Dei conſpicere nobis tãquam ex ſpeculo liceat, 2.Corin.5.16. expectantibus videlicet donec ad intima ipſa penetralia introducamur, quò profectus eſt Sponſus nobis locum præparaturus, Ioh. 14.3. vbi plenè tandem ipſum intuebimur qualis eſt, 1.Ioh.3.2. in ſuo vero regno, vnà cũ ipſo in æternum permanentes, 1.Theſſal. 4.17. Satiandi tunc demum ipſius gloria, Pſalm.17.15. & eorum cõpotes facti, quæ oculus minimè vidit neque auris audiuit, quæque in cor hominis nunquam venerunt, 1.Cor.2.9. Hæc itaque ſunt conclauia illa, hic ille verè ſanctus ſanctorum, non terrenus ille & vmbratilis, ſed cœleſtis, quò omnis anima fidelis aſpirat, tãquam ad certam perennémque requiem, ac ineffabilis gaudij domicilium, nimirum in Domino ipſo tunc quietura vt hic innuit Sponſa, quatenus is vnus eſt, non modo totius iſtius gloriæ benigniſſimus largitor, ſed etiam vnicus terminus ac finis, vltra quem progredi ne velint quidem fideles, vt qui ſalutem ſuam non alia de cauſa expetant, niſi vt gloriam ac honorẽ Dei celebrẽt: nequaquaquam anxij quęnam ſit deinceps illorum ſors futura, modo cantare ipſis cum ſumma lætitia liceat excellentiſſimum iſtud canticum Deo. Non nobis Domine ſed nomini tuo da gloriam, propter veritatem ac beni-

gnitatem tuam, Psal.115.

Cuncta absque exceptione dilectioni Sponsi postponenda.

Non temerè est igitur, quòd beatissimus hic cœtus (quod tamen nemo intelligit nisi ex Spiritu rursum natus, & sensibus prẹditus àd discernẽdum bonum à malo exercitatis, Ioh.3.6.Heb.5.14.) pollicetur fore, vt cæteris deliciis omnibus dilectiones illas sui Sponsi anteponat: vtens rursum numero multitudinis, copiam atque exuberãtiam bonorum sic exprimẽs, quæ Deus suis largitur, sic quoque supra de cóclauibus eodem numero loquuta: quo sensu Sponsus ipse testatus est in domo Patris sui multas esse mansiones excipiendis electis paratas, Ioh.14.2. Cæterũ *vini* nomine, dubium nõ est quin accipere oporteat, non solùm ea quæ in hac vita sustinenda, vltra naturẹ necessitatem redundant, qua de re loquens Apostolus, monet vt contenti simus victu & vestitu quandoquidem neque in mundum quicquam intulimus, neque inde aliquid efferre possumus, 1.Timot.6.7: verumetiã alia omnia, siue summa, siue media, siue infima, quæ procul abiicienda sint, ne nobis quidem ipsis exceptis, & quibus dicere nos oporteat, Non noui vos, Deut.33.9. si modoverè Christiani haberi & esse volumus: nempe si quid inde oriatur impedimenti, vel aliquid moræ ad ea quæ Deo debemus præstanda, nobis afferatur. Istud enim est quod his loquendi formulis Dominus innuit, Siquis venit ad me & non odit patrem suum & matrem, &c. Luc.14.26. Si manus tua vel pes

tuus facit vt tu offendas, excinde ea, & si oculus tuus facit vt tu offendas erue eũ, Matt. 18.8. & 9. adeò quidem vt ne vita quidem cum animæ detrimento retinenda sit homini Christiano, Matt. 16.25. Sunt enim hæc minimè prout voces sonant accipienda, vt prophani nonnulli Christianæ religionis hostes ridiculè scripserunt, ac si iis mandaretur sui ipsius interfectio: neque vt hypocritæ vel insani monachi sunt interpretati intelligenda, quasi summæ cuiusdam perfectionis sit opus, patriam, parẽtes, proximum denique, violatis & Diuinæ legis & ipsius humanitatis legibus, vltrò deserere, vt in heremo ac solitudine, neque tibi neque aliis vtilis viuas, vanis contemplationibus indulgens, vel teipsum superstitiosissimis simul & specie religionis contemptus suiipsius, superbissimis quæ vocant exercitiis teipsum enecans. Nihil enim est superstitioso, qui se aliquid esse putat arrogantius. Verùm ita hæc sunt interpretanda, vt nos docet prima Diuinæ legis tabula, à qua depẽdet altera. Ibi enim mãdatur vt Deũ toto corde diligamus, à quo certè tamdiu longissime absumus, quandiu nostri vel particulam mundo, in quo & ipsi censemur, decidimus. Hoc enim est mundo perperam abuti, sicut rerum huius mundi legitimè tunc demum vtemur, quum cuncta ipsius commoda, ad cõditoris gloriam referemus, nihil ex iis aliud quàm simplicem & moderatum vsum, cum gratiarum actione coniunctum,

captantes. Et hoc quidem illud eſt in quo verſatur alter ille Solomonis liber ſanctiſſimus & eruditiſſimus, Eccleſiaſtes inſcriptus: in quo nos vir ille ſapientiſſimus per ſinuoſiſſimum & implicatiſſimum huius vitæ labyrinthum circunducens, tum verum & vnicum rerum omnium vſum quem ſequamur, tum varias oberrationes fugiendas demonſtrat, quod etiam monet Apoſtolus 1 Cor. 7. 31. & 1. Timot. 5. 17. Sed & Pſalmiſta Pſal. 49. hæc eadē quàm vberrimè perſequitur. Quod ergo Sponſa dicit hoc loco, ſe potiore loco habituram Sponſi dilectiones quàm omnes huius vitæ delicias, neutiquam ſic accipiendū eſt, ac ſi ſeſe & ſuas comites ſignificaret his vtriſque daturas operam, ſed potiorem ſibi futurum ſponſi amorem: nam contrà ſic declarat ſibi & ſuis comitibus ne in mentem quidem venturas vllas huius vitæ commoditates in diligendo ſponſo penitus intentis. Eodem modo quod Pſalmo 52. 5. dicitur, Diligis malitiam ſupra benignitatem & Ioh. 3. 19. Mundus dilexit tenebras magis quàm lucem, ſic intelligendum eſt, vt ſignificetur homines nihil præter malum & tenebras diligere, non autem quòd benignitatem ac lucem minus ament quàm malum ac tenebras.

Cur hic nominatim vini fiat mentio: quámque deteſtāda ſit ebrietas.

Cæterùm non eſt quòd quiſquam miretur vini potius quàm alterius rei appellationem hic vſurpari, damnando generaliter rerum huic tuendæ vitæ deſtinatarum abuſui. Etenim

nim si qua re maximo cum suo malo seculis omnibus abusi sunt homines, illa ipsa est vinum: quod ipse primus Noachus, vir alioqui iustissimus, tristissimo exemplo suo nos docuit. Tam enim est vulgare istud vitium vt pro vno vel altero auaro, libidinoso, homicida, aut alio quopiam impuræ vitæ homine: quin etiam pro guloso vno, mille facile reperias ebriosos, aut alioqui immoderatè sese vino aut aliis potionum generibus, siue à natura sint, siue arte comparentur, ingurgitantes: immò quibus abuti ludus sit, ac iocus ebrietas: tam inueterata ista, in re tam turpi, peccandi consuetudine, vt quàm largissimè bibere ac etiam inebriari, pro magna gloria iamdudum à plerisque habeatur, vt testatus est ante tam multa secula Iesa.5.11.& 22, à cuius ætate quàm in peius proruerit, & quàm hac perdita intemperantia pessum iuerit maxima pars mortalium, plus satis constat: vt reipsa confirmata sit hæc Apostoli sententia Eph.5.18. in vino potissimum sitam esse lasciuiam, atque etiam aptissimè scriptum sit à quodam ex veteribus scriptoribus, cui tamen ne nomine quidem notus erat Christus, Ebrietatem esse prouinciæ omnium vitiorum metropolim. Tantum igitur hoc malum detestari nos docēs Apostolus, monet vt potius sancto spiritu magis ac magis quodammodo inebriemur, & clamantem Dominum Esa. 55.1. audiamus, Adeste quicunque sititis cōparate absque pretio lac & vinum. Siue autē

huic sanctæ doctrinæ pareamus, siue illi repugnemus, quoquo modo sese res hæc habeat, ratum erit & inuiolabile Dei decretum istud, Ebrij hæreditatem regni Dei non possidebunt 1. Cor. 6. 10. Huius autem animaduersionis tanquam præludia sunt, horrenda Dei iudicia in quæ quotidie, ob huiusmodi intemperantiam, corpora ebriosorum incidere cernimus: adeò vt verissimo prouerbio vulgus iactet, Multò plures scyphis quàm gladiis interire.

Summa Doctrinæ huius quarti versiculi.

Sed age hunc tandem sermonem finiamus. Sanctissima igitur hæc regina cum suis comitibus, agnoscens omne bonum à Deo nos ad se trahente proficisci, denuntiat sese cum suis, vbi sibi concessum fuerit admitti in interiora regis conclauia, externorum omnium velut oblitas, nunquam retro ad hoc vel illud respecturas: sed toto pectore totáq; mente Regem illum vnicum quo tum potientur, amplexaturas, & in id vnum intentas fore, quod vltimo demũ illo die plene cõsequentur. Quod interim in his ipsis terrenis domiciliis feliciter ordiri & constanter persequi nos oportet, exemplum vxoris Lothi minime imitatos, sed potius cum Dauide Psal. 16. & Apostolo Gal. 2. 20. & 6. 4. profitẽtes Deum vnum esse portionem ac sortem nostram, atque adeò nos in nobis ipsis non viuere, sed Christum in nobis, quibus mũdus vtiq; crucifixus est, vt & nos mũdo vicissim cum Christo simus crucifixi, cui sit laus & gloria sempiterna. Amen.

IN

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA SEXTA.

Auxilium nostrum sit à Domino, &c.

Quod sequitur extat in Cap.1.vers.4.5.

4 Recti diligunt te.

5 Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem sunt tabernacula Kedar & sicut tentoria Solomonis.

DEsiderium quo Sonsa exæstuat superioribus sermonibus intellleximus, ipsam nempe in ea sola cogitatione totam esse, vt verè ac reipsa sibi liceat sponso suo adhęrescere, in quo sita sit omnis sua beatitas: flagitans propterea vt vel ad ipsam suau iandã accedere sibi concedatur, vel vt ille ipsam ad se pertahat. Huius autem sanctissimi desiderij exempla nobis in primis suppeditant illi prisci patres, qui ab ipsius ecclesiæ primordiis, liberatoris aduentum cupidissimè exoptarũt, sicut ipsemet Sponsus testatur Matt. 13. 7. & Petrus priori suæ catholicæ 1.11. nec non Dauid plurimis in Psalmis cantans ac exultans, acsi iam tunc supremum hunc Regem oculis intueretur Psal.96. & 97. allisque psalmis sequentibus: quo pertinet etiam quod Dominus inquit, Abrahamum exultasse quum vidisset diem Domini Ioh.8.56. Sed Patres procul illas promissiones sub lege adumbratas

Repetitio summæ præcedentiũ homiliarum: & cur Sponsa à priore sermone digrediens, oculos in comites conjiciat.

conſpexerunt Heb. 11.13, quæ deſiderium ipſorum potius augerent quàm explerent, vt mirum nõ ſit pias illas animas adhuc aliquid ampliùs optaſſe, vt ex cantico Simeonis apparet. Sed & nos ipſi priore ipſius Chriſti in carne aduentu minimè ſatiati, reditum illius impenſè expetere non deſinamus, quotidie petentes vt regnum ipſius adueniat, ac etiam optantes emigrare & eſſe apud illum Rom. 7.24. Philip. 1.23. ſiue trahi relictis huius corporis exuuiis, donec in ſtatũ incorruptibilẽ transformetur. 2. Cor. 5.5 Hoc autem finito ſermone ſponſa quo ſeſe veluti ſupra ipſas nubes alis fidei ac ſpei ſubuecta extulerat, aliò nunc ſe conuertit, quaſi ſuas comites, atque adeò ſeſe & alios ipſam ſpectantes circunſpexiſſet. Neque id Solomoni temerè excidit vt ex ipſius orationis ſerie conſtabit. vix enim fieri poteſt quin huiuſmodi cogitationes præſtantiſſimorum etiam quorumcumque hominum animis ſubeant, quibus tempeſtiuè occurrere neceſſe eſt, ne iſtis inſultibus, quod nimiùm multis accidit, proſternamur. Sibi igitur pollicita Sponſa fore vt ſi à Sponſo traheretur, ipſa viciſſim illi cũ maximo & magnificẽtiſſimo gregalium comitatu occurreret: deinceps ad ſuas comites occulos deflectens, & ipſas cum earum turba conferens, quas filias Ieruſalem appellat, & de quibus paulò poſt conqueritur, ſubſiſtit quidem initio quaſi pudore ſuffuſa, ſed mox ſuarum ornatum potius quàm numerum

attendens animosè in hæc verba prorumpit, *Rectitudinis amantes te diligunt*, ac si diceret, Ad te accedimus exiguo quidem infrequentíque comitatu, sed perbello & eximio. Nihil enim apud te sisto quod non sit rectum atque integrum tuíque amantissimum. Præstat autem pura sinceráque paucitas, futili ac improbæ multitudini.

Ecclesiæ exiguus est grex.

Et est istud profectò solatium omnibus seculis Ecclesiæ necessarium, quod his verbis indicat Dominus Luc. 12 32. Noli timere pusille grex, vos enim ij estis quibus patri vestro placuit dare regnum. Falluntur igitur illi omnium maximè, humano etiam iudicio, qui veram Ecclesiam, (cui nos aggregari oportet si salui esse cupimus) à falsa (necessario vitanda ne pereamus) ex multitudine discernunt. Primùm enim etiam quum agitur de huius seculi rebus, cogitur vnusquisque fateri longe maiorem semper fuisse stultorum quàm sapientum numerum. Quid igitur de supernaturali sapientia ac probitate statuendum arbitrabimur? hîc verò, nisi ipsius Domini verbis assentiri simpliciter malimus de porta spatiosa differentis qua plurimi transeunt, & de angusta porta quam inuenire paucissimis contingit Matt. 7. 13: saltem perpetuæ experientiæ, stultorum etiam ipsorum magistræ, credamus. Quinam enim erat, obsecro, filiorum Dei numerus quum, diluuio superueniente, saluis tamen octo hominibus vniuersus mundus interiit? deinde

quænam fuit familiæ Abrahami species si vel cum solis Cananæorum populis conferatur? Quid est Israeliticus ipse populus, recensitis etiã hypocritis & falsis Israelitis, ad cæteras mundi nationes à Dei fœdere alienas? Eph. 2. 12. Quod si præsertim tẽpus illud consideremus quo Sponsus ipse in terrã, suos inuisurus & collecturus aduenit, quinam illum repudiarunt? certè vniuersus, vno & altero vix exceptis, architectorum templo Dei præfectorum numerus. A quibus toties inclamatum est, tolle, tolle, crucifige? à multitudine. At cõtra, quantulus erat ille centũ viginti capitũ numerus vnde exordiũ habuit Ecclesia Christiana Hierosolymitana, cęterarum mater? Act. 1. 13. Denique si eorum qui hodie nobis aduersantur, & tantopere paucitati nostræ insultant, numerus ineatur, quid esse videbuntur præ tam multis gentibus quæ per orbem sparsæ Christum seruatorem non agnoscunt? Tantum igtur abest vt multitudo sit certa veræ Ecclesiæ nota, vt è contrario maiorem numerum nobis suspectum esse oporteat.

Neque magnus neque exiguus omnis numerus est Ecclesia: sed rectè incedentiũ cætus.

Minimè tamen hinc sequitur nobis probandum esse quemuis paruum numerum. Sed hoc & in magno & in paruo numero requiritur, vt talis sit cætus qualis hic appellatur, recti nimirum studiosus assertor. Estque nobis istud diligentissimè perpendendum, non tantùm vt veram Ecclesiam à falsa in genere dignoscere possimus, verum etiam

vt vera

vt vera ipsius membra ab aliis discernere queamus. Vera igitur illa est Ecclesia in qua pura rectáque Dei veritas nobis ad salutem tradita, purè veréque docetur:& ij demum sunt ex Ecclesia qui animo istam veritatem amplexi, factis etiam illam cōfirmant. Porrò vera illa rectitudo quid aliud est quàm Dei nostri voluntas, perfectè & certissima fide in scripturis Propheticis & Apostolicis prodita? in lege videlicet, quod attinet ad illa quibus reipsa præstandis operam dare nos oportet pro gratiæ vnicuique collatæ modulo: & in Euangelio, quoad illa quæ nobis ad salutem credenda sunt. Neque igitur Ecclesia Christi est vllus siue frequens siue rarus cœtus qui hanc rectitudinem non tenet: neque in veræ Ecclesiæ membris numerandus est quisquis aliter sese gerit aut aliter credit.

Rectitudinē & Dei dilectionem, res esse prorsus inseparabiles.

Sed & illud est diligenter notandum, hāc rectitudinem ac simul dilectionem Dei res esse fortissimo nexu inter se deuinctas, nec vllo modo separatas: vnde efficitur nullam doctrinam esse rectum illud cuius hîc fit mētio, quæ vel tantillum à dilectione Dei nos abducat (vt sunt cunctæ adulterinæ religiones in hoc præcipuè inter se conuenientes, quòd hominum mentem in totum vel aliquatenus in sui ipsius amorem reflectunt, aut ad alias res creatas ablegant) & vicissim neque rectum & Christianum vllum esse qui se verè Deum amare & reuereri suis moribus non testetur, etiamsi omnia verę religio-

nis arcana teneat: quum proximi dilectio ſit amoris index quo Deum diligimus, & quicunque Deum à ſe diligi profitetur & proximum non diligit, ſit mendacij reus, Ioh, 13.35. & 1.Ioh.4.10.

Tria puellarum genera Sponſam iſtã comitantur: vnum verè ſuarum, alterum perduellium, Tertiũ earum quæ neutrorſum vergunt.

Sequũtur mox Sponſę verba ad filias Hieruſalem, hîc verò maximè nobis vtendum eſt diſtinctione, quę probas rectáſque illius Spõſæ comites, ab ijs de quibus paulo poſt ipſa ſub nomine filiorum matris ſuæ cõqueritur, ſeparemus. Quare quum huius Sponſæ nomine veram Dei Eccleſiam intelligamus, virgines autem ipſius comites interpretemur fideles in ipſa indies genitos, & Domino educatos, ac demum filiorum matris ipſius appellatione, hoſtes inteſtinos Eccleſię accipiamus, auctoritate ſua ad ipſius perniciem abutentes: conſentaneum eſt vt filias Hieruſalem dici exiſtimemus vulgarem illam plebeculam, quæ etſi in Eccleſia cenſetur, attamen de religione non admodum anxia, vtcunque res ſe habeant vtitur foro, quod aiunt: &, vt apparuit in Ieſu Chriſti damnatione apud Pilatum, ſeſe plerunque ipſis Eccleſiæ hoſtibus adiungit.

Cur filiæ Hieruſalem iſtæ vocentur: & qua ratione ad veram ipſarum matrem aggregari poſſint.

Hanc turbam igitur nomine filiarum Hieruſalem Sponſa compellans, ea potiſſimum de cauſa quod Hieruſalem ciuitas Dei vocabatur, primùm illis oſtendit quàm ingenti beneficio ſint à Deo affectæ, ſi modò bene illo vtantur: Deinde illarum ignauiam inſectatur, ac ſi diceret. Quî fit vt vos quos video circun-

cunſtantes,neque tamen ſeſe mecum adiungentes, cœtum hunc meum dedignemini? Nec enim eſtis aut Paleſtinæ aut Idumeæ, ſed huius ciuitatis Dei ciues. Hęc mea ſcilicet fuſca ſolis ardore facies, vobis candore nitentibus,ac venuſtis non arridet. Neque verò me fuſcam eſſe inficior:ſed à me tamen nō abeſt elegantia & amabilis venuſtas quam vos minimè reſpicitis. Et ſi enim hac exteriori ſpecie tam ſum nigra vt videri poſſim in tugurijs ac mapalibus Ætiopum & Arabum educata: tamen ſi quis me penitus introſpiciat, cōperiet me ſpecioſa & ſplendida forma, nullis cādidis illis Solomonis potentiſſimi ac ditiſſimi illius regis tētorijs cedere. Iſtis autem addit poſtea, fuſcum hunc colorem ſibi natiuum non eſſe:ſed idem ſibi eueniſſe quod miſeræ puellæ, paterna domo, vbi potius illam habitare & commodè degere oportuit, à nefariis fratribus procul expulſæ, & ſolis ardoribus cæteríſque cœli iniurijs expoſitæ.

Hæc autem Sponſæ verba, vti cætera huius Cātici plane allegorica ſunt:quæ vt gemino ſenſu intelliguntur, hoc in primis animaduertēdum eſt,nigro quidem colore ferè apud omnes gentes triſtia & minimè grata ſignificari conſueuiſſe, ſicut è contrario albo colore grata & iucunda deſignantur. Sed hac nigredine quam hic agnoſcit Sponſa, minimè certè deſignatur deformitas illa fœda & abominanda, in qua Sponſus illam initiò deprehendit, vt ſcribitur Ezech. 16. Sponſus enim

Quo ſenſu Spōſa nigrā ſeſe agnoſcat & qualis ſit color & habitus, huiuſmodi nigredini, & ſquallori oppoſitus.

illam ab his ſordibus iam repurgarat puris illis ac limpidis aquis quas commemorat Ieſaias cap.51.id eſt ſuo ipſius Sponſi Spiritu:cuius purgationis habita ratione Eccleſia qualis in ſuo Sponſo cenſetur, caret enim ruga & macula Eph.1.4.& Col.1.22. intrinſecus verò & in ſeſe eò vſque purgata eſt, vt peccatum quidem ipſi non dominetur, ſed tamen non niſi ſenſim in ipſa aboleatur, donec vltimus ille dies aduenìat, in quo demũ abolita omni corruptione & corpori glorioſo Sponſi ſui cõformata Phil.3.21. erit prorſus in ſeſe quoque ab omni ruga & macula immunis. Nullo igitur pacto naturalem illam nigredinem hoc loco attingit Sponſa:ſed miſerandum illum ſtatum reſpicit in quem ſæpe redigitur Eccleſia, ídque dupliciter. Primùm quidem quod ad illam pulchritudinem attinet quam velut in dotem accepit:deinde, quatenus plurimis & varij generis afflictionibus in hac vita ab ipſo Sponſo modò exploratur,& exercetur,modò etiam caſtigatur:quod vtrunque pleniorem explanationem requirit. Propriã igitur & dotalem huius Sponſæ pulchritudinem qua Sponſus illam cunctis,non prorſus cæcis,inſigni ſplendore conſpicuam & admirabilem reddit, appello primùm lucem illam veritatis,& ſuæ illius beneuolentiæ qua Spõſam illam dotauit, qui decor totus eſt intrinſecus qualis deſcribitur Pſal. 45.13.& in homine interiore & ſpirituali ſitus 1. Timot. 2. 9. Secundò pulchritudinem Eccleſiæ voco pulcherrimum

cherrimum illud sancti ministerij & exterioris cultus diuini decus, quod olim certè spectatores omnes in admirationem illius rapiebat, magnificentiã illam & opulentiam spectãtes, primùm quidem tabernaculi, deinde templi Solomonis: siue structuram ipsam, siue quicquid ibi ex Dei mandato peragebatur consideremus. Et tamen hæc omnia sicut docemur Colo. 2. 17. & tota ad Hebr. Epistola, nihil aliud erant quàm figuræ & vmbræ tum Christi ipsius, tum præstantiæ ministerij Euangelici, quod quãtò simplicius est ac minus terrenum, tantò apud veris oculis præditos splendidius est ac pretiosius. Tantum enim abfuit vt exterioris illius Leuitici cultus apparatus licet excellens, per se & nisi ad suum illum scopum referretur, speciosum quiddam esset apud Deum: vt contrà, sicut testati sunt prophetæ, Deus illum vt rem fœdam & detestandam abominaretur. En igitur duplex sponsæ decus quo instructa & ornata sese formosissimam certè prodit: vt è contrario si quando est illo spoliata, tam deformis apparet, vt non nisi à perspicacissimis dignosci possit.

Hæc Sponsa nunquã interiori sua pulchritudine priuatur externis autem ornamẽtis spoliatur ad tempus, quoties id Sponso placet.

Sed hic animaduertendum est huius duplicis ornatus altero, interiore illo videlicet, Sponsam nunquam spoliari, vt qui sit illi instar Sponsalitij annuli, perpetuò gestandi, quo amisso, pro Sponsa amplius haberi non possit. Reliquum autem aspectabilis ornatus, & exteriores conspicuæ notæ, quo-

ties Sponso visum est, Sponsæ detrahuntur, siue quòd numerus tanti decoris contemptor, eius aspectu sit indignus, siue quòd expediat vt ad tempus Spósa corripiatur donec rursum cum Sponso in gratiam redeat, vt illi promittitur Ies. 54.6. & 7. tum quidem lugens & illo suo conspicuo splendore carens, minimè tamen ipsis oculis Sponsi deformis, quibus illam perpetuo intuetur & obseruat.

Exempla afflicti & miseri status Sponsæ, in veteri Ecclesia.

Hæc vt exemplis conformentur, expendenda sunt tempora exitij in Ægipto, Iudicū, plerorumque, regni Saulis, siue decem tribuum apostasię, itidem status regni Iuda sub plerisque regibus, & tempus captiuitatis Babylonicæ, in qua ne vestigium quidem vllum extitit neque ciuilis neque ecclesiasticæ gubernationis, miserrimæ deniquæ Iudæorum gentis calamitas sub Ægipti, & Syriæ, regum, ac deinceps Romanorum iugo ad extrenam vsque tépli, vrbis & gentis ipsius excidium. Conferātur, inquam, eorum temporum Ecclesiæ facies cum illo magnifico Ecclesiæ splēdore sub Mose & Aarone, Dauide, Solomone (quandiu quidem sapuit) Aza, Iosaphato, Ezechia, Iosia, Nehemia aliisque similibus principibus dum tales habuit rectores. Falluntur ergo & alios fallunt qui de Ecclesia statuunt ex illa exteriore specie, quasi perpetua ac essentiali ipsius nota: quum è contrariò Ecclesia sæpissimè illo toto aspectabili ornatu nudetur: nec tamen propterea

rea desinat ab iis agnosci, quorum oculis conspicua est germana illa & velut essentialis eius pulchritudo.

Quod ad Christianorum autem & Apostolicam Ecclesiam attinet hoc in primis notādum est: decuisse veterem Ecclesiam fulgido illo ceremoniarum mundo extrinsecus quasi sequuturi coniugij arra & tessera exornari, quod huius contractus promissiones essent obscuris adhuc verbis per pronubos conceptæ, tantisper dum præsens ipse Sponsus adueniet. Illo igitur sicuti pollicitus fuerat adueniente & sese conspicuum præbente, sicuti penitus est Spirituale istud connubium, & ad spiritualem vitam fertur, ita externis illis omnibus finem imposuit: longè aliter familiæ suæ ministeriis ac functionibus, totóque suo cultu constitutis: simplici nimirum & huic planè Spirituali coniunctioni consentaneo. Itaque Sponsus iste, vni sibi seruata summi & æterni sacerdotij auctoritate, & regia ipsa dignitate retenta, pro iis omnibus in Leuitica illa administratione institutis, in primis templum spirituale sibi in vniuersa terrarum orbis area, (Ecclesiam videlicet Christianam) extruxit, architectis vsus Apostolis Prophetis & Euangelistis: cuius demum ædificij positis optima fide immotis fundamentis, & excellente superstructa superficie, pastores simul instituit ac doctores, qui ad consummationem vsque seculorum, sancti verbi Diuini prædicatione sin-

Exempla eiusdem Sponsæ erumnarum in Christiana Ecclesia.

cera: & pura ſacramentorum adminiſtratione, ſartum tectum iſtud templum præſtarẽt: quibus tum Seniores adiunxit, morum cæterarúmque rerũ quæ ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinent, Paſtoribus adiunctos diſceptatores: tum etiam Diaconos, quibus eleemoſynarũ & ſacri ærarij cura committeretur. Bina verò duntaxat inſtituit ſacramenta perpetua & Chriſtianis omnibus cõmunia, eáque quàm fieri potuit ſimpliciſſima: ſiue ipſorum materiem, ſiue ritũ ac formam conſideres: eo nempe conſilio ne his terrenis velut affixi hæreremus, quaſi ſalutis & ſanctitatis quidpiã ſit in illis propriè & per ſe collocatum. Tunc demum itaque maximè & ſpecialiſſimè floruiſſe conſtat Chriſti Eccleſiam quum hæc ſimplicitas viguit diligẽter & ſollicitè obſeruata, temporibus videlicet ipſorum Apoſtolorum, quibus verè foris & intus ſplendida & natiuo illo ſuo decore refulgens emicuit, qualis Eſa.54. & 60. deſcribitur. Sed, Eheu, nimiùm verè dici poteſt, ſplendorem iſtum tanquam fulgur fuiſſe, quod ab Oriente ad Occidentem excurrẽs mox ſenſim cœpit euaneſcere: vt à Domino prædictũ fuerat, Matt.24.27. Etenim iam tum quum Apoſtoli adhuc ſuperſtites eſſent, qui ex circuncisione erant, non potuerunt à ceremoniis Iudaicis auelli: olim quidem, id eſt ante Chriſti in terras aduentum, obſeruandis, poſt illum autem mundo exhibitum abolitis. Alij verò, falſo pietatis pretextu iam

tum

tum ſua commenta planè vana ac ſuperſtitioſa vēditarunt. Alij quaſi Deo ipſo ſapientiores eſſent, in eum quidem certè iniurij: huius ſpiritualis diuinitus inſtituti cultus purum & gēmeum nitorem humanę ſapientiæ fuco inficere non dubitarint: fruſtrà talibus commentis toties tótque modis repugnante Apoſtolo, à quo ſunt etiam omnium iſtarum corruptelarum genera in catalogum redacta,& perſpicuè diſtincta,Col 2.16.& ſequentibus. Hinc profectò manarunt pleræque omnes ceremonię ex Iudaiſmo in Chriſtianiſmum traductæ, cuiuſmodi ſunt aqua luſtralis, ſacerdotales veſtes, luminaria quæ vocant,Templorum ornamenta multo auro argentóque interlita, gemmíſque diſtincta, inſtrumenta omnis generis infinitis ſumptibus comparata, & cæteræ id genus vaniſſimæ nugæ, & cum puppis ab ipſis prophanis poëtis collatæ, quibus inuectis viluit etiam purus ille adminiſtrandorum ſacramētorum ritus.Itaque Baptiſmo ſuperaddita ſunt,aquę conſecratio planè magica, chriſmatis confectio,in qua ipſum quoque inſtar numinis ſalutatur,ſal,ſputum,cereus,linea veſtis & huiuſmodi pene infinitæ ſordes. Ipſum autem ſacræ Cœnæ ſacramentũ primum tranſubſtantiationis horrendo figmento transformatum,tandem excogitata oblationis realis idolomania, in expiatorium ſacrificium degenerauit.Quid amplius? huius humanæ audaciſſimæ ſtultitiæ, falſo ſapientiæ nomine

ſeſe venditantis, tanta iam inde à plurimis ſeculis fuit auctoritas, vt illi licuerit Eccleſiaſticas functiones diuinitus definitas ad Romani imperij exemplar deformare: Eccleſiis in diœceſes ac metropoles, illius exemplo, diſtributis, vt Iohannis prædictio de imaginis beſtię reipſa cõfirmaretur. Inde deprompræ ſunt Epiſcopales & Archiepiſcopales dignitates, & in locum Ariſtocraticæ Epiſcoporum id eſt Paſtorum gubernationis ſuffectæ, vnde tandem factum vt ſeſe extulerint duo illi Papæ ſiue Epiſcopi œcumenici, quorum alteri nempe Mahumedes vngues præcidit: Alter verò occidẽtem horribili tyrannide premit, ambo ſedẽtes ſuper ſeptem colles, præſertim is qui Occidẽte ſubacto, Reges ac nationes etiãnum hodie inebriat, fratribus illis ſuis, nouo nimirũ ſatellitij genere quos Cardinales vocant, fretus. Superſtitionum cumulos omitto quorum vel ipſummet Sathanam pudere credibile eſt. Et tamẽ ſi huius Antichriſti palponibus creditur, hic ille eſt decor, hæc elegantia atque pulchritudo Chriſtianæ Eccleſiæ, ſi modò impudentiſſimę ceruſſatę meretrici, ab adulteris ſuis omni fucorũ genere adornatæ, fas eſt caſtiſſimæ ac modeſtiſſimæ Chriſti Sponſæ nomen vſurpare, quæ neque in ſeſe neque circum ſeſe quicquã poſſidere vel geſtare ſuſtinet, quod ex caſtiſſimi Sponſi ſui liberalibus manibus non acceperit, iis vnis ornamentis contenta quæ Apoſtoli, fideles illi Dei artifices, ipſi

ipsi concinnarunt & adaptarunt. Quocirca quantò magis ornatu Apostolico contenta incedit, tantò formosior apparet Ecclesia, quicquid istius fucatæ & adulteræ Ecclesiæ amatores allatrent. Quod si vetus afflicta Ecclesia quæ hîc loquens inducitur, non immerito cõquesta fuit sese ab iis deformatam ac fœdatam, qui vero illo exteriore eius ornatu, donis videlicet sui Sponsi spoliatam, prophanis cultibus ipsam onerarant, vt passim referunt Prophetæ: Eheu quanto iustiorem de illis expostulandi causam habet Ecclesia Christiana, qui dũ ipsam formosiorem reddere stultè se posse somniant, quàm ipse Sponsus illam instruxerit, tantopere illam deformarunt? Et hæc certè sunt eius querelæ apud suum Sponsum iampridem effusæ, quas hac etate nostra cœpit exaudire, excitatis verè piis Principibus ac Christianis magistratibus nõnullis, qui fuco, quo fœdata tamdiu fuit, deterso, ipsam in pristinũ decorem restituere contendunt: In quo sanctissimo conatu faxit Deus vt magis ac magis feliciter pergant, donec videre nobis liceat impletum quod Apoc.21. Spiritus sanctus prædixit.

Nunc restat vt dicamus de secundo nigredinis illius genere quæ ex afflictionibus ac miseriis præsentem vitam comitantibus oritur. Hæc altera igitur nigrities, pro Dei prouidentia multis variisque de causis Ecclesiæ oboritur. Sic enim à Domino interdum castigatur aut potius excitatur quum somno- *Hæc Sponsa interdũ eousque deformatur, vt vix ab hominibus dignosci queat.*

lenta torpet. Nonnunquam etiam illam sic infuscari ac inquinari patitur, vt ipsa melius sese norit, aut vt ex eius patientia ac constantia quá ipsemet illi tribuit, gloriam suam amplificet. At siue eam corrigat, siue exerceat, siue exploret, istud omne bene feliciterque illi cedere certissimum est. vt Psalmo 44. confirmatur, & Rom. 8. 28. Porrò vexationes illæ quæ Crucis appellatione significantur in scripturis, nempe perpessiones quibus propter nomen Sponsi ac iustitię causa afficitur Ecclesia, siue illæ ab hostib⁹ domesticis ac tectis, siue ab exteris apertísq; persecutoribus infligâtur, sunt ornatissimũ, exquisitissimũ & planè gẽmeum illud ornamentum quo solet Ecclesia Dei à Sponso decorari: fide nimirum superaddita, vt Apostolus testatur Phil. 1. 29. adeò quidem vt illud sit de quo Sponsa non quidem vt meritis aliquibus suis, sed vt de gratuitæ sui Sponsi benignitatis testimoniis gloriatur Rom. 5. 3. Matt. 5. 12. & Gal. 6. 14. & alibi passim. Nec certè (vt ex omnium temporum Ecclesiæ historiis liquet) florentior vnquam illustriórque visa est Ecclesia, quàm sub ipsius crucis pressura, vt sic confirmetur quod ait Apostolus 2. Cor. 12. 9. Potentiam Dei nimirum per infirmitatem nostram adimpleri.

Hæc Sponsa semper est Deo & omnibus acutè cernentibus formosa.

Euenit igitur subinde Ecclesiæ vt veluti caligine obducta, quod ad ipsius notas his oculis conspiciendas attinet, maximę hominum parti ad tempus ignota lateat ac si nusquam

quam esset, siue quod attinet ad apparentem eius pulchritudinem quæ posita est in prędicatione verbi & sacramētorum administratione: siue spectetur excellēs illa functionum sacrarum dispositio, violētia persecutionum, vt diximus, ad aliquod tēporis spatium perturbata, vel etiam penitus interclusa: siue domi intra ipsa Ecclesiæ viscera sæuientibus siue foris insurgētibus, & ita in vnum eodem tempore sese exerentibus vtriusque (de quo diximus) generis nigredinis istius causis. Talis fuit veteris Ecclesiæ domi & foris status, tum sub Mose tam malè à suis habito in illa Ægyptiaca seruitute, tum sub Iudicibus plerisque, ac præsertim ciuilis belli contra Beniamitas suscepti tempore, quum nullus esset legitimus magistratus in Israële, ac quisque quod sibi videbatur rectum faceret, Iud. 21. 25. necnon summum sacerdotium tenente Eli, quum sermo Dei rarus erat, 1. Sam. 3. 1. item sub finem regni Saulis, ac deinceps ipso mortuo ad alteram vsq; Dauidis vnctionem. His inquam temporibus quàm & densis tenebris obductæ fuerunt illæ visibiles Ecclesię notę? quales etiam erant sub Iesabela: immò penitus deletæ in regno Israëlis: adeò vt Elias in eam opinionem deuenerit se solum relictum esse qui Deum verū coleret, 1. Reg. 10. 10. Quod ad Iudæ verò regnum attinet ea sæpe ibi fuit Ecclesię conditio vt à Iuda Israel iustificaretur, quod illi obiectat Ezechiel. 16. Qualis autem erat Dei cultus sub Achazo,

2.Chronic.28. & ſub Manaſſe, 2.Reg.21.& 2. Chron.33. Denique in captiuitate illa Babylonica 70. annorum, ac demum graſſante Antiocho vſque ad expiationem templi? An vel nomen populi Dei tunc audiebatur? Quod ſi propius ad Chriſtianam videlicet Eccleſiam reſpicias, quænam fuit illa deſolatio in vniuerſo pene terrarum orbe, Arrianis paſſim ac nō vno ſeculo vigētibus & triumphantibus? ſed præcipuè expendenda ſunt tempora Mauritium & Phocam Imperatores conſequuta, tam in Oriente vbi Mahumetes illiúſque ſucceſſores Eccleſiam hāc miſeram adeò deformarūt, vt vix illius veſtigium pleriſque locis appareat, quàm in Occidente vbi perditiſſimus ille in templo Dei ſedet, adimplens quod Dominus de illo prædixit, Luc. 18.8. & poſt illum Apoſt. 2.Timoth.3.1. & 2. Theſſal.2.3. & adhuc apertiùs Apoc.12.14. Sed illud interea ſummopere obſeruandum eſt: quemadmodum Sol Lunæ obiectu defectum patiens aut opacitate nubium aliqua impeditus quo minus terras clarè & apertè illuſtret, penes ſe tamen natiuam ac genuinam lucem retinet, adeò vt qui acutiſſimè vident, nitidum illius ſplendorem etiam per ipſa nebularum obſtacula perſpiciant, ita hæc Sponſa licet indignè vexata, videatur ſua natiua pulchritudine & ſyncera venuſtate penitus excidiſſe, adeò vt Arabis aut Æthiopiſſæ alicuius ſpeciem præ ſe ferēs vix à quoquam agnoſci queat: attamen ſub illo ſqualore per-

perpetuum seruat suæ pulchritudinis nitorem: immò vt album nigro oppositũ clariùs splẽdet, ita afflictiones illo nigrore designatæ, efficiunt vt formosior & venustior tum apud ipsum Sponsum, vt ex sequentibus versiculis huius capitis patebit, tum apud eos omnes appareat, qui acutioribus oculis illã, qualis in sese per illam aduentitiam nigredinem emicat, intuentur, vt Paulus 2. Cor. 11. 31. & Gal. 6. 14. & 17. ostendit. Hęc itaque caussa est cur Sponsa sese nigram quidem esse agnoscat, sed simul formosam prædicet, nigrã videlicet qualia sunt Arabmum tesqua & mapalia: albam verò ac fulgidam instar tentoriorum Solomonis tempore. Neque verò temerè hic exprimitur Solomonis nomen Kedarenis oppositi. Totus enim huius Spõsæ splendor ac nitor à vero illo Solomone procedit, qui verus est Rex pacis, & à quo tũ est ipsa quicquid est, tum illius ornatus omnis dependet, sicuti Luna à Sole lucem mutuatur, quod etiam attingit, Psal. 45. 9. Istis igitur Kedarenis, id est, vt fert nominis interpretatio, tenebricosis, opponitur Rex ille lucis, quibus cũ hoc Rege neq; cum hac Regina nihil est omnino negotij: apud quos etiam conqueritur Dauid se plus satis commoratum, Psal. 120 5.

Hanc doctrinam esse hac præsertim ætate summè necessariam.

Cæterùm ex istis quæ nunc à me sunt explicata, & ex huius nostri seculi ærumnis, facile est perspicere, ac penè palpare, (nisi omnino cæci ac stupidi sumus) quàm expe-

diat, immò quàm ſit penitus neceſſarium, vt ad diſcernendas Eccleſiæ purioris notas, extra quam nulla eſt ſalus, ſimus quam inſtructiſſimi, vtpote quæ partim nunc adhuc ſint non paucis locis prorſus obſoletæ, partim iã pridem ita falſatæ vt internoſci niſi ab oculatiſſimis, illa vnica veritatis norma adhibita, nequeant: adhibita videlicet luce verbi Domini, à Prophetis & Apoſtolis perſcripti, cuius ſummam habemus Apoſtolico ſymbolo comprehenſam. Hic autem in primis attendant & ſibi caueãt iſti qui tempori ſeruiunt, incertis animis fluctuantes, quos hodie politicos appellant, & quos præcipuè notat hoc loco Sponſa: caueant, inquam, iſti ſibi, & pro eo quod huius Sponſæ vili in hac vita conditione offenduntur, niſi vltro perire malint, ſuæ conſcientiæ conſulant: ſui ipſorum denique commiſeratione tangantur, & illud aſſiduè animo verſantes quod in eiuſmodi homines modò in hanc, modò in illam partẽ vacillantes pronũciat Helias, 1. Reg. 18. ſeſe potius huic Sponſæ adiungant, vt ſimul omnes noſtro Sponſo, ad vitam æternam in ipſo & per ipſum obtinendam, occurramus Amen.

IN

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA SEPTIMA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.1.verſ.6.

9 Ne me ſpectate quòd fuſca ſim, eò quòd Sol me intuitus eſt. Filij matris meæ in me excandeſcentes ſtatuerunt me cuſtodem vinearum: vineam verò meam mihi (*attributam*) non cuſtodiui.

AVdiuimus quibus verbis Sponſa Hieroſolymitanas illas compellarit, ſic illos appellans qui ante & poſt tempora Solomonis, Iſraelitæ nomine tenus erant: vtpote qui de vera cognoſcenda & exercenda religione, inter tot diſſidia cum vicinis gentibus exorta, nihil aut parum admodum laborabant, aut etiam neglecto puſillo & calamitoſo filiorum Dei grege, (ſicut prophetarum ſcripta docent & vt ipſi Chriſto vſuuenit Matt.11.6. Mar.6.7.) primoribus ſeſe & ſuam conſcientiam addicebant: quibus illa ſignificauit, ſeſe nihilominus ſuum illum verum decorem retinuiſſe, quem illos potiùs ambire & amplecti oportuerat. Iſtis verò nunc illa grauiſſimam cohortationem adiungit, cuius tres conſtituendæ ſunt partes. Primùm enim *Superioris homiliæ ſumma.*

indicat ex illo sui vultus nigrore non esse suam pulchritudinem æstimandam. Deinde se non tam esse nigram quàm plerique existimarent. Tertiò nigrorem istum sibi natiuum non esse: ac proindè perpetuò minime duraturum. Postremò declarat quorum culpa nigrorem istum contraxerit.

Ecclesia non desinit esse Ecclesia, etiã si næuis aliquibus laboret vel in doctrina vel in moribus.

Quomodo hîc sese gerere vnũ quẽq; oporteat, vt suæ conscientiæ consulat.

Quod ad primam igitur partem attinet, in qua monentur isti, non esse huius Sponsæ speciem ex illo extrinseco nigrore æstimandã: quàm sit hæc admonitio necessaria, ex eo constat, quòd vix quicquã est in rerũ natura quod non fastidiamus, si neglecto, quod illis ipsis rebus inest bono & pulchro, vitia & defectus attendamus: Sunt igitur vt rectè & vtiliter de re quacunque iudicemus, singula in vtranque partem consideranda & expendenda: quod si vlla alia in re, in hac sanè de qua disserimus, sedulò nobis est præstandũ. Huius rei triste quoddam exemplum præbuerunt Cathari vocati, nec non Donatistæ, & hac nostra ætate nonnulli Anabaptistæ, absolutam quandam pulchritudinem Ecclesiæ in hoc mundo imaginantes, quam suis peculiaribus cœtibus attribuunt, & idcirco sese à cæteris segregantes, in eo quidem miserè dupliciter decepti: Primùm quòd in solis Ecclesiæ næuis hærent, quasi Ecclesia propterea esse desinat: Deinde quòd in aliorum oculis festucam vel tenuissimam animaduertant, in suis verò crassissimam trabem non deprehendant. Est igitur in primis adnimaduer-

maduertenda vitiorum distinctio, quibus Ecclesia deformatur. Nam alia quidem ad mores spectant, quibus quantumuis deprauatis, siue in grege, siue in ipsis pastoribus, non oportet eò vsque offendi, vt propterea nullam ibi Ecclesiam esse iudicemus vbi hæc vitia cernuntur: dummodo nihilominus ibi doctrina veritatis audiatur. Sic enim nos admonet Dominus, qui de Scribis & Pharisæis differens, quatenus in cathedra Mosis sedentes, ea quæ Moses tradiderat docebant, Facite, inquit, ea quæ dicunt, at non quæ ipsi faciunt Matth. 23.2. Nihilominus tamen qui meritò vitiis istis offenduntur, iubentur ab huiusmodi hominum priuata consuetudine abstinere, sicuti monentur ab Apostolo. 1. Cor. 5. 11. Prophetæ exemplo Psal. 17. 4. & Psal. 1. ac etiam Lothi 2. Pet. 2 8. vel ad puriores quoque cœtus sese cõferre, si qui fuerint, vbi minus sit ipsis à contagione periculi. Sed quid si in ipsa doctrina sit vitium? ibi quoque adhibenda est moderatio. Sunt enim multæ in huiusmodi defectu circunstantiæ, quas perpẽdere magnopere conuenit, priusquàm Ecclesiam eo malo laborantem, quasi Ecclesiæ nomine indignam damnemus: siue multitudine abundet, siue sit infrequens ac pusilla. Sic enim esse faciendum docet nos exẽplo suo Apostolus ad Corinthiorum Ecclesiam scribens, in quam non modò irrepserant mores corruptissimi, sed etiam Ecclesiastica disciplina negligebatur, docendi ratio

vaniloquio & eloquentiæ ostentatione prophanabatur: atque adeò, quod erat maxime deplorandum, de capite resurrectionis mortuorum seriò vel etiam contentiosè in vtrãque partem disceptabatur: cuius tamen capitis tantum est momentum, vt eo sublato frustranea sit euangelij prædicatio 1. Cor. 15. 17. Nihilo secius tamen ab Apostolo, ista Corinthiorum Ecclesia, vera sanctáque Dei Ecclesia vocata est & habita. Inter Galatas autẽ res adhuc in deteriùs erant prolapsæ, inter quos plerique à falsis apostolis decepti, à præcipuo Ecclesiæ Christianæ fundamento, nẽpe à gratuita iustificatione, quam vnius Christi sola satisfactione adipiscimur, defecerant. Et tamen hos etiam Ecclesiæ nomine cohonestat Apostolus. Causa verò cur non illos statim damnet, quod ad Corinthios quidem attinet, ea fuit, quòd illi neque pertinacces neque deploratos adhuc sese præstiterant, & vt inter ipsos essent nonnulli, qui resurrectionis caput aut ignorarent aut perperam interprætarentur, corpus tamen ipsum Ecclesiæ veritatem retinebat. Galatæ similiter nequaquam in doctrinæ Apostolicæ veritatem insurrexerant, sed plerique ab ea duntaxat deflexerant, leuitate nimirum aliqua & humano duntaxat lapsu. Præterea ex iis quæ Apostolus ad Timotheum scribit & ex 2. Pet. & Iudæ epistolis, videre licet iam tũ fallaces doctores Ecclesias inuasisse, perditósque discipulos vbique sibi asciuisse: neque

propterea

propterea tamen illos cætus Ecclesias appellare dedignatur Apostolus: quemadmodum videlicet quispiam vlcere vel verrucula deformatus, nihilosecus homo est,& fortassis etiam homo egregius. At si de corpore penitus putrido,vel de cadauere quęritur,aliter statuendum est:cuius generis erant synagogę omnes iudaicæ,prædicationi Apostolicæ insanabili peruicacia obsistentes, à quibus Apostolus propterea Ecclesiam Ephesinam segregauit, vt & Romanam Act.19.8.& 28.28. prout etiam eius rei normam tradidit Philip. 3.2. nec aliter profectò hac ætate fuit vel est iudicandum aut statuendum de quibuscunque cœtibus,siue magnis siue paruis, qui palàm & ex professo firmis principiis & fundamentis Christianæ religionis resistunt:qualis est hodie inter cæteras,illa meretrix Romana septem montibus insidens, & directè Christi regnum,cuius nomine abutitur, oppugnãs, ideoque nobis meritissimè execranda ex Apostoli doctrina Gal. 1. 8. Vt autem vnde digressa est redeat oratio, summopere cauendum ne quum hac de re agitur, ita simus præcipites & morosi, vt ex vno aut altero næuo hanc illámue Ecclesiam respuamus:sed ita demũ de illis statuamus oportet, vt à ratione quam Deus præscripsit minimè deflectentes,excusemus quæ tolerabilia sunt, & oportunum remedium iis adhibeamus quæ curatione indigent & remedium patiuntur: cauentes interim ne cum oscitantibus, vt di-

citur, oſcitemus, aut ex carbonaria nigrorem contrahamus: ſed in eo laborantes vt alter alterum ædificet, quemadmodum Apoſtoli & Prophetæ nos vbique, tum ſcriptis tum etiam exemplis docuerunt.

Crux nō deformat Eccleſiam, immò eſt vna ex Eccleſiæ notis.

Sed hoc loco Sponſa de alio nigroris genere loquitur, nempe de externa Eccleſiarū ruina & diſſipatione, perſecutionum vi & impetu oppreſſarum, propter quas plerique diſcrimen inter terreſtrium regnorum ſplēdorem ac genuinum illum fulgorem regni ſpiritualis ac minimè mundani neſcientes, & facilè ſub luſtri aliquo nitore extrinſeco decepti, aut ab ingreſſu in Eccleſiam prorſus abſtinent, aut ingreſſi ad vomitum retrocedunt 2. Pet. 2.22. At illi certè vel non didicerunt, vel obliti ſunt non eſſe in illa ingrata ſpeciè crucis inſiſtendum, ſed penitus eſſe pulchritudinem veram ac natiuam Eccleſiæ in mediis ipſius ærumnis obſeruandam. Idcirco Dominus poſtquam admonuit Luc.17 20. regnum ſuum nulla huiuſmodi præeunte obſeruatione aduenturum, addit beatos eſſe qui ad ipſius conſpectum non offenduntur, quem interea Ieſa. virum dolorum appellat, & qui Pſal.22. 7. cum viliſſimo vermiculo confertur: Cui tamen eſt neceſſe vt Eccleſia (ſi vera eſt Eccleſia) cōformis fiat Rom. 8.29. Tantum igitur abeſt vt crucem obſtare oporteat quominus Eccleſiam veram dignoſcamus, vt è contrario vera ſit eius nota: qua ſolis verè fidelibus datur vt pro Chriſti nomine

nomine affligantur:(Nam alioqui martyres non facit pœna ſed cauſa) clamante Apoſtolo ſeſe de hac vna re in domino gloriari Gal. 6.14. Matth. 5.10. Phil. 1. 10. & alibi paſſim. Et huc etiam refertur altera huius admonitionis Sponſæ pars, poſtquam ſe fuſcam eſſe agnouiſſet, deinde hieroſolymitanas iſtas compellantis, ac ſi diceret. Collata quidē vobiſcū nitidis & ſucculētis, ita ſordeſcit mea facies, vt nulla alia magis deformis videatur: ſed ſi ſatis acutè cerneretis, ſtatim animaduerteretis me, licet ardoribus ſolis infuſcatam, neūtiquam tamē eſſe Arabem aut Aethiopiſſam. Pręterquam enim quod diximus de felici afflictionum Eccleſiæ exitu, permagnū eſt diſcrimen inter miſerrimum eorum ſtatū, quos Deus vel iratus vlciſcitur, vel in illo natiuo nigrore deſerit: & piorum ſub cruce pro iuſtitia & gloria Dei exultationes. Deinde ne in calamitoſo quidem ſuo ſtatu conſiderata Eccleſia tam miſera eſt quàm eſſe in ſpeciem videtur. Deus enim, vt Apoſtolus inquit, omnino fidelis eſt, neque patitur ſuos vltra ipſorum vires tentari. 1. Cor. 10. 13. Itaque verè quidē premimur ſed non opprimimur: egemus ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non deſerimur: deiicimur, at non perimus. 2. Cor. 4. 8. Denique ſi de rerum natura ex vltimis illarum effectis iudicandū eſt, color hic fuſcus nobis iter eſt ad verum illū ac nitidū candorem. Nullius enim ſunt momenti huius mundi perpeſſiones collatæ ad

pondus æternæ gloriæ quæ nobis proposita est, 2. Cor. 4. 17. ad quã itinere crucis peruenitur, qua iustitiæ causa ac propter Christũ afficimur, Mat. 5 11. Et hæc illa est consolatio, Hierosolymæ terrenæ ciuibus, de quibus hic agitur opponẽda, qui nos tanquã miserrimis miseriis oppressos despiciũt, ignorãtes quę & quantæ nostræ sint opes: sicut olim, ita nunc quoq; tenebris Ægyptũ occupãtibus, & sola luce terram Gosen illustrante. Age igitur statuant illi de nostro colore, siue atro siue fusco, quicquid ipsis libuerit: nobis autem illud satisfaciat quòd aliter de nobis Spiritus sanctus pronuntiet, ad quem prouocamus, certissimi fore vt causa non cadamus.

Præcipuæ desolationes Ecclesiarum ortæ sunt à malis gubernatoribus.

Tertiũ huius expostulationis caput in quo declarat Spõsa fuscã se natã nõ esse, sed filiorũ matris suæ culpa factã, à quibus expulsa est ac sub dio degere coacta apud exterorũ vineas, quũ in sua ipsius vinea versari potius debuisset, excellentẽ quoq; doctrinã continet. Eã verò vt intelligamus, notandũ est in primis natiuo eo nitore cui Spõsa adustionẽ aduentitiã opponit, minimè significari statũ in quo ipsi quoq; filij Dei nascuntur, filij iræ videlicet, vt cæteri omnes, Eph. 2. 3. ac perindę fœdissimi atq; spurcissimi: qua de causa Ecclesia quæ sanctorũ est cœtus, quod ad naturalẽ illã generationẽ attinet, cõparatur cum immũda & sordida puella ex vtero matris prodeunte, Ezech. 16. 6. Sed eius nitoris (per hũc nigrorẽ postea deformati origo petẽda est ex illa

illa Spōsæ gratuita vocatione, siue spirituali regeneratione, Ioh.3.6. Ezech.16.4. cui suffragatur id quod de Abrahamo dicitur Iosue 24.2. Huic igitur splendori, siue fœlici statui, qui cōiugij appellatione in hoc Cātico significatur, & cuius Sponsalia luculēto apparatu trāsacta sunt in mōte Sinai, quū ibi erigeretur tabernaculū, adhibitis sacris illius ritibus, quorum corpus ac veritas est Iesus Christus Domin⁹ noster, Col.2.17, Heb.9: huic, inquā, splēdori qui lucidior etiā sub Dauidis ac Solomonis regno emicuit, opponitur fuscus ille, & nigrās Sponsæ color, qui dupliciter potest intelligi. Nā aut ista referre possumus, ad horrēdas illas turbas & cōfusiones, quæ populū Dei à morte Iosue ad ętatem vsque Dauidis non semel exagitarunt, vt ex Iudicum historia liquet: aut ad eas desolationes accommodare, quibus tum regnum Iuda sub plerisq; Regibus, ex stirpe Dauidica, tū Israeliticū, oppressa sunt, quoad misera Ecclesia ad barbaras gētes fuit deportata: quinetiam iis calamitatibus adaptare quæ reditū Ecclesiæ ex Babylone sequuta sūt, imperātibus Gręcis ac postea Romanis, vsq; ad Iesu Christi aduētū, & eiusdē in cœlos discessū: quę quidē omnes miseriæ videntur hoc loco à Solomone prophetico Spiritu pręnūciatę. Sed obiectabit fortasse quispiā exp̄ssè hic agi de eiectiōe quā passa sit Spōsa, nō ab exteris, sed à domesticis ac propinquis, quos propterea matris suę filios appellat. Ego verò ad hoc respōdeo,

insigniores clades, quibus affecta est Iudæorum Ecclesia, nequaquam illas esse vel à vicinis aut intra ipsam Cananitidem relictis gentibus, vel à remotioribus, putà Assyriis, Chaldæis, Ægyptiis, & cæteris populis in sacra historia connumeratis illatas: sed eas potiùs quæ ipsorum Sacerdotum & Regum culpa acciderunt, vt ex Iudicum historia patet, præsertim ex cap. 2. 10. & 4. 1. & 6. 1. & 8. 27. & 10. 6. idque præcipuè grassante ciuili bello. ca. 12. atque adeò sub ipso Samsone, cuius vitæ series clarè demonstrat quam negligenter Sacerdotes ac Leuitæ muneribus suis defungerentur. Nec minus hoc idem testantur impiorum regum acta, tum in decem tribuum regno, in quo legitimus Dei cultus vsque adeò desiit, vt ipsis profligatis Leuitis, Prophetarum relquiæ in deserta & speluncas profugere sint coacti, in quibus delitescentes, boni cuiusdam viri singulari pietate, pane & aqua sunt sustentati, 1. Reg. 18. 3. tum etiam in regno Iuda, in quo nullos atrociores aduersarios sunt experti fideles serui Dei quàm ipsos Reges & Sacerdotes, præsertim sub Achazo, 2. Reg. 16. 12. & Manasse 2. Reg. 21. 9. Præterea illud quoque obseruandum est, quoties per exteras gentes Dominus populum suum iustis pœnis affecit, istud ferè semper factum propter scelera quæ domi, tum à Sacerdotibus, tum à cæteris gubernatoribus patrabantur: adeò vt mœstissima hæc Sponsa totius calamitatis ac deformationis ipsius,

ipſius, culpam in filios matris ſuæ deriuet, à quibus extra vineam ſuam ſit extruſa, & ardoribus ſolis expoſita: id eſt omnibus omnium iniuriis obiecta, quas pati poſſet miſera oberrãs ac vaga puella, ad ipſos vſque hoſtes foras abacta.

Cæterùm notandum eſt non hoc duntaxat loco hæreditatem attributã Eccleſiæ Iudaicæ, nempe terram Chanaam, aſſimilari vineæ diligentiſſimè plantatæ & excultæ, ſepibúſque & foſſa accuratè munitæ, vbere denique fructuum copia beatæ: ſed etiam Pſal. 80. per Aſaphum ætate Dauidis & ipſius Solomonis & poſtea ab Ieſ. 5. 1. & Ierem. 2. 20. & Ezech. toto 17. quod demum expoſitum eſt à Domino Matth. 21. 23. Neque temerè Spiritus ſanctus hac ſimilitudine vſus eſt: vtpote aptiſſima, quòd nullum agri genus reperiatur æquè fructuoſum & quod diligentiorem cultorem requirat. Quoniam autem vt vnus eſt Deus, vna fides, vna Eccleſia, ſic tũc quoque vna duntaxat erat regio Deo ſacra, vnus populus aſcitus in fœdus, vnicus locus verè religioſus, extrinſeco & ordinario cultui Dei dicatus Hieroſolymis: ideo Sponſa de vna tantùm vinea loquitur numero ſingulari, cui extraneæ vineæ, numero multitudinis, opponuntur, quarum videlicet maximus eſt numerus.

Cur Sponſa hic faciat vineæ mentionem.

Aptè igitur conqueritur quod per filios matris ſuæ ipſi non liceat vineam ſuam poſſidere, vbi ali commodiſſimè, & natiuũ ſuum

Quo ſenſu Eccleſia vocet eos ma-

tris suæ filios à quibus affligitur.

decorem fouere potuisset. Quod siquis roget cur nō potius istos de quibus expostulat, patris quàm matris suæ filios, aut etiam fratres appellet: Respondeo idcirco id factum vt matri & vterinis fratribus suis parceret: modestia optimè cōueniēte huic Ecclesię veræ, cuius personam hæc Sponsa sustinet: sic tamen vt reticere noluerit matris suæ culpam, id est eiusdem quidem Ecclesiæ, sed cōsideratæ tanquam in persona matris, quæ hanc Sponsam de illa vt matre sua conquerentem genuerit, prætermittere: vtpote quæ initio quidem bene & honestè se gesserit, hac verò Deo genita ex se filia, ad deos alienos sit euagata & turpiter cum iis scortata, quod est illi passim & à Mose prædictū, & à sequētibus Prophetis exprobratum. Agnoscit igitur hæc nostra Sponsa, istos quos hic incusat, nempe malos rectores & vinitores, secum ex eadem matre, sed illegitima copula procreatos, vt copiosè ab Ezechiele differitur cap. 16. à me toties citato & cap. 23. sub nominibus duarū sororum quibus duo regna Israelis allegoricè significantur: vt & ab aliis passim Prophetis: quæ adulteria ab ipso Mosis tempore cæperunt & sub Iudicibus viguerunt. Hoc igitur perinde est, ac si illos spurios apertè nominaret, vt Psal. 144. 11. verbis tamen mitioribus, & sermone modestiore vsurpato, exemplo Dauidis Psal. 69. 9.

Vnde oriatur fratrum spurium ira

Diligenter verò attendendum est illud etiam quod addit: hos fratres in ipsam excanduisse

duiſſe: cuius iniuriæ cauſa exponitur Ioh. 3. 20. nempe quoniam qui malè agit odit lucem, à qua produntur mala ipſius opera Ioh. 15. 19. & quod inter Eccleſiam & mundum tam male conuenit, vt qui vnum amat alterum oderit Iacob. 4. 4. Sic igitur ſeſe gerit mundus in ipſam quoque Eccleſiam irrepēs, immeritò exoſam. Et illum quidem viciſſim, odit Eccleſia, ſed diuerſo prorſus genere, vtpote quæ non homines ipſos oderit, ſed eorum vitia qui ſe perditos volunt, & quorum contrà ſaluti ſtudet, bonum prò malo rependens. Denique & illud obſeruandum eſt, ſpurios iſtos in ſororem inſurgentes, eò vſque interdum, quoties videlicet Deo ſic viſum eſt, progredi, vt illam ad tempus extra ſuam vineam exulare cogant, tantiſper illam occupantes dum in integrum Diuinitus reſtituatur, Pſal. 80. & Matth. 20.

aduerſus ſororem innocentem: eò vſque interdum progrediens, vt ipſam ad tēpus ex poſſeſſione ſuæ hæreditatis deiiciant.

Eſt autē hæc obſeruatio noſtris iſtis temporibus, ſi vnquam aliâs, perneceſſaria, iis admonendis quibus tam nouum & incredibile videtur quod docemus, & quod euidentiſſimè demonſtramus: nempe præſentem Eccleſiæ Chriſtianæ ſubuerſionem, ex malis huius vineæ cultoribus prodiiſſe: quorum & ignauia, & ſcelere, vinea Domini vſque adeò inculta euaſit, vt ante annos 70. vix illius veſtigium vllum appareret. Hoc igitur illis tam nouum & alienum ab omni ratione videtur, vt hodie plerique ad hunc ſcopulum impingentes, ferre nequeant miſeram ita defor-

Applicatio huius doctrinæ ad Eccleſiæ ſtatum qualis fuit à multis iam ſeculis, & nunc etiam pleriſque locis durat.

matam Sponsam recognosci, & antiquum illum suum nitorem paulatim recipere suę vineæ restitutam, quæ nunc non est vnica regiuncula vel ciuitas, sed orbis vniuersus: à quo hunc Sponsum agnosci & coli oportuit. Ex hac enim amplissima ditione depulsam illam à duobus Antichristis, Mahumete videlicet in Oriente, & Romano Pseudepiscopo, in Occidente affirmamus, & ex Dei verbo ostendimus: quorum ille funditus templum Dei subuertit: iste verò in ipso Dei templo sedet, vt prædixit Apostolus, 2. Thess. 2.4. Idem quoque quoties olim Ecclesiæ Iudaicæ accidit? adeò quidem, vt meritò affirmare liceat inter illius gubernatores vix duodecim recenseri posse, qui nó magis illam destruere quàm extruere studuerint, vt sacræ omnes historiæ testantur, tandem etiam reipsa impletis in ipsum Dominū præsentem, iis quæ de ipso prædicta leguntur, Psalm. 22. Ies. 28.6. Matth. 23.33. ipsa quoque Hierosolymorum vrbe Prophetarum interfectrice appellata. Agedum igitur Prophetia quæpiam vel promissio Euangelica proferatur, vnde liqueat Romæ irrogatum fuisse priuilegium, ex quo vniuersalis Ecclesiæ metropolis censenda sit: vt olim fuit Imperij Romani caput: & præterea hoc illi tributum, vt errare nunquam potuerit. Atqui tantum abest vt talis illa sit, vt contrà veluti digito demonstretur sedes ibi futuræ defectionis, tū ab Apostolo, Thess. 2.3. tum à Iohanne Theologo in Apocalypsi,
nec

necnon à plerisque veteribus, tum Græcis, tum Latinis: licet mysterium hoc quod iam ipsis viuentibus struebatur ignorarent. Neque hoc duntaxat accidit sedi, quæ est bestiæ, id est Imperij Romani imago cui successit: sed in reliquis etiam Ecclesiis quacunque patet terrarum orbis, vt perfacilè sit demonstrare prædictionis Pauli, Act. 20. 30. euētum, vix vllam videlicet hæresim in Ecclesia ab Apostolorum temporibus exortam, quæ vel non sit à falsis Episcopis Pastoribus aut Monachis exorta, vel ab iisdem promota & adornata. Nec alij sunt qui nostra ætate opus Domini impediant ac disturbent, ægerrimè nimirum ferentes vineam Domini, quam adeò flagitiosè neglexerunt, &, quantum in ipsis fuit, perdiderunt: sedula fidelium Pastorum ope suo Sponso restitui. Sed hoc tamen suo tempore proculdubio vineæ Dominus, gemitibus ac lachrymis suæ Sponsæ mœrentissimæ exauditis, præstabit, quod facere iam nonnullis locis pro bonitate & clementia sua incepit, & ab ipso sic precantes postulabimus. Deus omnipotens, &c.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA OCTAVA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino, &c.

Quod ſequitur extat in Cap. 1. verſ. 7.

7 Indica mihi (*tu*) quem diligit anima mea vbinam paſcas: & vbi cubare facias (*pecus*) in meridie.

Vnde ſumẽda ſit Eccleſiæ emendatio, & quàm infælici ſucceſſu hoc opus aggreßiſint cum veteres tum noſtræ ætatis hominesquã plurimi.

ECcleſiæ ſtatus qualis præcedente verſu deſcriptus eſt, ad ea intelligenda nobis gradum facit, quæ nũc iſtis ſubiungit Sſpõſa, ad Sponſum ſermonẽ dirigens, & quorũ hęc eſt ſumma. Seſe licet à ſpuriis ac degeneribus ſuis indigniſſimè expulſam & vexatam, confidere tamen quòd, quantumuis decolor, nihilominus ab illo Sponſo ſibi viciſſim chariſſimo diligatur: ac proinde ſuppliciter illũ inclamare, vt ex ipſo intelligat vbinam ipſe verſetur, vt non modò in priſtinum honorẽ reſtituatur, verùm etiam illi proximior quàm vnquam antea facta, magis magíſque formoſa & ipſi grata euadat. Hoc igitur in ſumma nobis hic proponitur explicandum, vnde luculentam & perneceſſariam doctrinam eruamus, hoc preſertim ſeculo, in quo de hac ipſa quæſtione, id eſt de vera Eccleſiæ inſtauratione, tam miſerè à ſuis paſtoribus habitæ diſceptatur. Cæterùm nulla hic eſt vocula

quæ ſuo pondere careat,ac proinde quę non ſit diligenter expendenda. Itaque attendere nos decet in primis, ad quem verba faciat Sponſa,& quanta vehementia loquatur iſtis verbis vtēs, *Tu quem diligit anima mea*, Suum ſanè Sponſum alloquitur, nempe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ídque minimè ſimulatè, ſed ex intimis animi medullis ſuum erga illum feruidum amorem exponens, vt ab eo reſponſum eliciat. Primùm igitur hinc diſcamus quoties de reſtituenda in priſtinū ſuum ſplendorem Eccleſia quæritur,non eſſe conſulendum hominum cerebrum animale. 1.Cor.2.14.ſed os illius vnius Sponſi per prophetas Eſa.8.20. & Apoſtolos loquuti Rom. 10.8. Huic enim vni fas & ius eſt ſuam chariſſimam Sponſam arbitrio ſuo veſtire & ornare: quam vnam rationem niſi penitus & nuſquam aberrantes ſequamur, futurum eſt neceſſariò, vt quo magis illam ſataget quiſpiam decorare, eò magis eam deformet, & modò in hanc modò in illam ſpeciem tranſmutet, vt Eccleſiæ Chriſtianæ iampridem eueniſſe videmus, & nobis magnoperè metuendum eſt ne rurſus hac ipſa ætate noſtra eueniat. Vnde enim irrepſit in Eccleſiā Chriſtianam hæc transformatio niſi ex eo quòd qui primis paſtoribus Eccleſiarum ab Apoſtolis inſtitutarum ſucceſſerūt, pro eo quòd ipſos oportuit in illo ſimplici & natiuo huius Sponſæ veſtitu,qualem ipſi concinnarāt, diſpoſuerant, aptarant, veri à Ieſu Chriſto

designati Apostoli, acquiescere, nouum cultum prout ipsis libuit excogitarunt, adhibitis ritibus, aliis quidē à iudaismo manifestè mutuatis, aliis verò ex ipso paganismo petitis, aliis denique certorum arbitrio excogitatis. Nam postea, prout vel authoritate certæ pollebāt Ecclesiæ, vel opinione sanctitatis celebres erātEpiscopi, huiusmodi ceremoniȩ sunt eò facilius in alias ignobiliores Ecclesias inuectæ, eòvsq; vt tādē Catholicæ, id est vniuersales euaserint. Nihil autē hîc à me affertur, quod nō possit grauissimis ac euidentissimis testimoniis probari, si tēporis spatiū pateretur. Quinam istud verò? inquies. Certè religionis prætextu, nempe vt Christianus cultus eò fieret commendatior. Et quò res tandem deuenit? Eò videlicet, vt hac ratione vafer ille noster hostis, eorum etiam ipsorū opera vsus qui nihil minus cogitabant, tandem id quod optabat obtinuerit, id est pura & casta Domini Sponsa paulatim expulsa, scortum omni meretricio cultu speciosum in templo Dei collocarit. Idem quoque accidit Israeliticæ Ecclesiæ quum Pontifices & alij ab iis discedentes quæ diuinitus accepta tradiderat ac studiosissimè obseruarat Moses, Heb. 3. 6. addito mandato vt cuncta iuxta exemplar quod in monte fuerat illi monstratum, exequeretur. Exod. 25. 40. addita etiam prohibitione arctissima, ne quicquā iis quæ Deus expressè verbo suo constituerat, adderet aut detraheret Det. 4. 2. ausi sunt vnà mi-

scere

ſcere vaniſſimas traditiones & commenta, non modò inaniſſima, vt loquitur Eſaias 29. 13. ſed etiam abominanda tandem,& preceptis diuinis ex diamerto oppoſita. Matt. 15. 6. Sic ergo, poſtquam ſemel à verbo Dei ſenſim aberratum eſt , fœnum & palea ſuperſtructa ſunt, retento nihilominus fundamento ſicut proſpexit & prædixit Apoſtolus. 1. Cor. 3. 12. Inde verò tandem nec ita multò poſt, eò vſque deuentum eſt vt ipſi Deo leges præſcribere non dubitarint ſtulti mortales, ſpretis ſalutaribus Apoſtoli monitis 2. ad Timoth. 3. 1. & ad Coloſ. 2. 18. Nunc igitur quum de inſtauranda Eccleſia diſceptetur , exorto die Domini, quo fœnum illud & palea conſumantur, flammeo illo ancipitique verbi gladio Apoc. 1. 16. & armis ſpiritus omnis poteſtas ſeſe aduerſus Chriſtum erigens aboleatur 2. Cor. 10. 4. meminerimus ad ſolam Dei ſapientiam nobis apertè ſignificatam atque accuratiſſimè ſcriptis mandatam, eſſe recurrendum, & ſic in illius præſcripto permanēdum, vt nihil noſtri admiſceamus , ne in eoſdem illos errores incidamus , quibus emendandis ſtudemus. Vtinam verò diligentiùs iſtud animaduertiſſent, & eſſent ſequuti cōplures , qui non vno loco, præpoſtera quadā moderationis ſpecie , retinuerunt quæ radicitus erant initio extirpanda, cuiuſmodi ſunt Idola in Templis olim religioſo affectu poſita & culta, cruces, pallia, caſulæ, cantus infracti, lineæ veſtes, pilei cornuti, aliæque notæ

ſacrificulorum Baaliticorum peculiares: quæ omnia à nonnullis in numero rerum ſemper indifferentium recenſentur, nulla habita ratione contrariæ cenſuræ Domini, quum de Phariſæorum lotionibus loquitur Marc. 7. 2. quamuis alioqui manuum ablutio verè per ſe res eſſet, non ſolum indifferens, verumetiã ſub prætextu munditiei laudanda. Rurſus autem non deſunt alij qui ſacris functionibus domus Domini, à Dei ſpiritu inſtitutis, minimè contenti, & pleroſque reges Iuda alioqui non peſſimos imitati Eccleſiam ſic emendantes, vt interea excelſis locis parcerent, laruatæ quidem illi Eccleſię, caput pręciderunt, Papam videlicet & Cardinales, ſed reliquum imaginis beſtiæ id eſt meretriciæ illius hierarchiæ retinuerunt: adeò, vt niſi Deus prouiderit, periculum ſit ne vitatis cineribus in prunas incidãt, ac pro vnico, plures Papas, vel etiã aliquid magis pudẽdũ tolerare cogantur. Hoc autẽ pro ſua miſericordia vtinam potiùs auertat dominus: ac potius ita inſtauretur Eccleſia ſicut hoc loco nos docet Sponſa, & ex Sponſi quoque reſponſo intelligemus.

Emendationẽ Eccleſiæ (quæ gratuitum Dei beneficiũ eſt) pura mẽte expetendã & perſequẽdã eſſe: & quo

Solius igitur Dei eſt tradere formam, ſiue condendi, ſiue inſtaurãdi ædificij, quod propterea domus Dei dicitur, 1. Cor. 3 9. Sed hoc addimus præterea, ipſius vnius eſſe munus, poſtquam Eccleſiam ſuam exornarit, nobis oculos tribuere, quibus ipſam qualis eſt dignoſcamus, vt ei aggregemur. Futurum enim

eſt

est alioqui vt Euangelium, quod est ornamentorum Sponsæ præstantissimum,& quo maximè honestatur, & à mundo cuius apparentia decipimur segregatur, 1.Cor.7.31.nobis proculdubio vel offendiculo sit, vel ludibrio,1.Cor.1.23.Omnino igitur necesse est,vt nobis Deus,& oculos ad vidēdum, Psal.146.8.Ies.35 5. & aures cordibus nostris ad audiēdum largiatur, Act.15.14.Psal.40.8.In summa doceri nos ab illo necesse est, Iesa.54.13.eius, inquam, vi qui nos ad veritatem omnem introducit,Ioh.16.13. id quod efflagitat Sponsa in hac rerum confusione, quam hodie quoque spectamus,etenim si lucem istam ne tum quidem quum ob oculos posita loqueretur, mortales intueri non sustinuerunt, 1.Cor.4.4. quid miramur illam rursum apparentem, postquam eam Dominus tot seculis sic merentibus hominibus obruit, à paucissimis agnosci? Deus igitur is demum est quem his verbis compellare nos oportet, *Indica mihi vbinam pascas gregem tuum.* Neque satis est istud petere,nisi syncerum & feruens desiderium eius rei cognoscēdæ, & Dei gloriæ amplificādę afferamus.Hoc enim istud est quod declarat istis verbis Sponsa. *O tu quem diligit anima mea,*id est, mi Sponse ac Seruator, in quem omnes affectus meos effudi,&c. Quocirca minimè mirum est quòd opus Dei videamus hodie, non modò non progredi, sed etiam retro relabi:& nō paucis locis quibus Sol ille veritatis clarę cœperat lucere,

consilio Spōsa faciat sui in Sponsum amoris mentionem.

tenebras duplicatas cernamus. Docet enim experientia nimiùm multos esse, qui meretricem quidem istam monilibus suis spoliarunt, at non sanè eo consilio, vt Mosem in Vitulo aureo, Exod.32.20. aut Ezechiam in Serpente æneo, 2.Reg.18.4. imitarẽtur: (quod etiam nequaquam semper faciendum esse fatemur) neque vt quæ impiis superstitionibus seruierant, ad rectos & pios vsus deinceps traducerent, sed (ausim hoc dicere? certè audebo) vt sacrilegiis, ditati, Christum relinquerent, aut nudum, eorum militum exemplo à quibus fuit crucifixus, aut pessimè certè vestitum, vt iam experimur: cuius rei admoneri maximè oportet, tum eius sceleris conscios, vt de hoc emendando cogitẽt, tum alios qui sanctiùs in eo sese gesserunt, vt eo nomine Deo gratias agant, & nihil vnquam tale aggrediantur. Hoc enim non est Deum, sed Dei bona supra Deum & extra Deum amare, quum è contrario testetur Sponsa sese Deum toto corde, & quantum potest quicquam diligi, diligere.

Quo consilio Sponsa faciat suæ in Sponsum dilectionis mẽtionem.

Quod autem illa de dilectione sua erga Deum commemorat, nequaquam ita interpretandum est, ac si merita sua commendãs, Deum tãquam sibi vllis meritis obstrictum debitorẽ interpellaret. Quum enim is amor quo Deum nostrũ prosequimur, sit donum ab eius liberalitate profectum, qui prior nos dilexit, 1.Ioh.4.10. tunc quoque quum ipsum oderamus, Rom.5.10: efficitur eo ipso nomi-

ne

ne nos esse illi obstrictos, non autem ipsum nobis quòd ipsum amemus: Deinde quum ex eo quòd illum amamus nihil illi prorsus accedat, quàm absurdum, quæso, fuerit, & gratiæ Dei repugnans, meritum vllum huic nostro in illum amori affingere? Hæc tamen non obstant, quominus illi possimus, ac etiam debeamus dona quæ ab ipso accepimus repræsentare, vt ex illis tanquam notis quas nobis vt omnibus suis impressit, agnoscere nos non dedignetur.

Cæterùm pergamus & Sponsæ nostræ postulatum expendamus, nempe *vt illi Indicet Sponsus vbinam pascat atque cubare faciat pecus* siue gregem *suum meridie*, id est calente Solis æstu. Hic est ergo communis vsus scripturæ, vt pastoris quidem nomen Iesu Christo Domino nostro, gregis autem appellatio Ecclesiæ tribuatur: vnde efficitur hoc pabulo quidem verbum Dei, pascuis verò loca in quibus verbum istud syncerè proponitur, intelligi: quæ res nulla indigent probatione, quum huiusmodi loquutionibus pleni sint vtriusque fœderis libri.

Sponsi cum Pastore: Sponsæ cum grege collatio.

Omissa verò pleniori explicatione fundamenti cui superstuitur hæc allegoria, in primis nodum hîc nobis sese offerentem soluemus. Etenim si Ecclesia, quæ vnica est, inducitur hic loquens, atque ipsamet grex Domini habetur: quemnam alium gregem hîc ab ipsa requiri existimabimus? Huic igitur quæstioni siquis ita responderit vt dicat vni-

Quomodo sit accipiendum hoc Sponsæ desiderium gregem sui Sponsi inquirentis.

cam esse quidem Ecclesiam Dei,sed tamē bimembrem, cuiuis videlicet pars quidem vna iam in cœlos recepta sit, quæ communiter Ecclesia triumphans appellatur iustorū spiritibus constans Heb.12 23. altera verò hìc in terris adhuc versetur quam militantem Ecclesiam vocant, qua etiam distinctione vsus est Paulus itidem hanc Dei familiam in duas partes diuidens Eph.1.10. Col.1. 16. & 20.Si-quis, inquam, ad hanc difficultatem ita responderit, dixerit quidem verum sed parum apposité. Nam in cœlis quidem propriè loquendo vera pax nostra sita est, sed ibi rectè nullus est æstus meridianus. Hic autem agi de solanda ac instauranda Ecclesia, quæ sit persecutionibus miserimè vexata, & penè obruta,tum ex huius loci verbis, tum ex superiore versiculo,atque mox sequente Sponsi responsione liquet: vt etiam supra plenissimè exposuimus. Cæterùm licet verè vnica sit duntaxat Ecclesia, hoc tamen nihil impedit quominus,vt est per diuersas mundi partes dispersa, alicubi meliùs, alicubi deteriùs habeat. Sic hodie videmus in plerisque orbis terrarum regionibus Ecclesiam Dei externo illo eximio ornamento publicæ veri Christianismi professionis destitutam, quod in nonnullis singulari Dei Opt. Max.benignitate floret,perfugium aliquod vexatis & oppressis suis aperientis. Sed omnino videtur adhuc aptiùs & congruentiùs, Sponsa vni-

uer-

uerſaliter conſiderata, miſeriis oppreſſa, atque deformata petere à ſuo Sponſo, vt de modo ac ratione doceatur, quibus ſolitus ſit Eccleſiam ſuam paſcere, inter huius mundi turbas atque tempeſtates: ac ſi diceret, ſeſe in maximas quidem anguſtias coniectam eſſe, minimè tamen animò frangi, neque propterea in illum aliter quàm prius affici, vt Pſalm, 44. 18. & 89. 39. habetur, ſed tempore tam proceloſo, in quo tãquam in deſertis ac ſolitudine verſetur, recti tramitis veſtigia non agnoſcere, ideóque à Sponſò expoſcere, vt illa ſibi demonſtret, & tutam ſemitam prænotet, quo poſſit ad tranquillas ſedes penetrare. Vt autem huius loci genuinum ſenſum eruamus, agedum conſideremus qualis fuerit in vniuerſum Eccleſiæ Chriſtianæ ante annos circiter 80. ſtatus: quo tempore ſiquis ex iis qui ſeſe pro Chriſtianis immò pro Eccleſiæ Chriſtianæ columnis iactabant, quæſiuiſſet quidnam libri eſſent Biblia, & Nouum in primis Teſtamentum: vix milleſimus quiſque habuiſſet quod reſponderet: tantum abeſt vt de Legis & Euangelij diſcrimine, & vero Dei cultu quicquam ipſis innotuiſſet. Neque dubium eſt quin ij quibus hoc tribuit Dominus, vt de recta via inter vaſtas illas ſolitudines ſibi & nobis inueſtiganda laborarent, idem quod hoc loco Sponſa, in eodem ſtatu poſiti, aſſiduis à Deo precibus ex-

postularint, alioqui & ipsis & nobis vnà cum reliquorum turba haud dubiè perituris. Immò etiam hodie quid aliud tot pias animas in variis orbis regionibus languentes & suspirantes, facere existimauerimus, quàm Deũ precibus fatigare vt in istis tam sinuosis labyrinthis ab ipso rectum iter edocti, ad illa pascua fœcũdissima vbi Dominus quàm tutissimè ad satietatem vsque suas oues reficit, tandem peruenire possint?

Quantoperè fallãtur qui quieta statione Ecclesiæ neglecta. procelloso mari huius mundi sese committunt.

Hæc sunt igitur proculdubio verorum Dei filiorum assiduæ preces cum suspiriis inenarrabilibus fusæ, iis bonis destitutorum quibus abundamus. At nos contra, tantam hanc Dei benignitatem, Eheu, quàm impiè aspernamur, & flagitiosa vita gratiam & misericordiam nobis in Euangelio præbitam certo nostro malo in horrendum aduersum nos iudicium conuertimus? Quid autem illis fiet qui iam in illam huius requietis regionem ingressi, Sodomam atque Gomorram quærunt, vt olim Lothus Abrahami domo sponte demigrauit? Gen. 13. 10. ídque maximo cum suo totiúsque suæ familiæ diuinitus tandem maledictæ, & ex Ecclesiæ consortio eiectæ, malo, Gen. 14. 12. Deut. 23. 3. At, inquiunt illi, Euangelium vnius, neque prouinciæ, neque vrbis mœnibus includitur. Hoc ego verò illis vltro cõcedo, sed eos admoneo, vt etiam atque etiam attendant Sponsam hîc quærere de eo demum loco, siue iis locis vbicunque siti sint, vbi gregem suum pascat. Neque maioris

ioris est momenti quod iidem rursus excipiunt, fore videlicet, vt quocunque venerint verum Deum colant: &, vt verbum Dei publicè audire nequeant , tamen priuatim illud, precibus adhibitis, legant & meditẽtur. Quibus respondeo Lothum quoque Sodomæ afflixisse animam suam, 2.Pet.2.8. (quod tamen ex istis plerique non faciunt) sed tamen neque ipsum, neque eius filias ibi sapientiores euasisse, Gen.19.8.& 16.31.

Quare meminisse nos in primis decet, huius petitionis Sponsæ summam in hoc versari, vt doceatur quonam recipere se , alioqui cum mundo peritura, debeat, vt æternæ vitæ pabulum nanciscatur. Hoc autem his verbis declaratur, *vbinam pascas*, in quibus illud quoque obseruandum est, minimè dicère *vbi sunt pascua*, sed *vbi tu pascis:* & ita nos moneri, tum hoc pabulum nobis extra nos omnino quærendum esse, nimirum in illo, de quo vnico dictum est, quòd vitam in seipso habeat, Ioh.5.26.& sit panis vitæ, Ioh.6.35. tũ cauendum esse, ne hoc pabulum extra ipsius pascua queramus, ibi demum sita vbi Dei verbum personat. Testis est eius rei Petrus, qui Ioh.6.68. quônam iuerimus? inquit. verba vitæ æternę habes: Audiuerat enim à Domino paulò ante, Verba quę dico vobis, Spiritus & vita sunt. Quamobrem etiã Christus, 1.Ioh.1.1. verbum vitæ dicitur. Hic enim est verus & propriè vnicus ille animarum nostrarum pastor, pascens oues suas: patres ab initio mul-

Nullibi certã quietem reperiri, præterquam in eorũ consortio, quos ille pascit, qui & re, & nomine verus Pastor est.

tis vicibus multísque modis affatus, ac tandem totius voluntatis paternæ præsens factus doctor & explanator Ioh. 15.16. & is demum qui pastores atque doctores perpetuo sufficit Eph. 4.11. de quibus loquens in Apostolorum persona, Quemadmodum inquit, pater me misit ego vos mitto Ioh. 20.21. missis certè Apostolis non vt doctrinæ à magistro iam ante annunciatæ vel tantillum adderēt aut detraherent, sed vt intra prȩscripti mandati terminos sese continentes diuinitus dictata prædicarent, Matt. 28.20. & Act. 4.20.

Falsorũ pastorũ & falsi gregis notæ, à quibus summoperè cauendum est.

Hinc verò duo emergunt axiomata cognitu pernecessaria. Vnum, minimè ibi esse Ecclesiam Dei vbi homines pascunt, id est suas traditiones & à se excogitata venditant, siue prorsus noua vt Ies. 29.13. siue quibus, vt modò diximus, doctrinæ iam à prophetis & Apostolis prædicatæ quicquam adiicitur, aut detrahitur, quod nomine fermenti Pharisaici Dominus perstringit. Matt. 16. 11. & copiosè differit Apostolus Col. 2. à versu 16. ad finem vsque capitis. Alterum, Ecclesiam minimè cã censendam esse in qua oues non pascuntur, sed cantionibus ac verè histronicis ritibus, lingua etiam peregrina demulcentur: in qua qui pastorum personam sustinent canes sunt muti, & oues tanquam panem deuorant Ps. 13.4. nõ modò rerum ad illorum munus pertinentium penitus imperiti, sed etiam ipso nomine Christianorum sese indignos præbentes,

bentes, vt pote quibus vix vnquam contigerit Christi religionem ac fidem rite vt decet degustare, nolentes ipsi regnum cœlorũ ingredi, & alios ab illius aditu prohibentes Luc. 11. 52. Denique quibus verè conuenit quod prædictum est Iesa. 28. 9. & sequentibus eius capitis versiculis. An verò talis sit hodie & à multis annis Pseudoclerus Romanus sub Ecclesiæ Catholicæ nomine delitescentis, vel ipsi pueruli iam norunt.

Addit deinceps Sponsa, *& vbi cubare facias pecus in meridie:* quibus verbis significatur discrimen inter hoc pabulum & cætera omnia. Nam vt animo complectamur quæcunque homines excogitarunt vt sibi tranquillitatem aliquam animi compararent, meras nugas esse illa omnia, quod ad illum finem consequendum attinet, fuisse comperiemus. Quod enim ad illos omnium primos attinet Philosophos appellatos, concorditer quidem illi & verè asseruerunt nusquam perfectam quietem nisi in summi boni adeptione sitam esse: At quod sit istud summũ bonum quum inter ipsos nunquam conuenire potuerit, quînam illius adipiscendi viam demonstrare potuissent? Illorũ igitur alij, porci potiùs quã homines appellandi, fœlicitatem in corporis voluptate posuerunt: alij non tam manifestè aberrantes, illam in animæ præstantia ac perfectione constituerunt, arbitrati sitam illam esse in sapientia, idest, rerum diuinarum humanarúmque notitia: quam quidem homo

Philosophi frustra in sua Philosophia quietẽ quæsiuerũt.

ſuopte ingenio, propriáque intelligentia aſſequi poſſit. Alij ipſius animæ ſubtiliorem diſſectionem aggreſſi, diſſerentes accuratiùs de animæ facultatibus & illarũ vſu & effectis ad hanc benè & honeſtè exigendam vitam comparatis, vera & præclara multa pronuntiarunt: verum enimuero quum veram ac præcipuam illam ſapientiam ignorarent, neque hominis lapſum & vnicum eius remedium, veras denique virtutes illas quæ non alibi quàm in ſchola Domini diſcũtur, ignorarent: & ne vnus quidem adhuc ſit viſus iis præditus virtutibus quas ipſi deſcribũt, vtiq; ſpe ſua fruſtrati in ſuis cõmentis euanuerũt. Sed & vlteriùs progreſſi nonnulli de animarum quoque immortalitate, & tum de ſceleratorum poſt hanc vitam ſuppliciis, tum de iuſtorum ſpirituum cum Deo coniunctione nonnihil veluti per ſomnium viderint. Sed quorſum illa, quum Deum verum neſcirent, & æquè illis eſſet ignota via qua ad ipſum peruenitur? immò de reſurrectionis corporũ doctrina ne cogitarunt quidem. Quamobrẽ illud ipſis accidit quod à Paulo Athenienſibus obiectum eſt Act. 17. & quod ad Rom. 1. 21. ſcribitur.

Falſum eſſe quendam Chriſtianiſmũ & Chriſtum adulterinum.

Hoc autem numero comprehendimus etiã eos qui Chriſtianiſmi nomẽ profitentes, tamen ab eo prorſus aberrarunt: alij quidem in his quæ ipſius hominis ſunt, vt de Pelagianis conſtat qui ſupernaturalem Dei gratiã penitus abolent, vt faciunt etiam noſtri temporis

poris semipelagiani, qui ignẽ & aquam, id est, Dei gratiam, cum libero arbitrio naturali suísque meritis consociari posse somniant. Alij verò in iis quæ ad ipsum Iesum Christum spectant, vel quod ad ipsius personam vel quod ad ipsius summi, vnici ac perfecti mediatoris officium attinet, falsissima sibi & aliis persuadentes, qui omnes, quantumlibet de vera felicitate inuenienda laborantes, nunquã tamẽ eã istis itineribus assequentur.

Per verum igitur Iesum Christum ad verũ Christianismum deueniendum est, admonente nos ipso Christo, in eo sitam esse vitam æternam, vt Patrem esse illum solum verum Deum nouerimus, & eum quem misit, nempe ipsummet Iesum Christum Ioh. 17. 3. ideo Matt. 11. 28. & 29. testificantem omnes in ipso inuenturos animabus suis requiem, vt qui solus fatigatos recreet, ideóque Ies. 9. 6. princeps pacis appelletur, illi vni imposito nostræ reconciliationis munere Esa. 53. 5. quæ omnia sunt nobis sigillatim explicanda. Assero igitur conscientiam nulla ratione bene pacatam reddi posse, nisi penitus ex ea tollantur quæcunque ipsam meritò perturbant: & nisi è contrario iis omnibus prædita comperiatur, quæ ipsam certò confirmare possint. Quicquid autem eam perturbat vnica vocula Peccati intelligimus, à quod issidium inter Deum & hominem exoritur, Ies. 59. 2. At quidnam est peccatũ? Quicquid, inquit Iohãnes, est abnorme, id est vo-

Quis sit verus Christus quo vnico secura quies animi nostri inueniunt.

luntati Dei nobis in ipſius lege declarata repugnat. 1. Ioh. 3.4. Iſtud autem omne in tria commodiſſimè diſtribuitur, quorum primũ genus eſt vitium illud naſcentibus omnibus ab Adami lapſu innatum, & radix vnde putres & corrupti fructus omnes prodeunt, pollutio nimirum illa & fœdiſſima totius hominis intus & foris corruptio, propter quã filij iræ ab ipſo exortu dicimur Eph.2.3. atque adeò cadauera in peccatis mortua Eph.2.1.& 5. adeò vt ne cogitare quidem ea quæ Dei ſunt poſſimus 2.Cor.3.5. mente ipſi Deo inimica præditi Rom. 8. 7. vt ſit in nobis nihil reliqui quod veri & recti ſpeciem habeat, præter illud quod nobis omnem excuſationem adimit Rom. 1. 20. Eſt autem eiuſmodi ſententiis vniuerſa referta ſcriptura, dilucidè demonſtrans totum hominem nulla ipſius parte excepta illi miſerrimæ corruptioni ſubiacere quam originis peccatum vocant: hoc tamen peccati genere minimè (ſicuti phanatici quidam noſtra etiam ætate docuerunt) ipſius animæ corrupta ſubſtantia intelligitur (licet corpus eo peccato diſſolutioni, & in cinerem reſolutioni factum ſit ad tempus obnoxium) ſed lux quidem intelligentię in tenebras: rectitudo verò volũtatis in peruerſitatem planè conuerſa: atque in ſumma extinctio imaginis Dei quæ in prima hominis creatione tantopere nitebat. Secundum autem peccati genus appellamus primos etiam animi vel leuiſſimè prætereũ-

tes motus ab illa vitiosa radice prodeuntes: omnia denique cogitata, dicta, facta à Dei voluntate nobis in ipsius lege patefacta vllo modo dissidentia, immo etiam non penitus congruentia, cum perfecta quam Deo & proximo debemus charitate. Tertium peccati genus in eo situm est, quòd quum à Deo conditi rationis capaces, non solum teneamur ab omni peccato abstinere, sed etiam nos totos obsequentissimos ipsius voluntati, quæ est omnis iustitiæ certissima regula præstare, & hac quoque ex parte mancos debilésque nos fateri cogamur, hic quoque defectus in nobis inuenitur, quòd ista obediētia destituimur, quod nisi sit qualis & quanta in lege Dei præscribitur, pro nulla censetur, quod ad iustitiam quidem attinet qua opus est homini apud Dei tribunal vt æternæ felicitatis particeps fiat. Quodlibet autem ex his tribus capitibus proculdubio nos perpetuæ damnationi deuouet, quandoquidem peccati seuerissimus vindex existit Deus, (peccati vero stipendium mors est Rom. 5.23) nullam ne minimam quidem labeculam impune abire sinens 2. Cor. 6. 14: & suæ iustitiæ atque sanctitatis (vt in nostro sponsore apparuit) seuerissimus assertor. Vt autem quærant & inuestigent homines aliquid aduersus illa remedij, nusquam aliud inuenient quàm vnicum Iesum Christum. Hîc enim agitur de immenso iræ Dei pondere sustinēdo, ita vt ab illo non opprimamur. Ecquis

autem huic oneri perferendo par fuerit, quin ſit Deo ęqualis id eſt verè Deus? imò (vt ita dicam) ſeipſo valentior? cuius rei typum habemus in Iacobi colluctatione. Et quum ipſi Angeli qui à prima ſua bonitate exciderunt Io.8.44. tanto oneri ſufficere neutiquam potuerint, ideóque irreparabili ruina ſint obruti Iudæ 6.2.& Pet.2.5. quæ tandem humana vis, etiam ſi quis non eſſet natus in peccatis ac idcirco Deo abominabilis, tantum onus ſuſtinere valeat: quo iſtius imbecillitatis ratione perpetuus in æternum ignis ſceleratis, id eſt omnibus extra Chriſtum poſitis, ſit paratus: quod videlicet iram Dei exhaurire nunquam poſſint? Ad quem igitur refugiemus niſi ad illum qui oues ſuas quieſcere & accubare tutò facit ſub meridie? ad illum inquam vnum, qui quum filius Dei ſit, non eſt dedignatus homo fieri, vt nobis plenè ſit Iuſtitia, Sanctificatio & Redemptio 1.Cor.1. idcirco conceptus ex Spiritu ſancto & natus ex virgine ſecundum carnem abſque vlla peccati macula, vt per illius natiuam atque omnibus numeris abſolutam puritatem, nobis per fidem cum ipſo vnitis ingenita nobis omnis impuritas aboleatur? Qui præterea factus dignus Sacerdos, immaculatus, nulliúſque criminis reus, ac itidem ſancta integráque victima & oblatio, pro nobis peccata noſtra in ſe recipiens, illa ſuper crucis lignum in corpore ſuo ſuſtulit 1.Pet.2.24. corpore denique & anima pœnas omnes, omnibus,

omnibus omnium electorum Dei à condito mundo commiſſis, & ad finem vſque ſeculorum committendis peccatis debitas exſoluit. Quamobrem teſtatur Iſa. 53.5. mulctam correctionis noſtræ ipſi fuiſſe impoſitam,& Paulus clamat illum pro nobis maledictum factum Gal.3.13.vt benedictio in ipſo coram Deo fieremus.Reſtat tertij mali curatio,illius videlicet defectus obedientiæ,quã omnino à nobis afferri oportet apud Dei tribunal,vt non modò mortem effugiamus eo quod diximus remedio, ſed etiam iuſtitiæ coronam obtineamus.Hoc autem rurſum in vnico Ieſu Chriſto reperiemus: eius videlicet obedientiam, ſanctiſsimorum quoque hominum inchoatæ & imperfectæ Iuſtitiæ oppoſitam Philip. 3. 9. Hic enim vnus is eſt qui natura noſtra legi obnoxia indutus, vt nos illius non impletæ reos, pœnæ & maledictioni perſolutione pœnæ ab ipſo præſtita exemptos, vita quoque dignos in ſeſe efficeret, patri noſtra cauſa factus obediens ex prioris tabulæ præſcripto vſque ad mortem, mortem autem crucis Gal.4.4.Philip.2.8.&, quod ad ſecundam tabulam pertinet, vita pro ſuis hoſtibus depoſita Rom.5. 8.vt videri poſſit aliquid etiam amplius quàm lex ipſa poſtulet præſtitiſſe: vt qui nos non tantùm vt ſeipſum ſed etiam multò magis quàm ſeipſum dilexerit,vt & ab omni condemnatione in ipſo liberemur.Rom.8.1.&, quod amplius eſt, reperiamur etiam illa ipſius iuſtitia

ornati, Philip.3.9. cuius vi participes æternæ vitæ, vt perfectè præstita in ipso lege, fiamus. Et quo iure hæc omnia? certè per imputationem ex mera ipsius gratia & misericordia, nō autem ex vllo nostro merito, vel vlla nostri quãtulacunque dignitate quæ huius gratiæ cõmunicationem vel antecedat, vel consequatur: siue causam, cuius impulsu Pater Filium nobis dederit, consideremus, siue spectemus ecquid Iesum Christum commouerit, vt se traderet pro nobis: siue denique habeamus rationem instrumẽti, quo Christum cum suis donis apprehensum nobis applicamus: fidei videlicet, quæ & ipsa donum Dei est, Ier.31.18. 2.Timot.2.21.Ioh.6.44.Eph.2 8. & omnino verum sit illud Pauli dictum pulcherrimum, & dignum de quo assiduè cogitemus: Quid habes quod non acceperis? 1.Corinth.4.7.

Quis sit ardor iste meridiei de quo hic fit mentio.

Non temerè igitur exemplo suo Sponsa nos docet in hoc vnico suo Sponso quærendam esse veram requiem ac pacem, quam mundus dare non potest, Ioh.14.23. præsertim dum feruet meridies, id est grassantibus omnis generis calamitatibus & grauissimis ærumnis, Apostolo testante ita nobis tribui, vt cap. ad Rom.5. in ipsis oppressionibus gloriemur, quibus capiti nostro conformamur: Sunt enim illa nobis certissima quædam argumenta, fore vt victoria quoque potiamur, & cum ipso coniuncti triumphemus. Rom.8.17. Quin & idem Apostolus seipsum

pro

pro exemplo proponens, nulla alia de re ſe gloriari teſtatur, quàm de oppreſſionibus propter Ieſum Chriſtum, Galat. 6. 14. quod & ipſum eſt pretioſum Dei donum, Philip. 1. 29. Cęterùm certum quidem eſt iſtud ad eas demum oppreſſiones referri, quas pro tuenda veritatis Dei iuſtiſſima cauſa ſubimus: quibus ingruentibus, Chriſtus nos admonet, tum maximè adeſſe tempus gaudendi & exultandi, Matt. 5. 12. Sed quid ſi Domino iuſtas de nobis pœnas expetente, meridianis ſolis ardoribus exponamur? quid tum ſperare nos decet? Certè tũc quoque refrigerium & quies nobis in eodem Chriſto non defuerint, ſi Paulum loquentem audiamus, 2. Cor. 6. 9. & Epiſtola ad Hebræos. 12. 6. id eſt ſi tunc quoque agnouerimus Deum ſeſe nobis tunc quodammodo vicinum & amicum ſiſtere, quum veluti Pater benignus legitimos ſuos filios caſtigaturus aduenit, quod ſeduli patris beneuolentiam arguit, ſi ſub eius ferula erudiri nos ſinamus: cui ſit laus & gloria ſempiterna. Amen.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA NONA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.1.verſ.7.

7 Cur enim eſſem apud greges ſodalium tuorum quaſi deliteſcens,

Sponſæ pudorem, ipſi Sponſo curæ eſſe.

SPonſam è vinea ſua vi expulſam audiuimus ardentiſſimè precantem Paſtorem ac Sponſum illum ſuum, vt ad ipſum quàm proximè accedere ſibi liceat. Huic petitioni nunc addit quiddã longè maximi momenti: nempe quod alioqui ſi repulſam patiatur in periculum maximum incidere ipſam neceſſe ſit, tanquam videlicet perditam prorſus ac deploratam, quod haud aliter in ipſius Spõſi ſummam infamiam ſit redundaturum, quàm ſi maritus quiſpiam vxorem perditæ riualium libidini exponens.

Quo ſenſu dicere fas ſit Chriſtum habere comites aut ſodales.

Vt autem quanti ſit ponderis hæc ratio planè intelligamus, operę pretium eſt in primis, quínam ſint iſti ſodales, & quínam eorum greges diſpicere. Num enim fas eſt vllos Chriſto ſodales adiungere? Minimè profectò, ſi proprie loqui volumus: quod eſt nobis accuratè explicãdum, vt perniciosiſſimos errores vitemus. Duo ſunt igitur nobis præcipua in Chriſto Ieſu conſideranda, perſona videlicet ipſius & Mediatoris officium,

cium. Et quidem quantum ad ipſius perſonam attinet, nulla eſt profectò inter illum vt Deum, & res vllas conditas proportio ſiue collationis ratio; & nobis eſt ſine exceptione retinendum iſtud, Deum nemini vnquam neque integram neq; vlla deciſa particula (quînam autem in partes ſecaretur, quod eſt infinitas ipſa?) vlli alteri ceſſuram: quo quidem dicto omnis idololatria conuellitur. Quod ad humanitatem autem attinet, diſtinctè conſideratam, verè quidem Filius hominis dicitur, id eſt verus homo eiuſdem atque nos tum anima, tum corpore naturæ & ſubſtantiæ, &, quod ad hoc quidẽ attinet, ab Adamo originem trahens, teſte Luca Chriſti genealogiam deſcribente, Luc. 3.38, Sin autem qualitatẽ affectionum humanæ naturæ inhærentem reſpicimus, longè & latè ab iis diſſidet, qui per Dei Spiritum denuo geniti non ſunt: inter quos & ipſum nulla magis ſtatuenda eſt cõuenientia quàm inter lucem & tenebras, 2.Cor.6 4. Quoad alios autem Spiritu Dei renouatos, maxima quidem eſt inter illum & iſtos congruentia & cognatio, quòd niſi eundẽ habeant moderatorẽ, Spiritum Dei videlicet, eorum mẽtes illuſtrantem, Rom.8.4. Eph.1.18. & in ipſis creantem velle & facere, Philip.2.13. vt ipſum Chriſtum imitentur, Eph.5. 1. & ambulent, ſicut ipſe ambulauit, 1.Ioh.2.6. qua etiam ratione dicuntur quoque Filij Dei, Ioh.1.13. & lucis appellatio ipſis tribuitur, Eph.5.6.. Sed

in huiusmodi collatione maxima occurrit imparitas. Primùm enim Christus quatenus Deus est, essentialis est origo omnis creati boni, & ipsa bonitas: deinde quatenus homo est, instar est vasis seu peluis in quẽ perfectissimæ quæq; gratiæ, ex æterni filij persona, in assumptã personaliter humanitatẽ sunt quã abundãtissimè profusę, vt ex illius plenitudine vnusquisq; demensum accipiat, Ioh. 1.16. & 1. Cor. 12.12. nõ quasi sic illi quicquã decedat, siue quod ita nobiscũ diuinas suas dotes partiatur, & sibi retenta sua portione, reliquum nobis impertiat. Sed quòd ipsius abundantia in nos absque vlla imminutione redũdet. Et de Christi quidem persona hactenus.

Christũ nullum pati riualem, ea in dilectione qua Spõsam suam prosequitur. Nec quemquam ferre posse in Regia sua maiestate socium.

Nunc poscit ordo vt de Mediatoris officio dicamus: qua in re nobis est semel obseruandum Filium Dei idcirco in carnem venisse, vt sui ipsius pretio istam sibi Sponsam acquireret, tam esse zelotypum, vt nũquam de suo in illam amore quicquam cuiquã vnquã cedere sustinuerit: immò etiam illam quanuis ab ipso recedentem non semel ad se iterum receperit, Ierem. 3.1. Vt autem istud pleniùs intelligamus, & Christum nouerimus in iis quæ Sponsæ suæ causa præstitit & præstat vt Mediator, nullum riualem siue collegam admittere, hoc omne ad tria capita referemus ex Epist. ad Heb. nẽpe ad Regiam dignitatẽ, Propheticum munus, & Sacerdotij functionẽ, nisi malimus Prophetiã cõstituere alterã Sacerdotij partem: in quibus tribus si pro-

propriè loqui velimus, nullũ habet collegã, sed ministros & seruos, quorum opera & ministerio in nonnullis vtitur, ídque certis cõditionibus, qua in re sicuti, Deo fauente, indicabimus, grauissimè à multis peccatur. Is igitur Iesus Christus omnino omnium Rex est, non modò iure creationis quo vnà cum DeoPatre ac sancto Spiritu, summa potestate, res omnes conditas moderatur: verùm etiã speciatim eius regni respectu quod non est ex hoc mundo, conscientiam videlicet respiciens: nimirum spirituale & æternũ, ita vt penes illum vnum sit potestas animis aliquid in his rebus imperãdi vel prohibẽdi, Io.13.13. itidémq; dãnandi & absoluẽdi, 1.Cor. 5.4. vt qui claues ad aperiendũ & claudẽdum gestet, Apoc.5.7. Itaque nulli, ac ne Angelis quidẽ vnquã licuit aut nũc licet, aut deinceps licere potest leges consciẽtiis imponere, neque Ecclesiæ disciplinam (quod ad eius substantiam attinet) constituere. Causa verò huius rei tum iustissima, tum manifestissima est. Iustissima quidem, quoniam quum hæc administratio ipsum naturæ ordinem, & mundana omnia longè latéque superet, cõsequitur nullum huic ordinandæ gubernationi parem esse posse, præter vnum illum qui verus est Deus, & præterea quatenus verus homo est, ea præditus est tum sapientia tum virtute quæ ipsorum etiam Angelorum captum superat. Manifestissima verò, etiam ex eo quòd si prohibitum est quicquam positis

diuinitus legibus addere vel detrahere. Deu. 4.2.& 12.32. minus certè multò licet nouas leges condere, clamante propterea Domino per Esaiam, Ecquis ista de manibus vestris requisiuit? Esa. 1. 12. & testante quoque alibi eodem Dei Spiritu, omnia humana mandata in hoc spirituali regno nullius esse ponderis nec momenti, Ies.29.13. Epist. ad Colos.2.8.& 22.& 1.ad Cor.7.23. Sit igitur hoc firmum ac cõstitutum quod ad regnum Christi attinet, neminem illi fuisse vel esse, vel vnquam futurum consortem: sed Christum vnum sibi totum hoc regium imperium Ecclesiæ suæ ad fines vsque seculorum regendę vindicare, vt ex multis passim testimoniis, ac præsertim ex Psal.2.8.& 110.Ioh.5.27. ac etiam ex elogio ipsius cruci Iudæis nequicquam renitentibus affixo, & ab imprudentis Pilati manu perscripto apparet.

Neque in Prophetico suo munere collegã aut sodalem vllum admittere.

Age verò nunc ad alterum munus Christi Mediatoris nẽpe Propheticum accedamus, quo nomine non intelligimus angustiore significatione donum illud futura prædicendi, præsertim de futuro Iesu Christi aduentu, & legis minas aut promissiones suis temporibus applicandi, quales fuerunt quindecim illi Prophetæ quorum scripta extant, & alij multi quorum in Scripturis fit mentio, sed latiore notatione Prophetam hic appellamus generaliter, volũtatis Diuinæ interpretem, in iis in quibus posita est æterna salus. Hoc enim sensu Propheta antonomasticè di-

ctus est Iesus Christus, quem audire sub exterminationis pœna necesse sit. Deu. 18.15. interprete Petro, Act. 3.22. Quum enim Iesus Christus propriè sit Ecclesiæ fundamentum, 1. Cor. 3.11. ab ipso Deo positum, Ies. 28.16. vt & in ipso vnico electa est Ecclesia ante mundi constitutionem, Eph. 1.4. consequens est vt is à Patre sit ab ęterno solus designatus, per quem omne suum de nobis seruandis consilium patefaceret. Idcirco Paulus disertè Christum dicit fuisse populi ducem in deserto, 1. Corint. 10.9. & Iohannes ait illius fuisse gloriam quam Esaias vidit, Ioh. 12.41. Petrus quoque hunc ait extitisse, qui in diebus Noe Spiritu veniens (per ipsū Noachū videlicet) immorigeris eius seculi prædicarit. Is est denique vnus qui manifestatus est in carne, vt voluntatem Patris declararet, ac ita mūdum inexcusabilem redderet, Iohan. 15.22. & 18.37. vsqueadeo, vt minister Circuncisionis (Iudæorum videlicet) à Paulo sit cognominatus. Rom. 15.8.

Sacerdotalis Christi muneris nullas omnino alij tributas esse partes in Sponsæ redemptione.

Sed age nūc de Sacerdotij æterni functione disseramus duabus in rebus sita, expiatione videlicet peccatorum, & apud Deum Patrem intercessione. Expiationis igitur vocabulo in primis animaduertendum est intelligi plenissimam & absolutissimam eorum omnium quorum rei fuimus persolutionem, qua fiat vt Deo planè & penitus satisfiat. Deinde illud quoque tenendum est, nos fuisse mortis reos ex Dei decreto, Gen. 2.17. Ro. 5.12.

Heb.9.27, mortis autem nomine non modò ſignificari animæ à corpore diuulſionem quam huius corporis corruptio in ſepulchro ſequitur, Gen.3.19. ſed ſecũdam quoq; mortem deſignari,quæ eſt horrenda illa numinis indignatio & maledictio : numinis,inquam, æternis pœnis peccata hominum extra Christum in ipſorum corporibus & animabus vindicantis. Tertiò,conſiderãdum eſt in hoc argumento neutiquam hîc agi de vnius aut alterius peccatoris : ſed de omnium liberatione, neque de vnius aut alterius peccati ſordibus ablutis, ſed de cunctis ſceleribus ac flagitiis quæ vnquam ab electis Dei edita ſunt, aut in futurum ad finem vſque mundi admittentur,purgatis & expiatis. Quartò, minimè prætereundum eſt oportuiſſe huiuſmodi perſolutionem ab eo præſtari, qui per ſe quidem nullo modo foret maledictioni Dei obnoxius, ſed pro cunctis debitoribus quotquot ſunt Spõſor eſſet, vt loquitur auctor Epiſt.ad Hebr. 7.22. Etenim ſi reus ipſemet in ſeſe vllo pacto, ac proinde peccator extitiſſet,nihil ab ipſo proficiſci, nihil ab eo profectũ recipi, vtpote pollutũ & impurum potuiſſet. Non igitur Deũ placare potuiſſet, ſed ipſius irã potius exaſperaſſet, quod in lege deſignabant prohibitiones,tũ de fermentatis panibus offerendis, Leuit.2.11. (vt eum locum explicat Apoſtolus,1.Cor.5.8) tum etiam de immundis intra domum Dei non admittendis,Pſal.26.6. Ad hæc quum præter

illam

illam debitorum persolutionem,ad hoc, vt digni essemus vita æterna ex Dei pacto, Deu. 30.19.Matt.19.17. omnino necesse fuit Sacerdotem istum & conciliatorem, purum esse ac nulla labe inquinatum hominem. Atqui omnes homines in peccatis nascuntur, Psal. 51.7.vt ex ipsa mortis pœna,peccati nimirum fructu,constat,cui subiacent cuncti, Hebr.9. 27.ne ipsis quidem puerulis exceptis, qui actu non peccarint,Ro.5.14. Vni igitur Christo ius æternæ vitæ ex Legis pacto debetur. Primum enim in isto solo inter homines reperitur ea perfecta naturæ humanæ puritas quam Lex præsupponit & exigit, perfectum Dei, & proximi amorem præcipiens, vt qui sit creatus & conceptus in Virgine intemerata,vnius Spiritus sancti virtute, Luc.1.35.& sine peccato,2.Cor.5.21:non autem,vt cæteri sine exceptione homines qui dicuntur caro nati ex carne, Ioh.3.6. Præterea ad hanc perfectissimam ipsius humanæ naturæ integritatem istud accedit, quod solus legem plenissimè præstitit, Deo quidem Patri obsecutus (quod est prius mandatum) ad mortem vsque,&quidem mortem crucis,Phil.2.8:nos verò non modò,non proximos (quod est alterum mandatum) verùm hostes sibi infestissimos,tanto prosecutus amore,vt vitã etiam pro nobis vltrò fuderit, & quidẽ cũ maledictione Dei cõiunctam, quod est sane quempiam non vt seipsum,sed etiam vltra seipsum diligere,Iohan.10.11.Rom.5.8. Iure igitur ex

pacto Legis vitam æternam iis qui ipſam adimpleuerint promittentis, ſicut eum execratur, qui vllo pacto fuerit ipſam tranſgreſſus, Galat.3.10. Chriſtus ſolus dicitur vitam æternam fidelibus cũctis promeritus, cuiuſmodi Sacerdote nobis omnino fuit opus, vt morte deuitata, vitam adipiſceremur, Heb.7.26. Itaque in eo non magis quàm in cæteris nullum ipſi collegam adiungi abſque inſigni blaſphemia poſſe certum eſt.

Reſtat vt alterum Sacerdotalis functionis caput diſpiciamus, Chriſti nempe apud Deum Patrem interceſſionem pro nobis, quæ & ipſa bimẽbris eſt. Primùm enim conſideranda nobis eſt vis illa mortis ipſius interueniens inter Deum & nos, quia niſi præeat nobis ad Patrem accedentibus, vtique ab illo repudiabimur, qui tenebras nullo modo ferre poteſt, 2.Cor.6.14. Secũdò noſſe oportet cunctas preces noſtras Deo offerendas eſſe ipſius nomine, Ioh.16.26. id eſt ita vt petamus propter illum exaudiri in quo ſolo Pater acquieſcit, Matth.3.27. & qui tanquam primogenitus frater noſter ſeſe coram Patre ſiſtit, Heb.7.25. minimè id quidem hominum more, ac ſi genibus flexis, ſupplicem libellum patri ſedenti offerret: ſed quòd nos in ſeſe repræſentans, preces noſtras ſanctificet, & ratas efficiat. Quamobrem etiam Aduocatus noſter dictus eſt. Ioh.1.2. & Heb.7.25. Magnoperè autem nobis hic quoque cauendum eſt ne interceſſionem qua ipſe nunc fungitur,

in

in cœlis,quod ad ipſum attinet,deuictis hoſtibus,nomen adeptus, quod eſt ſupra omne nomen, Pſalm.2.9.& omnem poteſtatem in cœlis & in terra obtinens, Matth.28.18.cum illis precibus confundamus quibus vſum illum fuiſſe legimus diebus infirmitatis ſuæ. Tum enim non tantùm, vt nobis exemplo ſuo præiret,verum etiam quia vt hoſtem ſibi & nobis communem proſterneret, neque ipſi vt ſponſori noſtro impoſito grauiſſimo peccatorum noſtrorum ponderi ſuccumberet,illi vtique fuit opus virtute & potentia diuina quibus ſubſtentaretur, quā etſi penes ſe & in ſeſe habebat, quatenus Deus eſt,Patri coæternus ac coeſſentialis, adeò vt ſibi tanquam Deus ſubminiſtraret, quod vt homo à Patre petebat, verum tamen à Patre petere, & Patri acceptum ferre conſueuit, oſtendens quouſque ſeſe vt mediator, accepta ſerui forma,demiſerit, non vt ſuæ veræ Deitati quicquam detraheret,vt blaſphemarunt Arriani. Hinc factum eſt vt totus horrēdum in modum conſternatus patrem in illo agone ſit deprecatus,tum pro ſe,Ioh.12.27.Matt. 16.39,Heb.5.7. tum etiam pro nobis, vt toto Ioh.17.& aliis locis docetur. At poſteaquam captiuam duxit captiuitatem. Eph.4.8.ſedítque ad dexteram Patris, gloriæ ac honoris corona recepta, Hebr.2.9. patitur quidem adhuc quodammodo perſecutionē in membris ſuis,Act.9.4.&Col.1.24.quod ſcelus improperabit ſanè impiis nouiſſimo die, Matt.

25.45. immò etiam infirmitatum nostrarum sensu afficitur. Heb. 4.15. Sed ista cœlesti quadam ratione fieri, absque vlla gloriosissimæ carnis imbecillitate existimandum est, nobis penitus ignota: nec ideo fingenda nobis est intercessio uel deprecatio, qualem huius vitæ modus postulat. Quem modum respiciens ipse Christus testatur se non amplius precaturum patrem, postquam in cœlos receptus fuerit: nempe vt precari ante consummatũ nostræ reconciliationis opus consueuerat. Minimè id tamẽ quasi non semper oporteat efficaciã illius sacrificij interuenire: & Patrem non aliter quam in huius mediatoris nomine inuocari, in quo vno gratæ sunt illi nostræ preces. Horum autem omnium hæc summa est, Christum in Sacerdotij munere sustinendo vllos collegas non magis admittere quàm in Regia maiestate & Prophetico munere obeundo: quã omnẽ cõtrouersiam dirimit Apostolus paucissimis verbis, scribens vnum esse Deum & vnicum mediatorem inter Deum & homines, nẽpe hominem Iesum Christum, 1. Timot. 2.5.

Diluuntur quæ variè obiici possẽt circa Christi regnum.

Hæc itaque est Dei veritas, hoc vnicũ spei nostræ fundamentũ, quod vt etiã clarius intelligatur, nonnullis quæ huic pernecessariæ doctrinæ quodammodo aduersari videntur, respondendũ videtur, vt omnibus rite explicatis, dilucidè internoscere nobis liceat, quínam sunt isti sodales à quibus hæc sibi Sponsa metuit, tanquã ipsi exilium molientibus.

Pri-

Primùm igitur obiici posset iis quæ supra disseruimus, id quod eadẽ planè allegoria & in hoc ipso argumẽto scriptũ est, Ps.45.8. videlicet Regẽ hunc vnctum esse oleo lætitiæ supra consortes suos, qui consortes eodẽ illic vocabulo lingua Hebræorum quo hîc à Solomone designãtur, vt & hoc ipso libro cap. 9.v.3. Quod igitur ad Psalmum illum attinet, Sodalium nomen illic, nõ in vitio, vt hoc loco, sed in laude vsurpatur, clarè ostendente auctore Epistolæ ad Hebræos, quo sensu cõsortes & sodales illo loco ipsi adiungantur, Hebr.2.11. & 14. nimirum quatenus humanæ naturæ nostrę assumptione nos sibi fratres effecit, vnctus tamen, inquit Psalmista, supra consortes suos, ne pares suo primogenito reliqui fratres censeantur. Nã fratres quidem sumus omnes, quatenus ex Adamo, sed hic est primogenitus, Rom.8.29, & Dominus domus, Gen.27.37. hic est natura ipsa vnicus Dei Filius, etiam quatenus humanitas illa in persona Filij vnici atque coæterni subsistit: at nos adoptionis iure censemur in ipso Filij, Iohan.1.12. Solus hic in suo gradu constitutus est vniuersalis omnium hæres & Dominus, Heb.1.12: sed pro benignitate singulari sua nos in partem huius hæreditatis adsciscit, vt eius gloriæ cohæredes simus, sine vlla tamen ipsius iuris diminutione, Iohan.17.22. & Rom.8.17. Quod ad alterum autem huius cantici locum attinet, cap.8.23. nulli commemorantur illic Christi sodales,

ſed de fidelibus agitur, eiuſdem fidei & charitatis nexu inter ſe cohærentes, vt Deo fauente ſuo loco explanabitur. Prętерea poſſet etiam obiici, quod diſcipulos Chriſtus amicos ſuos, Ioh.15.15. non ſeruos appellet. Sed quo ſenſu Chriſtus hæc dixerit, ipſe mox explicat, nempe non quod in officio mediatoris eos ſibi adiungeret, ſed quòd quàm familiariſſimè myſteria Euãgelica illis explicaret: interim ius Domini ſiue magiſterij tanquam ſibi proprium vẽdicans, Ioh.13.13. & Heb.3.6. Sed hic oritur aliunde maior dubitatio ſuper eo quod diximus Chriſtũ in Regia maieſtate neminem admittere collegam. Scribitur enim Apoc.5.10. nos ab ipſo factos eſſe reges, & 1.Pet.2.9. nos eſſe regale Sacerdotium, ſiue Sacerdotale regnum: item coronam nobis paratam eſſe in cœlis, 1.Timot.4.8. & adhuc expreſſiùs, Luc.22.29, Ego (inquit ibi Chriſtus) paciſcor vobis prout pactus eſt mihi Pater meus regnum. Verùm abſit vt ex his locis intelligamus monarchiam hanc filij vlla ratione diuidi poſſe. Nam Regiæ dignitatis ſanctis cõmunicatæ nomine, nihil aliud intelligitur quàm Spiritus ſancti vis, qua afflati & inſtructi Diabolum, carnẽ, ac mundum, nos ipſos denique ſuperamus. Deinde ſic deſignatur æternæ gloriæ in æterno regno irradiatio in nos Chriſti membra deriuanda. Pactio autem illa cum Patre, quam eandem paſciſcitur Dominus cum diſcipulis ſuis, Luc. 22. 29. inquiens eos inſidentes duodecim

thronis

thronis iudicaturos duodecim tribus Israel, ad æternæ gloriæ participationem refertur, non autem quòd ad ius regendæ sua auctoritate Ecclesiæ, 1.Corin.7.35. & 1.Pet.5.1.nisi quatenus fidi serui fuerunt, 1.Cor.7.25.mensura quoque Spiritus peculiari donati, Ecclesiæ Christianę videlicet quodammodo ab ipsis fundamentis ministerio suo erigendæ constituti, quod etiam Apoc.21.14.in visione cœlestis ciuitatis designatur. Sed apertiùs etiam Paulus huius loci genuinũ sensum nobis tradit,1.Corin.3.10.docens Apostolos instar manuũ fuisse, quibus Dominus vnicum suæ Ecclesiæ fundamentum (seipsum videlicet) substernebat: cuius synceræ doctrinæ respectu (non autem quòd ius habeant, & imperium,quod is solus sibi vindicat, quem ipsi Angeli adorant,Heb.2.6) scriptum est etiam de cunctis fidelibus, fore, vt nouissimo die iudicium ferant de ipsis Angelis (dæmonibus videlicet, & eorum asseclis) 1.Cor.6.3. atque ad dexteram Filij Dei sessuros, Psalm. 45.2.& Eph.2.6. Cæterùm obiici possent & alia testimonia quæ dissentire aliquatenus videntur ab eo quod de iure legũ conscientiæ ferẽdarum diximus: veluti quod scriptum legimus, legem ipsam per Angelos ordinatam esse,Gal.3.19.& per Mosem, Exod.19.17. & Act.7.38. Sed hoc facilè potest declarari, tum ex contextu Iacob.4.12. vbi Iesus Christus dicitur vnicus Legislator:tum ex iis quæ prolata sunt de Angelorum potestate,& sum-

ctione, & ea administrandi ratione, quam Moses & alij fidi Dei ministri perpetuò sunt sequuti. Dicuntur autem Angeli Spiritus administratores, non domini, Psal. 103. 21. Heb. 1. 14. Moses verò, sic rogante populo, narratur profectus in montem, vt sequester, & internuntius, non vt legem ipse ferret, sed vt referret, quæ à Domino edicerentur: ídque syncera & religiosa fide, nihil prorsus edictis Diuinis addendo vel detrahendo, Exod. 20. 19. Deu. 4. Quamobrem etiam neque de blasphemorum, neque de violantium sabbatum pœnis quidquam decernere inconsulto Domino, ausus est, Leuitic. 24. 11. & Num. 15. 34. quanuis de pœna ciuili & corporibus irroganda quæreretur: tantum abest, vt Mosi vel Aaroni venerit vnquam in mentem, vt cultus Diuini regulas excogitarent & leges cõscientiis dictarent, iusso Mose ad exemplar quod in monte ostensum ipsi fuerat, omnia fabricare, Exo. 25. 40. Quamobrem etiam sub regibus Dauide & Solomone nequaquam humano arbitrio templum fuit constructum cum omni suo instrumento, & dispositæ Sacerdotum ac Leuitarum vices, sed iuxta Propheticas reuelationes, 2. Chron. 29. 35.

An possit Ecclesia leges conscientiis imponere.

Sed obiicere præterea quispiam posset, Regij imperij potissimam partem videri faciendæ gratiæ potestatem: Petro verò ac vndecim aliis apostolis, atque adeò Ecclesiæ pastoribus in Apostolorum persona datas esse claues regni cœlorum, ligandi videlicet

ac

ac ſoluendi facultatem Matth. 16.19. & Ioh. 20.23. At ego iſtis oppono quod alibi ſcribitur, nimirum Dei ſolius eſſe condonare peccata Marc. 2. 7. vnde ſatis liquet longè aliud eſſe leges pro ſua poteſtate condere, iubere, promulgare, quàm leges ipſas iudicãdo exercere. Deinde multum intereſſe inter ipſum agendi & exequendi ius nulli obnoxium, & delegatum ab altero miniſterium certis finibus circunſcriptum. Aio igitur regni Spiritualis imperium, penes quod ſeruandi ſeu damnandi ſita eſt poteſtas, & quod ipſis cordibus ac mentibus leges dictat, ſoli Deo in Ieſu Chriſti vnici Filij ipſius perſona competere: quem ab æterno deſignauit iſtius imperij caput Heb.1.2. Eph.1.22. Col.2.10. Quod verò ad iſtarum legum vſum & executionem attinet, prout res quæque poſtulat, Chriſtus ſacrum ſuum miniſterium inſtituit certis limitibus definitum, nempe vt non niſi ex legum poſitarum præſcripto, iudicia nomine legiſlatoris exerceantur: irritis alioqui iudiciis quibuſcunque futuris. Rem autem ita ſe habere vel ex eo conſtat, quòd alioqui fatendum eſſet Ieſum Chriſtum & ipſius diſcipulos magnam reprehenſionem mereri, quòd ſynedrij interdictum neglexerint Ioh 9.22. & 16.2. Chriſtus enim cõtrà, Sinite illos (inquit) cæci enim ſunt & cæcorum duces. Paulus verò de doctrina quam annuntiaret generaliter loquens, illam Dei conſilium appellat, Act.20.27. quod ne ad reuelationem aliquam

interiorem torqueamus extra ſcripturas, idē de inſtitutione Cœnæ ſermonem habens, Quod vobis, inquit, tradidi, illud à Domino accepi: & de cœlibatu diſſerens teſtatur ſe minime laqueos iniicere velle Corinthiis 1. Cor. 7. 35. quibus ſuffragatur Petrus monens paſtores quoſcunque vt caueant ne ſuis gregibus, quos Domini ſortem vocat, dominemur. Ideo hęc Apoſtoli verba 1. Cor. 7. 12. *Reliquis autem dico ego non Dominus*, coniugatis videlicet quorum alter à fide eſſet alienus; minime ſunt ità ſumenda, ac ſi arbitrio ſuo vel priuata poteſtate mandatum aliquod Eccleſiis obtrudere cogitaret: ſed ita loquutus eſt Paulus, vt ea diſtingueret quorum mandata expreſſè & totidem verbis ſcripta extabant, ab illis de quibus nihil expreſſè cautum erat, quæ tamen à ſcriptis editis minimè diſſiderent. Nec enim ſingula queunt legibus comprehendi, vt eſt à nobis, quum illam epiſtolam interpretaremur, demonſtratum. Denique non deſunt qui Traditionis vocem quàm longiſſimè poſſunt trahentes, vrgeant Eccleſiæ authoritatem, qua temporibus ipſorum Apoſtolorum in condendis Eccleſiaſticis legibus vſam illam fuiſſe legimus. Act. 15. 28. & 16. 4. 1. Cor. 11. 2. & 34. Sed & eiuſmodi traditionum exempla ex epiſtolis Pauli proferunt, veluti de velandis mulieribus, de modo annunciandi verbum Domini in publicis conuentibus, de ratione colligendi eleemoſynas cæteráque huiuſmodi: quæ cuncta ſigillatim

gillatim totidem concionibus essent explicanda, vt facere quoque suo loco consueuimus. Sed ea in præsentia possunt vno verbo expediri. Aliud planè munus est leges conscientiis dictare, id est ea quæ sunt credenda & facienda cum imperio, additis promissionibus, præcipere: vel contrà, quæ credere vel facere nefas sit, additis minis prohibere: nec non functiones ac munera distribuere, quibus Dei Filio placet Ecclesiam regi. Hæc, inquam, longè diuersa sunt ab eo munere ac studio, quo tenentur certi homines ad hoc designati ea procurare quæ ad vsum & praxim tum doctrinæ tum disciplinæ à Domino constitutę spectant, pro locorum temporum ac personarum circunstantiis. Quum enim hæ sint infinitis mutationibus atque adeò repugnantiis obnoxiæ, Dominus promulgato nouo fœdere quod ad omnes populos spectat vsque ad seculorum finem, noluit & (si ita loqui fas est) non potuit de istis singulis mandata vel specialia vel perpetua præscribere: quoniam tota hæc administrationis ratio accidentale & contingens quiddam est, nec propriè vel doctrinæ ipsius, vel Ecclesiasticæ politiæ substantia, sed vtriusque ritè exercendæ modum spectat. Quapropter satis esse Domino visum est si de istis generale quoddam præceptum ederet, nempe vt quæ ipse mandauerat eo ordine, eáque sancta & conueniente ratione qua decet, domi suæ, id est in Ecclesia, exerceantur. 1. Cor.14.

46. Hi ſunt igitur termini in quibus ſe continere vnũquemque pro ſuæ functionis ratione oportuit. Hoc autem ita eſſe cõfirmatur eo ipſo, quòd ferè omnes illæ Apoſtolicę conſtitutiones ſupra commemoratæ & ab iſtis citatæ, paulatim antiquatæ ſunt, variatis temporibus, & ipſis ceſſantibus cauſis propter quæ introductæ fuerant. Nam id ſane nequaquam eueniſſet ſi in iis ſita fuiſſet aut doctrinæ aut Eccleſiaſticæ adminiſtrationis ſubſtantia, vtraque inuiolabilis & perpetua ad extremum vſque mundi finem. Scribis autem & Phariſeis ſuper cathedram Moſis ſedentibus, ſed in eius doctrina & Leuitico miniſterio vt erat diuinitus conſtitutum non acquieſcentibus, (quod ſi feciſſent obtemperandum illorum dictis fuiſſet Matth. 23.21.) & idcirco auſis leges nouas condere, & ſuas traditiones rituum cultui à Deo legiſlatore conſtituto adiicere: Dominus eorum impia arrogantia commotus, potiùs maluit illis eſſe offendiculo, quàm eorum audaciam alere Marc. 7. 6: clarè ſic oſtendens traditiones huiuſmodi minimè ex eorum eſſe numero, quæ ſunt indifferẽtia: ſed eſſe potius propter adiunctam cultus opinionem, meras mandatorum Dei corruptelas Marc. 7. 13. & fermentum illud à quo magnoperè cauendum eſſe docuit Matth. 16.12. Eſt autem à me idcirco de nouo fœdere facta mentio, quoniam quum Eccleſia, ſub altero vetere fœdere, intra vnius populi, vnius regionis, vnici

denique

denique sacrarij finibus, & quidem ad certũ tempus esset conclusa, Dominus non tãtùm ipsius fidei doctrinæ & eorum rituum, eius denique regiminis substantiam eo tempore declarauit quo familiam illam suam gubernari volebat, sed etiam eius administrationis exercendæ tempora, & loca, & quid à singulis fieri velle ordinarat, definiuit, addito interdicto nequid ex illis mutaretur, adderetur, detraheretur. Deut. 4.2.Ies.1.12.& 29.13. At sub nouo fœdere cum omnium gentium hominibus ad consumationem vsque seculorum inito, necessitas ipsa postulauit vt Ecclesiis liberum esset constituere quæ specia-tim & peculiariter ad Doctrinæ & disciplinę vsum & executionem spectant, prout, habita circunstantiarum varietatis ratione, ordo & singularum Ecclesiarum ædificatio postularet. Et hæc quidem hactenus de illius supremo imperio dicta suncto: in cuius femore scriptum est, *Rex inquam & Dominus dominorum.* Quæ verò tum ád propheticum, tum ad sacerdotale ipsius munus spectant in alteram proximam concionem differimus. Interea etiam atque etiam rogandus est nobis Dominus vt hãc doctrinam animis nostris insculpat, qua freti possimus, istis præsertim miserrimis temporibus, veram Ecclesiam, inter tot laruatas sese vndique ingerentes discernere, eaque deprehensa constanter in vera salutis doctrina perseuerare, donec fœlix illa dies appareat in qua cũ capite nostro reipsa coniuncti,

coniuncti, æterni regni gloria cum ipso perfruamur: cuius interea misericordiam his verbis supplices flagitabimus: Deus omnipotens &c.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA DECIMA.

Auxilium nostrum sit à Domino, &c.

Quod sequitur extat in Cap. 1. vers. 7.

7 Cur enim essem apud greges sodalium seu consortium tuorum quasi delitescens?

Latiùs exponitur hîc quomodo Iesus Christus perpetuus fuerit atque vnicus Dei patris voluntatis nuntius ad suorum salutem.

DE Regio Christi imperio abunde superioribus cōcionibus disserui, in quo nullos ipsum admittere collegas à nobis demonstratum est. Nunc idem censendum dico de ipsius prophetica authoritate, ipsi quoque propria non modò eius temporis habita ratione quo præsens ipse loquutus est hominibus, verum etiam omnibus à condito mundo seculis. Deum enim (inquit Iohannes 1.18.) nemo vidit vnquam, sed eū nobis filius Dei qui est in sinu patris enarrauit. Iure igitur illi quoque proprium esse ius prophetandi statuo. Nam quod ad cæteros attinet, qui & ipsi prophetæ, Apostoli, Pastores, & Doctores

ctores dicti sunt,idcirco sic appellātur quoniam ab hoc filio Dei missi sunt, & mittuntur, tanquam eius legati ac præcones:idque non quasi eorum opera necessario indigeat hominum instar, quibus in alicuius muneris obeunda functione,ministris opus est, quoniam vbique præsentes se sistere non possunt: sed quòd eo vsque sese Deus ad hominum infirmorum captum ad eos familiariùs docendos,certis tamen præscriptis conditionibus adhibitis demittat. Primū enim ad Mosem vsque patriarchis non licuit proferre quidquam nisi quod à Deo accepissent, vt ex Abrahami exemplo liquet Gen. 18:19. & 20. 7.1.Quæ àPatriarchis primis de manu in manum tradita doctrina diu fuit conseruata, vt non tantum ex Melchisedeci historia sed ex eo quoque constat quòd Abrahami ætate,ne inter Cananæos quidem erat prorsus abolita, Gen. 20.3. Deinceps verò postquam Deo visum fuit Abrahami sobolem,quę in populū immensum excreuerat , certis legibus à reliquis populis segregatam regere,Mosem delegit qui huius Spiritualis regni leges (vt & politicas de quibus hoc loco non agimus) ex ipsius ore exceptas perscriberet,prout ipsi Dominus primum in monte deinde in Tabernaculo extra ordinē apparēs dicendū, faciēdū scribendū dictabat:quibus dictatis,neq; ipsi Mosi,neque alij cuiquam,ne Angelo quidem , addere vel detrahere quicquam licet Deut.12.32.Hanc præceptionem sequuti sunt

veri omnes Prophetæ, vſque ad Iohannem Baptiſtam, quorum munus fuit, tum benefacta, tum iudicia Dei declarare, & prout peculiaribus viſionibus iubebantur denuntiare. Tandem verò Magnus ille Dei Filius ipſemet ſeſe cóſpicuum in carne præbens, 1. Ioh. 1.1. vt Dominus in domo Patris, finem vmbris omnibus impoſuit, quarum ipſe corpus erat, Col. 2.17: &, vt authoritate plena præditus, Matth. 7. 29. voluntatem eius omnem ſaluificam docuit, ore primùm ſuo Iudæis, Hebr. 1.1. Ioh. 15.15: deinde verò vniuerſo terrarum orbi per ſuos illos Apoſtolos, ſiue legatos, quos ſuæ illius domus fundatores cõſtituit, tam in ipſa tradenda veritatis doctrina, quàm in eius adminiſtrationis ordine & ſtatu ſtabiliendo, prout à Magiſtro didicerunt, Matt. 28.20. docente etiam illos in ſingulis Spiritu ſancto: quod ipſi quoque religioſiſſimè obſeruarunt, Act. 20.27. 1. Cor. 11. 23. adeò vt ne Angelis quidem ad iſta quicquam adiicere fas fuerit, Gal. 1.8. Denique illis ſucceſſerunt Paſtores & Doctores, non qui à fundamentis Eccleſiam extruerent, ſed qui poſito ab Apoſtolis fundamento bonas & ſolidas inſtructiones, exhortationes, conſolationes, reprehenſiones, ſuperſtruerent, 1. Cor. 3.10. Eph. 4.11. 2. Timoth. 3.6. Secundò, notandum eſt omnibus operariis, tum ante, tum poſt aduentum Domini, impoſitum fuiſſe onus exterioris duntaxat curandi operis, id eſt Euangelium auribus audientium pro-

mulgandi, & illa quæ vocamus sacramenta foris, admotis ritibus diuinitus institutis, præbendi. Vim autem illam, intus operanté, vni sibi seruauit integram Dominus: intelligentiam nimirum, & cordis præparationem ad dispositionem totam ad illud semen intus recipiendum, vt sancti Spiritus virtute germinet, crescat, & fructificet 1. Cor.3.7: docéte nos propterea scriptura, salutem nostram nulla ex parte esse volentis aut currentis, sed miserentis Dei Rom. 9. 16. creantis in nobis velle & facere ex mera sua gratia Phil. 2.13. vt supra in vers. quartum abundè exposuimus. Itaque hac duntaxat neque vlla alia ratione fideles verbi Dei Ministri ab Apostolo vocati sunt cooperarij Dei 1. Cor.3.9. vt indicat etiam illa communis prophetarum præfatio. Sic ait Dominus: Iesu Christo contrà cum summa auctoritate his verbis vtente, Amen Amen dico vobis Matth. 9. 21. vt qui sit Dominus in Domo patris Heb.3.6. cuius Spiritu acti prophetæ loquuti sunt 1.Pet.1.11. & 2.Pet. 1.21. Et de Regio quidem Christi imperio hactenus dictum esto.

Nunc de sacerdotio ipsius differamus quod positum esse diximus tum in expiatione peccatorum nostrorum semel peracta, tū in intercessione quæ etiamnum viget. Horū autem ne minimam quidem particulam in alium quenquam transferri posse, certissimis argumentis ex scriptura sacra desumptis demonstrauimus. Quod siquis nobis obiiciat

Iesum Christum vnicum peccatorum nostrorum expiatorem esse, & quid sit iis & quomodo respondendum qui promissioni-

bus factis legalium præceptorũ obseruatoribus, abutuntur.

salutis promissiones iis factas qui legis mandatata obseruauerint: respondeo, quum eæ perfectissimam & absolutissimam obedientiam præsupponant, quæ in nullo prorsus homine alio quàm in vnico Iesu Christo reperiri possit, vt qui solus ab omni peccato semper fuerit inmunis, hinc efficitur nunquã fuisse latam legem vt per eam iusti in nobis fieremus, & Deo per nos ipsos reconciliaremur, nostris videlicet bonis operibus, siue nostra obedientia: sed contra vt nos peccati & mortis reos ad illum accurrere doceret, in quo omnes salutis ratæ sunt promissiones: quoniam videlicet is vnus cuncta legis mandata plenissimè impleuit pro nobis, à quibus est fidei veluti manu apprehensus. Rom. 3.30. Gal. 3.21. & 22. & 4.5.

Responsio ad ea quæ obiiciuntur, ex promissionibus quæ factæ sunt iis, qui secundũ Deum vitam ducunt; licet non perfectè adimpleant legem moralem.

Si quis præterea nobis opposuerit promissiones, tum præsentis tum futuræ vitæ, cum iis pactas qui secundùm Deum ambulauerint 1. Timot. 4.8. tametsi eorum opera manca & imperfecta sint: minimè quidem inficior iis demum adultis vitam æternam promitti qui resipiscentes in viis Domini ambulauerint: (hoc quippe vniuersa scriptura testatur) sed addo longè inter se differre has quæstiones, Quibus detur vita æterna, cæteræque Dei benedictiones, &, Quam ob causam detur id quod datur. Etenim vita æterna iis datur qui se verè resipuisse veræ pœnitentiæ fructibus testantur quod interdum ad extremum quoque vitæ tempus differri constat, ex illo latronis

tronis vnà cum Christo crucifixi, exemplo Luc.23. 43. & ex iis qui hora demum diei vndecima vocantur Matth.20.9. Sed hic meminerimus oportet quum de illa posteriore quęstione agitur, homines à Deo nihil consequi quasi benè agendo istud sint commeriti: vel in totum aut aliquatenus pro suis peccatis Deo satisfecerint: sed bonis operibus de fide, tanquam effectis inseparabiliter coniūctis, testantibus; & ipsa fide vicissim apud Deum nos certiorante ex hac pacti Euangelij formula, Qui in filium crediderit saluus erit, credentes fieri meritorū ac iustitiæ Christi participes: quos idcirco immēsæ Dei gratiæ atque incomparabili misericordiæ placeat acceptos habere, & in Iesu Christo filio suo, vnico scelerum nostrorum expiatore, cœlesti gloria coronare, vt extra controuersiam ex cunctis Propheticis & Apostolicis scriptis liquet.

Responsio ad obiectiones quæ ex obseruatione legalium ceremoniarum petuntur.

Nullius etiam est ponderis obiectio promissionum expiationis, ritibus legalibus sacrificiorum adiunctæ. Nunquam enim sanguis taurorum aut hircorum, vt Apostolus demonstrat, præstare potuit vt Deum nobis placaret: quia vis hæc est propria oblationis sanguinis vnici Iesu Christi, quem designarunt ad tempus terrena illa sacramenta Col.2.7. Heb.10.4. Itaque Leuitico cultui addita fuerunt promissa expiationum, non vt quicquam derogarent virtuti propriæ filij Dei, sed vt, huiusmodi sanctionibus, distin-

guerentur ritus atque ceremoniæ ſacræ, ab aliis communibus operationibus quæ nihil ad vitam ſpiritualem pertinent.

Quid reſpõdendum ſit iis qui Sacramentis Baptiſmi & Cœnæ expiatoriam vim tribuunt.

Id etiam locum habet hodie in noui fœderis ſacramentis, veluti quum ablutio ſiue purgatio peccatorum noſtrorum Sacramento Baptiſmi tribuitur: & noſtra cum corpore Chriſti communio, vnde cũcta in nos Chriſti beneficia emanant, Sacræ Cœnæ Domini adſcribitur. Non enim magis noſtra peccata lauat ſiue purgat aqua noſtro Baptiſmo exteriori adhibita, quàm veterum luſtrales aſperſiones, aut ſanguis beſtiarum: ſed ita oſtenditur diſcrimen inter aquam Baptiſmi & aquã communem, non quidem in ipſa aquæ ſubſtantia, neque in ipſius aquæ naturalibus effectis, ſed in eius vſu peculiari poſitum: vſus enim communis aquæ nihil ad vitam æternã facit: at in Sacramento Baptiſmi adhibetur aqua, vt nobis efficaciter, niſi per nos ſteterit, internè ſignificetur, Spiritum ſanctum id intus in nobis efficere, quod foris in exteriore Baptiſmo cernimus, id eſt à peccatis nos purgare, & à naturali corruptione, beneficio mortis Chriſti per fidem apprehenſi vindicare. Neque alia de cauſa aquam hic adhiberi cenſendum eſt, quam vt credenti ſignificet id quod fidei organum, in verbo & ſignis oblatum, amplectitur, ſolius autẽ Spiritus vis nobis applicat: vt duplicis Baptiſmi diſtinctio apud Matth. 3. 11. & 1. Pet. 3. 21. clarè demonſtrat. Haud ſecus exiſtimandum eſt de

altero

altero Christianorum Sacramento id est de Cœna Domini. Summopere namque cauere debemus, ne vel Pani aut Vino, vel corporeæ & externæ illorum sumptioni tribuamus, quæ propria peculiariáque sunt ipsi Christo, spiritualiter per fidem apprehenso & nobis applicato. Debile præterea & prorsus inualidum esse telum dicimus quod in nos vibrant nonnulli ex istis Apostoli verbis. 1. ad Timoth. 4.16. *Istud si feceris & teipsum seruabis & eos qui te audiuerint.* Vnicus enim est Iesus id est seruator Act. 4. 12. qui peccata nostra expunxit Ioh. 1. 29. cuius obedientia iusti facti sumus Rom. 5. 9. Neque apostolo venit in mentem vt in Timothei persona, pastores Iesu Christi loco substitueret: vel Christo vt efficientes salutis causas subordinaret: Absit enim vt de tanto Dei seruo tale quidpiam cogitemus, quum ipsemet clamet se propterea non censendum iustum apud Dei tribunal quòd nullius culpæ sibi conscius esset in sui ministerij functione 1. Cor. 4. 3. Timotheũ igitur sic alloquitur respiciens pastorum munus, in eo positum vt mysteria Dei annuntient. 1. Cor. 4. 1. id est doctrinam reconciliationis 2. Cor. 5. 18. & 20: Euangelium videlicet quod est, non hominis, sed Dei virtute potẽs ad credentes omnes seruandos Rom. 1. 16.

Quibus rationibus refellendi sunt qui potestatem, quæ solius Domini

Mira autem ac intolerãda est illorum impudẽtia, qui idololatriæ seu potius impietatis suæ tuendæ causa, illud proferunt quod de se inquit Apostolus ad Col. 1. 24. sese videli-

est, seruis ac ministris cõmunicatam volunt, & de imaginariis meritis martyrum.

cet *reliquias afflictionum Christi explere in carne sua pro corpore ipsius id est Ecclesia*, quasi ipsam vniuersam doctrinam proculcans Apostolus suas afflictiones vnà cum sanguine Christi permiscere cogitaret: aut quasi per se vnius Christi meritum ad semel expiãda nostra omnia peccata, & acquirendum nobis æternæ, vitę ius nõ satis sit efficax, qua blasphemia nulla neque execrabilior, neque à mente Apostoli magis aliena proferri potest. Non enim eiusmodi quicquam cogitauit fidus ille Dei Minister, sed ita significauit sanctorum vexationes ad Christum haud secus pertinere, quàm si per ipsorum latus ipsemet transfoderetur: quo spectant illa ipsius Christi tonitrua, Saul, Saul cur me persequeris? Act. 9.4. insigni præterea consolatione ad Ecclesiam redeunte, sanctorũ cõstantia & fide cõfirmatã, Phil. 1.2. 1. Cor. 1.4. & 2. Timoth. 2.10.

Christũ nullos admittere sodales in ea intercessione qua pro nobis functus est apud Deum & quæ etiamnum perdurat.

Cæterùm consequens est vt intercessionis caput excutiamus, in quo munere Christum itidem nullos admittere sodales diximus, haud secus quàm in redemptionis functione: Huic enim assertioni opponũt nonnulli mutuas preces Christianorũ, quibus alij pro aliis immò etiã pro suis inimicis Dei gratiã implorant. Atqui inde non consequitur in hoc precum mutuarum opere constitutos esse precantes fideles eminentiore quodam inter Deum & homines gradu, quàm illi sint pro quibus precantur. Immò sic illi inter se preces mutuas coniungunt ad illum directas qui

vnicus

vnicus verúſque eſt inter Deum & homines Mediator: & à quo vno penitus dependet omnis noſtrarum precum efficacitas, ſiue pro nobis ſiue pro aliis ex mutua charitate illas concipiamus. De ſanctorum vero mortuorum quos vocant inuocatione, id eſt quorum ſpiritus iam in cœlum receptos eſſe credimus, mox dicemus.

Hæc autem omnia quum ita ſe habeant, haud difficulter agnoſcere licebit quínam ſint iſti quos Sponſa ſodales ſui Sponſi vocat, & quorum conſortium meritò auerſatur: quotquot nimirum quippiam eorum quæ ſunt Sponſi vnius ſibi arrogant, iis ſimiles qui ad Sponſalia vel nuptias vocati vt Sponſum officij cauſa comitarentur, tanta vterentur procacitate, vt ipſam ſibi Sponſam arriperent: quod de ſociis Sanſonis dicitur Iudic. 15.2. At quínam iſti ſunt? in primis qui nouis mandatis conſcientias obſtringunt contra expreſſam Petri prohibitionem quæ 1. Pet.5. 3. habetur: contra Apoſtolorũ præſcriptum mandatum Act.28.20. denique contra peculiare Pauli exemplum 1.Cor. 7. 35. digni proinde non quibus obediatur, ſed quos execremur ſpeciali Dei mandato. Deut. 18. 20. & Gal.1.8. etiamſi cœleſtes eſſent Angeli. *Inſidos Chriſti ſodales potiſſimum eos eſſe, qui leges conſciẽtiis imponere audent.*

Eodem crimine teneri certum eſt, eos qui inſigni arrogãtia nouas vocationes ſiue peregrinas functiones in Dei domum inuchere ſunt auſi: quas primùm in quaſdam dignitates euexerunt, ac tandem in tyrãnidem *Quibus artibus Antichriſtum ſuũ ſit fabricatus Sathan, inducta falſa*

merè ſathanicā, id eſt, Chriſti regno ex diametro oppoſitam extulerunt: reipſa profectò implentes quod Iohannes in Apocalypſi prædixit de imagine beſtiæ, ad exemplar Romani imperij effigiāda, quod imperium ipſa quoque tandem euertit, vt Paulus prædixit, 2. Theſſ. 2. 7. Eſt autem in hoc ſcelere patrando Sathan, quod penè videri poſſit incredibile, tanto vſus aſtu, vt multos etiam bonos, ac pios, & doctos quidem homines, ſed haud ſatis circunſpectos fefellerit, nō animaduertentes, qua fraude nonnulli ſacrorum munerum ab ipſo Filio Dei inſtitutorum nominibus ad illa ipſa euertēda abuterentur. Ita igitur factū tandem eſt, vt ille votis ſuis potitus pulcherrimum illum ordinem ab Apoſtolis exactiſſimè definitum & obſeruatum, in falſam illam Hierarchiam quam vocant transformarit. Huiuſmodi ſunt ſpecioſæ illæ appellationes Paſtoris, Presbyteri, ſiue Senioris, Doctoris ac Diaconi: inter quas functiones quum idem & vnum eſſet munus Paſtorum & Epiſcoporum, & inter Paſtores nullus eſſet gradus, ſed ordo duntaxat abſq; vlla eminētia, vel in ſuos cōpresbyteros poteſtate: placuit iſtis Epiſcopales gradus diſtribuere in Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, Patriarchas, donec tādem ex illa colluuie emergeret Oecumenicus ille Epiſcopus, cui (vt nihil ad confuſionis cumulū deeſſet) adiuncti tandem fuēre Reuerendiſſimi Cardinales.

De falſis Presbyteris. Paſtorū verò & Presbyterorū loco irrepſerunt,

rũt,Officiales,Pœnitẽtiarij,Decani,Canonici, Procuratores fori Ecclesiastici, Datarij, Bullistæ,Copistæ, Curati,Vicarij,Capellani: & nequid maneret in Ecclesia salui, numinis sui panacei, quod ipsius Iesu Christi nomine exornarunt,creatores,atq; adeò (non tamen sine pecunia numerata) eiusdẽ deuoratores.

Quod ad Diaconos autem attinet,eleemosynis colligendis, & Ecclesiæ bonorum dispensationi ab Apostolis designatos: vt vno verbo omnia complectar, hæc est in vniuersum huius Hierarchiæ functio, si modò Diaconum esse, & exemplo Iudæ sacrilegum esse,vnum & idem est.Sed retenta Diaconi appellatione, quæ histrionicæ illi actioni subseruiret, quam Magnam siue Altam missam vocarunt,additi sunt illis Archidiaconi, Curatorum censores, ac demum Hypodiaconi, qui oblationes carpendo miseras ouiculas illuderent. *De falsis Diaconis.*

Ad Doctores autem & scholas quod attinet, Dominus, pro immẽsa sua misericordia, nequaquam passus est hæc Ecclesiæ seminaria penitus aboleri,vt cętera ferè omnia tuẽdo suo cultui necessaria: sed diuersis seculis & locis excitauit clementissimus Deus Imperatores ac Reges aliquot, à quibus fundatæ & dotatæ sunt Academiæ: consilio nunquam satis laudato, & quo potissimum verè dixerimus vsum fuisse Deum Opt.Max.ad humani generis tuitionem,bonarum artium ac disciplinarum notitia sic demum barbarissi- *De falsis Doctoribus.*

mis etiam ſeculis conſeruata. Verum excellentiſſimam huius ſummi beneficij partem, Theologiæ videlicet ſtudium, Sathanas lethali veneno ſub melle latẽte ſuo more corrupit. Effecit enim in primis, vt in ſcholis Theologicis, abiecta lectione & expoſitione cõtextus ſacrorum voluminum, quæ eſt huius vniuerſi ſtudij baſis ac fundamentum, irrepſerit cum Theologia ſcholaſtica ſic vocata, ſomniorum ac commentorum humanorum impuriſſima colluuies, quorum quędam peperit futilis curioſitas, quędam ab ineptiſſima abſurditate redundant: Plurima verò tam ſunt horrenda impietate deteſtanda, vt huiuſmodi Theologiæ Doctorem eſſe nihil aliud ſit quàm omnis veræ ac ſolidæ ſcientiæ ſalutis expertem eſſe, aut deprauandæ veritatis artem tenere: quod de ſui quoque ſeculi Mateologis teſtatur Apoſt. 1. ad Timot. 1 4. & 4, 7.

Regiam Chriſti maieſtatem imminutam eſſe, adiuncto illi conſorte: qui etiam ſupra ipſum Dominum ſeſe attollit.

Dehinc Sathan cuncta ſcholarum inſtituta ſurſum deorſum euertens, tandẽ turpiſſimas iuris Canonici quod vocãt fornices ibi conſtituit, ac tabernas, in quibus pararentur ſimoniæ ac ſacrilegij inſtrumenta: vnde demum poſtea ſumerẽtur qui miſeras Eccleſias degluberent. Tandem denique, vt velut extrema manus huic abſoluendo myſterio iniquitatis imponeretur, Oecumenicus ille Eccleſiæ Chriſtianæ proſtrator, prædam cum faſcinatis ſiue dementatis regibus ac principibus Orbis terrarum partitus eſt impudentiſſimè,

tiſſimè, abrogato ſemel omni in committẽdis Eccleſiaſticis functionibus ordine legitimo & Apoſtolico, licet Eccleſiaſticis poſtea probis canonibus plurimis confirmato. Et hic quidem eſt miſerabilis ſtatus in quem redacta eſt Eccleſia, perfidorum præſertim ſeruorum ſcelere, qui pro ſeruis euaſerunt proditores ſodales, latrones ab ipſo Domino appellati, Matth 21.13. Quod ſiquis aduerſus me excipiat hic in loco minimè videri poſſe de iſtis loquutus Solomon, qui tot ſeculis iſtis antecellerit: Reſpõdeo non modo Spiritum propheticum non pati, vt in Solomonis ſeculo conſiſtamus, ſed longiùs multò nos perducere, ſicuti alibi videbimus: ſed etiam longè ante Solomonem, nempe ab ipſo Ioſua (vt Iudicum hiſtoria teſtatur) in populum Dei horrendas corruptelas inuaſiſſe, quibus hęc Sponſa non ſemel eſt vnica ſua poſſeſſione ſpoliata: ſed profectò, vt verum fatear, leuior videri meritò poteſt ſodaliũ appellatio, quam vt illa de quibus diximus ſcelera ſatis ſignificanter exprimat. Non enim in iis de quibus diſſerimus agitur de portiũcula quapiam bonorum huius Spóſi vſurpata: (quod tamen ingens ſcelus in Dei maieſtatem eſſe nemo non fatetur) verùm (quod eſt omnium ſcelerum maximum) de propria Spóſi perſona violenter impetita, de ipſius ex ſuo ſolio deiectione, de caſtiſſimæ ipſius Sponſæ loco introducta obſcœna meretrice, quæ etiamnũ hodie Reges & Principes orbis ter-

rarum, propinato abominationum suarum poculo dementat: ídque tam deplorata cum impudentia, vt persuasum esse velit, spurcissimis istis suis commentis cum maximè honestari, quem sceptro & corona spoliauit.

Prophetici muneris Christi vsurpatio.

Neque minor est istorum audacia aduersus Propheticam Domini nostri Iesu Christi functionem, vt qui sua somnia & commenta audeant Spiritus sancti inspirationes appellare: quasi scilicet quæ à Prophetis & Apostolis tradita scriptáque fuêre de salute nostra, vel non sufficiant, vel emẽdatione quapiam indigeãt. Denique quum eòusque vesanus furor ipsos abripit, vt dicant, atque adeò obstinatis animis asseuerent, attributo sibi Ecclesiæ nomine, se in doctrina labi neutiquam posse, atque adeò suum Papam vsque adeò abesse vt errare possit, vt etiam nemo possit illi dicere, Quid facis, ne si quidem animarum turmas plenis curribus ad æternas pœnas pertraheret: quum deniq; hoc, quo nihil esse potest impudẽtius, prætextu, quicquid ipsis libuit addant, detrahant traditæ & perscriptæ diuinitus doctrinæ. Quid est Filio Dei Propheticum munus, quantum quidem ipsi possunt, abrogare, si hoc non est?

Sacerdotii Christi inuasio, & ipsius expiatorii sacrificii affectatio.

Iidem quid intactum tandem reliquerunt in Christi sacerdotio, ausi peccatorum nostrorum expiationi ab illo præstitæ quæcunque illis in mentem venerunt adiicere. Et quænam tandem? aquam execratam, Chrisma, Oleum, Ceram, Sputum, globulos preca-

catorios, peregrinationes, infinita denique vana, ridicula, impia ab illis excogitata: eò vſque tandem (proh nephas) progreſſi, vt aliam quotidianam realem & ſubſtantialem Ieſu Chriſti oblationem commenti ſint, Sacrificulorum ſuorum manibus peragendam pro viuorum & mortuorum etiam ipſorum peccatis: additis tamen tum viuorum qui ſunt adhuc, vt ipſi loquuntur, viatores, tum mortuorum ſanctorum in ſuis letaniis comprehenſorum meritis. Mortui enim ſancti, id eſt quos ipſi indigitarunt, tam multis meritis ſcilicet abundarunt, vt infinita ſuperſit illorum copia, quæ, accepta ab emptoribus pecunia, his vel illis egenis iſti diſtribuant. Iſta verò an non tam abſurda ſimul ſunt & tam deteſtanda, vt mirum ſit, quẽquam adhuc vel tam amẽtem inueniri qui vel iſtis fidem adhibeat, vel tam profligati pudoris qui iſtorum abominationes tueatur?

Interceſſorii muneris (quod pars eſt Sacerdotii Chriſti) occupatio.

De Chriſti verò interceſſione quoſnam iſtis melius ſtatuiſſe dixerimus, qui tot illi myriadas interceſſorum in cœlis, quanuis aliquantulo infra Chriſtum inferiore gradu collocatorum, adiecerunt? Imo nullum præterit temporis momentum quo non iſti ſibi nouos patronos ſeu interceſſores comminiſcantur, cuilibet etiam eorum ſigillatim hoc vel illud munus aſſignantes. Quin & ipſam ſanctiſſimam beatiſſimámq; Virginem matrem, ea iniuria afficere non dubitant, vt quæ ſeſe ancillam Domini dixit, eam Regi-

nam cœli & misericordiæ, suam spem & aduocatam vocitent, ac tanquam supremum numen colant & adorent: eo vsque progressi, vt etiam ab illa flagitent, vt maternæ auctoritatis iure filio suo imperet: quæ quum ita sint, audent tamen isti impudentissimis impudentiores affirmare, istud esse Deo in sanctis suis honorem tribuere. Atqui animaduertere saltem ipsos oportuerat, quoties vllæ preces ad eos qui ex hoc mundo excesserunt diriguntur, toties illos in Dei locum substitui: sic enim illis tribui necesse est, id quod est vnius Dei proprium, nimirum cordium perscrutationem, ac omnium quæ in terris dicuntur & geruntur cognitionem, quod est sanè prorsus impium, & nullo pacto tolerabile, etiã si excipiant, sanctos istos hanc potestatem, non ex sese, sed aliunde & precariò obtinuisse. Deinde quũ illis vnicus Christus intercessor minimè sufficiat, necessarium est ipsos de illius potestate aut volũtate ambigere: quæ incredulitas ex aduerso cum fide pugnat, extra quã quicquid fit peccatum est, & sine qua Deo placere nemo potest, Heb.11.6. Rom.14.23. Certissimum est igitur preces huiusmodi futiles esse, & irritas hoc vno dubitationis & fluctuationis vitio reddi, Iac.1.6. Denique siquis quicquid vanæ stolidæque superstitionis gentes olim congesserũt, cũ iis impuris ritibus cõferat Pseudoecclesię quam hodie Catholicam vocant, inueniet profectò recẽtem hanc inanitatem ab

ab illa vetere, non alia re quàm diuersis nominibus idolorum diffidere: hoc vno excepto quòd qui miseram plebem istis mendaciis pascunt, tenebras ornantes lucis appellatione,& sacræ Scripturæ lucem obscurantes, centuplo sunt prophanis illis gentibus solo naturæ lumine abusis deteriores.

Hi sunt igitur sodales siue consortes illi, de quibus hoc loco Sponsa acriter conqueritur, optans vt ab illis liberata piorum gregi restituatur, relictis gregibus quos sic appellans multitudinis numero, significat vnicam esse veram Ecclesiam catholicam, quum tot sint perfidorum illorum sodalium greges, quot sunt illorum sectæ, sic loquente Domino, Quicunque mecum non colligit, spargit, Matth. 12. 30.

Expostulationis Sponsæ conclusio.

Quod autē attinet ad hæc verba, *quasi delitescens*, variè ab interpretibus exponuntur. Sunt enim qui ad eum habitum istud referāt, quo Thamar sese adornauit, vt Iudam socerum suum deciperet, Gen. 38. 15. inde colligētes moris fuisse meretriculis velato capite incedere: quam sententiam si sequamur, perinde istud fuerit ac si Spōsa dicat futurum, vt si diutius cum illis commoretur, illorum scortatorum similis euadat, sicut plerunque euenire solet, & ipsis Lothi filiabus vsuuenit. Peruersorum enim familiaritate, & consortio diuturno vix fieri potest, quin turpissimę maculæ contrahantur, sicut eos denigrari videmus quibus diutius in carbonaria ver-

Quam sit infælix & periculis obnoxius status piorum qui inter impios degunt.

ſari contingit, qua de re ſeriò nos monet Apoſtolus, 1. Cor. 15. 33. Sic enim Deus propterea contagionis vitandæ cauſa tam ſollicitè ſuos Iſraelitas à Prophanis gentibus ſegregauerat, vt etiam ipſa veſtitus ſpecie à cæteris gentibus differrent. Hinc illi clamores Dauidis exilij ſui tempore, Pſal. 45. & 120. & aliis paſſim locis, de quo nos etiam diligenter admonet Apoſtolus, 1. Cor. 5. 11. Quod vtinam nō pauci ſeſe iſtis monitis præſtitiſſent obſequentiores, quorum præſens ſtatus miſerrimus ac maximè deflendus eſt, vtpote qui ſeſe Leonis raptoris vnguibus laniandos vltro præbuerint. Hæc igitur doctrina quæ ex huiuſmodi interpretatione eruitur ſalutaris quidem eſt atque adeò pernecesſaria: ſed quod ad iſtud dicendi genus attinet, vereor ne firmo careat fundamento. Nec enim eſt veriſimile impudicas illas mulieres quæ ex ſuo corpore quæſtum facerent, & ſua præcipuè forma illaqueandis viris abuterentur (vt earum artes deſcribit hîc ipſe Solomon, Prou. 6. 25. & 7. 10.) vultum operire conſueuiſſe. Nam hac certè ratione vix à pudicis & honeſtis matronis, quarum mos erat velari, diſcernere meretrices licuiſſet. Neque dicit Moſes Thamaram habitam fuiſſe pro meretrice, eò quòd texiſſet faciem: ſed hoc potius innuit, illam minimè agnitã fuiſſe Thamar à Iuda pro nuru ſua, quoniam viduitatis veſtitu depoſito, faciem obtectam haberet: quam tamen idcirco meretricem eſſe putauit,

nit, quòd alioqui exculta & ornata, & sola in triuio consideret. Idcirco nonnulli vocem illam interpretantur quasi diuortia quærentem, atque ab itinere deflectẽtem, quoniam interdum apud Hebræos ista significatione vocabulum istud vsurpatum inueniatur: ac si diceret Sponsa fore vt, quandiu apud eiusmodi nepharios versabitur, vagari & errare cogatur. Sed ista malo simpliciori sensu sic accipere, vt sese testetur Sponsa non posse inter istos impios versari, quin sibi sit acerba vita, vt omnino vel latebras quæritare cogatur, vel faciem ipsa sibi operire ne sit tot scelerum spectatrix, aut quoquomodo illis vel nutu indicet assentiri, sicut professus est Dauid sibi tam inuisos esse Deos alienos, vt ne nomina quidem illorum sustineat appellare, Psalm. 16. 4. & Apostolus itidem nos admonet, vt non solum à malo, sed etiam ab omnibus quæ mali speciem præ se ferunt abstineamus, 1. Thessalonic. 5. 22. Quinetiam sic testatur Petrus iustum Lothum afflixisse animam suam iustam, quum scelera Sodomitarum cerneret vel audiret: rectiùs tamen facturum si vel nunquam ab Abrahamo diuertisset, vel ad ipsum reuertisset.

Faxit autem Dominus vt sacram hanc doctrinam assiduè meditemur, omni quidem tẽpore, sed nunc in primis prorsus necessariã in hac tanta caligine, qua conatur Satanas

Conclusio totius superioris tractationis.

tanta cũ ſpiritus erroris efficacia lucẽ illã laetiſſimam nobis rurſum diuinitus miſſam in tenebras conuertere: ne ſeſe rurſus excæcari ſinant illi quibus ipſemet Dominus oculos aperuit, contrà verò vt benignitate ſingulari ſua iis qui adhuc in tenebris & in vmbra mortis verſantur, hoc donum veræ lucis impertiat. Denique vt omnis lingua honorem ac gloriam Domino Deóque noſtro in vera ipſius Eccleſia exhibeat, per vnicum noſtrum Mediatorem Ieſum Chriſtum: qua in re quum ad hunc vſque diem ignaui & ingrati officio noſtro defuerimus, veniam ab ipſo totidem his verbis petemus. Omnipotens, &c.

* * *

IN

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA VNDECIMA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino, &c.

Quod ſequitur extat in Cap.1.verſ.8.

8 Si tibi hoc ignotum eſt, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, ſequuta veſtigia gregis, & paſce capellas tuas apud mapalia Paſtorum.

Sathan ab omni æuo adulterauit veræ Eccleſiæ notas.

QVum veritatis notitia cunctis in rebus ſit nobis itineris recti verus index, neque ſit quicquam ſalute pretioſius, vtpote quæ nos vltra huius quoque vitæ metas deducat, efficitur nihil eſſe veritatis ignoratione, in iis rebus in quibus noſtra ſita eſt ſalus, ac proinde verarum Eccleſiæ notarum deformatione pernicioſius, quum extra Eccleſiam nullus ſalutari veritati ſit relictus locus. Hoc autem illud eſt quod nunquam vel factum eſſe vel fieri poſſe falſi Paſtores ſtudent incautis perſuadere, quoties Domino placet veritatis ſuæ contemptum grauiſſimo illo flagello vlciſci: Atqui notas Eccleſiæ non ſemper ſplendere & nitere non modo liquet ex iis quæ ſæpe Dominus interminatus eſt ac etiam exercuit, tum apud Prophetas (velut integris Pſalmis 44.79.& 80.& Pſal.89.39.Ieſa.29.14. & alibi) tum noui fœ-

deris tempore (vt Matth. 24. 24. Act. 20.29. 1. Timoth. 3.1. 2. & 2. Thessal. 2.6. 1. Ioh. 2.18.) sed etiam experientia omnium temporum confirmat, vt est à nobis superioribus concionibus demonstratum. Hic ille igitur est status in quo nobis proposita est afflicta iacénsque Ecclesia versibus supra explanatis: nutans penè ac incerta quónam sese rebus adeò perturbatis conuerteret.

Ecclesia veram suam speciosam formam coram Deo retinet, quantumuis illã Satan in terris deformet.

Diligenter est igitur animaduertendum quid ille suæ Sponsæ respondeat qui solus propriè quid hoc rei sit intelligit, vt qui sit ipsamet veritas, neque suos opis indigos vnquam destituit. Sic igitur Sponsæ respondet, vt breui quadam præfatione ipsam erigat & soletur, formosissimam mulierum illam appellans: ac si diceret, Etsi te, mea Sponsa, fuscam & oberrantem video, mihi tamen apparere non desinis formosa, & quidem pulchritudine minimè vulgari, & quam alia iactare nulla possit. Et ita quidem agere consueuit Dominus cum Ecclesia sua, castigationibus subiiciens consolationes, teste his verbis Esaia, apud quem quum paulò antè dixisset Ecclesia, Æternè Deus præstolamur te in iudiciis tuis, sic inducitur mox Dominus illi respondens, Vade, populе mi, & ingredere in conclauia tua, & post te claude ostia tua: lateas paululum, vel ad momentum, donec prætereat indignatio, Esaiæ 16.8. & 16.

Ecclesia quantumuis

Porrò hæc consolatio duplici firmamento, & quidem vtroque à benignitate Dei pro-

profecto, nititur. Primum quod nunquam pati possit Deus, vt veræ religionis principiorum ac fundamẽtorum notitia in Ecclesia sua penitus aboleatur: licet illorum nonnulla variè multis locis torqueri, ac interdũ etiam domi & foris falsis interpretationibus corrumpi ab his & illis contingat, adeo vt penes paucissimos integra & illibata maneat illa veritas: sicut accidisse videmus in Israele viuente Elia Propheta, & in regno Iuda, non semel in ipsa Hierosolymorum vrbe, quum Dominus ipse præsens ibi conspiceretur. Alterum autem huius cõsolationis firmamentum, in eo situm est, quòd benignissimus ille Pater non simpliciter considerat, & agnoscit Ecclesiã, prout ipsius donis ornata refulget, vtpote quæ sæpe tam obscura sint, vt vix ab hominibus conspici possint: sed illam in illo firmissimo fœdere suo, atq; adeò in filiò suo cui illam despondit contemplatur, in quo vno verè iam nunc cernitur non tantùm omni labe & macula carens, Coloss. 1. 22. verum etiam, quod potius est, induta illa absolutissima reconciliatoris & obedientiæ iustitia, Phil. 3. 9. Itaque licet apud nonnullos de doctrinæ vno aut altero capite cõtrouertatur eóque fortassis præcipuo, (quæ est aliorum quidem infirmitas, aliorum verò improbitas) non ideo tamen statuendum est nullam ibi esse Ecclesiam. Testis est huius rei Corinthiaca Ecclesia, in qua contigit, vt aapud nonnullos resurrectio mortuorum

astu Satanæ deformata perseuerat esse Ecclesia, contra Catharos & Donatistas.

in contentionem veniret. Testis est quoque Galatarum Ecclesia ita concussa, vt non minima ex parte videri possit funditus corruisse Gal.1.6. quas tamen propter hos næuos non desiit Paulus dignari Ecclesiarum appellatione, vtpote quas ipsemet fundasset: sequutus in ea re id quod aliis præcipit, Rom.14.1. Itaque vetusta illa Catharorum & Donatistarum deliria, nunc in quibusdam Anabaptistis renata, qui perfectam ideam puritatis Ecclesiæ requirunt, quam se assequutos esse somniant, sunt penitus damnanda.

Babylon Occidentalis extructa in media Ecclesia, nihil minus est quàm Ecclesia: sed Deus ex illa eduxit & educit quotidie suos, admirabili cum clementia excitatos.

Certè longè aliud est de re quapiam quam non nôris discendi studio disceptare, quàm pertinaciter sese veritati opponere, ac tandem etiam doctrinam prorsus ab articulis fidei Christianæ discrepantem tueri & auctoritate sua confirmare. Sic tandem hodiernæ Ecclesię Romanę vsuuenit, ideo sane nomine Ecclesiæ Christianæ non aliter dignæ quàm olim regnum decem Tribuum populi Dei nomen merebatur, postquam ad impietates Ieroboami filij Nabath apertè defecisset: etiamsi, vigente illa defectione, restabant nonnulli Dei electi, quos ipse sensim collegit, suáque benignitate fouit, ad diem vsque exitij illius regni, quale Babyloni quoque Occidentali imminet. Itaque non inficiamur patrum nostrorum ætate Ecclesiam, id est veros filios Dei, nonnullos in media colluuie tanquam cōclusos fuisse, Nam etiam ex scriptis quoque monimentis probari potest singulis

gulis ſeculis extitiſſe idololatriam, & ſuperſtitiones deteſtatas in illa Babylone inualeſcentes: quam etiam ante 300. annos quidam eorum poeta, templum hęreſeon appellauit, & in qua propterea, id eſt electorum cauſa, non eſt paſſus Dominus, vt Baptiſmus, vtpote Eccleſiæ Chriſtianæ teſſera aboleretur: ſed inde tamen non efficitur hanc Apoſtaticam ſedem, & quæcunque cum illa cohærentes, à vera Eccleſia ex diametro diſſident, vnquam veram Eccleſiam fuiſſe vel eſſe. Nec etiam dubitemus noſtra hac ætate qua Domino viſum eſt proſtratum vexillum ſuum rurſum erigere, multos adhuc in ea lacuna tanquam immerſos degere, quoad æternum Dei decretum ad veram illam Eccleſiam pertinentes, qui paulatim, prout Deo placet, ex illa voragine emergẽtes, reipſa ſuo tempore fiunt Eccleſiæ veræ membra. Huius rei vos quos hic præſentes alloquor, teſtes certiſſimi eſtis, & quotquot ex illa Babylone noſtris temporibus Dei manus eduxit. Hæc illa eſt igitur cõſolatio cuius hîc fit mẽtio, ex qua docemur, quid ſit reſpõdendũ impudẽtiſſimis illis rabulis qui Eccleſias noſtras vt nouas inchoant ab illis pręſtantiſſimis viris & fidelibus Dei ſeruis, diuinitus annis abhinc ſeptuaginta excitatis, non vt nouam Eccleſiam fundarent (vt illi falſiſſimè nominare noſtros cœtus conſueuerunt) ſed vt miſeras ouiculas, Paſtoribus deſtitutas, & inter lupos illos diſperſas recolligerent, quos hæc

Sponsa ementitos Iesu Christi sodales appellat, vt est à nobis abundè suprà declaratum. Addit deinde Sponsus *Si tibi istud ignotum est*, quasi diceret, fierine potest, mea Sponsa, vt penitus oblita sis eius quod à me postulas, id est vbi mea sunt pascua, & vbi pecus meum colligam sub meridie quieturum? Neque id verò Sponsus ait exprobrandi animo, vel vt eius mœrorem augeat: sed potius vt quasi sopitam excitet, & commoueat, vt seipsam melius scrutetur: haud secus ac si quempiam languentem hortaremur tantùm vt aliquid auderet, monentes adhuc ipsi plus virium superesse quàm ipse sibi persuasisset. Hic igitur sese rursus admirabilis Dei bonitas erga suã Ecclesiam exerit, nos commonefaciens, vt languescente in nobis fide & spe, duo contraria extrema vitemus: nempe ne vel, Petri exemplo, nobis ipsis freti quidpiam supra vires aggrediamur, quod illi tam malè cessit; vel torpere in nobis Dei dona per ignauiam sinamus, vt Apostolus discipulum suum, Timotheum studiosè monet, 1. Timoth. 4. 14. Nimis enim sæpe contingit, vt præclaras à Domino concessas nobis dotes, quas habere nos non sentimus, pusillanimitate quadam nobis effluere patiamur, quibus nos tandem indignos ostendimus, vt in talentorum parabola nobis ostenditur, Matth. 25. 28.

Exeundum est ex Babylone aut cum ea pereundum.

Hæc autem præfatus Spõsus, illam in primis admonet vt emigret, quemadmodũ olim iussus est Abrahamus patrio solo & domo paterna

paterna excedere, Gen. 11. 33. & postea Propheta populum compellans. Ier. 51.6. Exite, inquit, ex Babylone, fugite ex Chaldæa: ac demum Angelus, Apoc. 18. 4. Exite, inquit, ex illa mi popule. Nam certè vera redeundi in rectam viam ratio à qua aberratum est, in eo posita est, non vt in eadem semita pergat qui aberrauit: sed contrà vt, ea relicta, quàm citissimè fieri potest, iter repetat à quo deflexerat. Quod siquis hic roget, an iste qui hic præcipitur recessus necessariò loci mutationẽ requirat: respondeo non semper hanc esse necessariã. Præcipuus enim hic discessus est, à mendacio ad veritatem transitio, quod ad doctrinam attinet: quoad mores autem, auersio ab iniquitate, & puritatis amplexatio Psal. 119, 2. Timo. 2. 19. quod in sacris literis intelligitur conuersionis appellatione.

Exemplorũ Iosephi, Danielis, & Mosis applicatio ad præsentem Ecclesiæ Christianæ statũ, in Babylone captiuæ

Sed in hoc argumento magna occurrit exemplorũ diuersitas atque adeò repugnantia. Iosephũ enim videmus in Aegypto mansisse: itidemque Danielẽ & eius socios Chaldæam minime deseruisse. Mosem contra ex Pharaonis aula sese subduxisse legimus. Iudæis etiam quibus graue fuit in patriam reuerti quum iam tertiùm illis paterent fores pessimè cessit hæc ignauia & cunctatio: Quid igitur in hac diuersitate statuendum? Huius certè difficultatis explicatio minimè fuerit iis difficilis, qui sibi ipsis minimè adulantes, sincerè sibi pro scopo tum Dei gloriam, tum charitatẽ proximo debitam pro-

posuerint, suas denique vires ad illud vtrumque præstandum diligenter secum expenderint. Basis igitur huius totius deliberationis hæc est, Deo prorsus esse (sine vlla exceptione) ita vt ferunt eius mandata studiosè obtẽperãdum, sic vt neque retrocedamus, neque vel ad dextram vel ad sinistram declinemus. Hoc posito, siquis ibi sit vbi verbũ Dei purè annuntiatum audire possit & Sacramentis à Domino ad nostram fouendam & augendã fidem institutis frui, superest illi quiddam præterea ex ipsius Christi monitu considerandum: nempe vt rationes suas subducat priusquàm ædificet aut prælietur Luc. 14. 18. In primis igitur oportet vt secum reputet num satis habeat virium quibus, fauẽte Deo, sperare ausit parem se futurum superandis insultibus & violentis impressionibus quæ pietatem apertè profitentibus inter prophanos & superstitiosos haud dubiè imminent. Deinde an eo sit donatus fidei & zeli robore, quo fretus sibi à malis infinitis exemplis subinde occurrentibus cauere possit. Quisquis igitur sese, Dei beneficio, talem esse non temerè existimat, auctore me locum non mutarit, sed potius suaserim vt officio suo defungens, tanquam fax splendidissima in mediis tenebris refulgeat Phil. 2. 11. quanquam nihil prohibet quominus qui alicubi suæ cõscientiæ & saluti consulere non incommodè potest, meliorem etiam conditionem, sicubi fuerit sibi oblata, amplectatur. Cæterùm iis qui

qui munere publico, præſertim eccleſiaſtico alicubi funguntur, ſummopere cauendũ eſt, ne periculorum metu terrefacti ab officio diſcedãt, quod ipſa quoque vita multò charius ipſis eſſe debet, vt ſuo nos exemplo cuncti pij fideléſque Dei ſerui docuerunt, & quidem inter cæteros Ioſephus & Daniel. Sunt autem ij demum exiſtimãdi ſtationem ſuam deſerere qui loco redũt, vel hominum metu, vel alicuius priuati commodi cauſa, vocationem ſuam minimè perpẽdentes eſſe Dei vocem, cui ſit vltrò, ſiue ſtare, ſiue diſcedere iubeat, obſequendum: digni profectò qui ab Imperatore ſuo exauctorentur, vel etiam vt quaſi emanſores vel potius transfugæ puniantur. Sanctè igitur Abrahamus, accepto Dei mandato, patriæ cognatíſque ſubitò valedixit. Eſt enim omnis legitima & obligatoria vocatio, quaſi ipſius Dei vox auribus ipſis inſonans, ad cuius præſcriptum vel ſit permanendum vel demigrãdum. Moſem autem ſpeciali quidem monitu iuſſum fuiſſe non legimus vt aulam Pharaonis relinqueret Heb. 11. 24: ſed præterquàm quòd nullo munere publico legitur fuiſſe Pharaoni obſtrictus, ea quæ mox illius ex aula diſceſſum ſequuta ſunt ſatis oſtẽdunt illum peculiari ſancti Spiritus motu fuiſſe impulſum: quod etiam demonſtrat aperte Stephanus Act. 7. 22. Danielem contra credere par eſt, niſi mors illum in extrema ſenectute in Perſide oppreſſit, munere ſuo publico quod optima fide ad Dei

gloriam & populi tuitionem exercebat, fuisse, quominus cum cæteris in patriam rediret, quasi iniecta ipsius Dei manu retentum. Vt ibi quoque tum Esdras tum Nehemias aliquandiu post Cyri & aliorum regum edicta restiterunt: idque singulari Dei prouidentia, vt tanquam succenturiati & pro subsidio collocati extremum agmen populi turmatim redeuntis firmarent: At ij certe non habent quod ignauiæ suæ prætexant, qui tanta opportunitate reditus neglecta, in prophanarum gentium sordibus hæserunt. In summa in huiusmodi angustiis nequaquam defuturum est rectum & sanũ consilium iis qui sincerè gloriæ Dei studebunt, & suæ conscientiæ tranquillitatem quærent. Neque verò istud fuerit gratiam Dei cuipiam regioni affigere, vel alicuius vrbis mœnibus cõcludere: quum vbique Deo puris sublatis manibus sit seruiendũ 1. Timot. 2. 8. sed contrà huiusmodi doctrina eò tendit vt omnes intelligant ei quem Deo debemus cultui cuncta sine exceptione esse postponenda, illo præsertim tam preciosa iis pollicito, qui ipsius causa domos, fratres, parentes, vxorem, liberos, cuncta sua denique reliquerint, quantumuis illos mundus inter stultos & insanos habeat.

Non exit ex Babilone quisquis locum mutat.

Hinc etiam admonemur minimè sufficere simplicem à superstitiosis vel etiam deterioribus aliquibus discessum: Nihil enim prodest mutare locum, nisi veterem illum hominem exuamus, & quum eò appulimus vbi

puriùs

puriùs & liberiùs licet Deum colere, illud re ipsa præstemus. At istud certè non omnes præstant, vt magno meo cum dolore fateri me cogit veritas. Sunt enim Eheu nimiùm multi, qui tantum absunt ab eo vt vel sint istiusmodi emigratione mutati, vel meliores euaserint, vt contrà ex quo sese ad nos receperunt, vsque adeò facti sunt deteriores, vt eos præstiterit & nostra & ipsorum causa, vel nunquam ad nos aduenisse, vel eò vnde venerunt semel reuerti.

Monachismũ amplecti non est Mundum deserere.

Nihilo magis hæc doctrina hypocritis illis Monachis patrocinatur qui sese iactant mũdũ, sectandi Iesu Christi causa, deseruisse: quod tùm demum verum esse conperietur, quum probauerint suæ quam vocant regulæ auctorem esse Christum: & doctrinam Apostolicam amplecti, demonstrauerint idem esse atque in monasterium ingredi, vt ibi ex alieno viuant, & alij sese in onagros trãsforment: alij meri ventres & omasi euadant: alij infulas & pileos aucupentur: alij falsitatis omnis fautores & patronos sese ex professo constituant: (quales sunt in primis hodie nuper illi nati Capucini, & qui pretiosum illud Iesu nomen ausi sibi vendicare, ruentis Antichristi solium fulciunt) alij denique miserorum animas, quasi procuratoriis instrumentis apud Dei tribunal muniti, venalibus precibus & meritis nundinentur, Deum ipsum scilicet, si fides ipsis habenda est, subductis suorum meritorum rationibus obstrictum

tenentes. Quum hęc inquam, isti ostenderint ex Apostolorum & Prophetarum doctrina desumpta, id est tenebras esse lucem, tū certè in illorum sententiam transibimus. Sin minus, absit vt illorum putidissimis mendaciis assentiamur: quātumuis monasticam vitam, inter cæteros ex veteribus quidam (quod illius pace dictum sit) vir alioqui eximiis donis ornatus, neque de ista pseudomonachorum colluuie quā mox Sathan euomuit loquutus, sed solitariæ vitæ opinione iam tum inualescente fascinatus, eò vsque extulerit, vt cuidam etiam suaserit per calcatum patrem ad monasterium pergere: hyperbola plane pharisaica, cuius fit mentio Matth. 15.6. & contra Dei leges, de votis etiam legalibus & diuinitus institutis aliter prorsus statuētis. Num. 30.

Falli vehementer illos qui Babylonem & Ecclesiā inter se cōciliare student.

Hoc igitur primum ac præcipuum statuat necesse est quisquis sese cogitat Ecclesiæ verę cætui adiūgere, falsam Ecclesiā esse incūctāter alacríque animo eiurandam atque deserendam vt admonemur Luc. 9. 6. & Phil. 3. 3. quū disertis etiam verbis Psal. 45. 11. iubeatur Spōsa, si modo Sponso grata & accepta esse velit, patriæ suæ & paternæ domus obliuisci. Istud verò vtinam ij præsertim etiam atque etiam cogitent, qui hac ætate, in vtramuis partem claudicantes, ignem aquæ consociare se posse somniant, & transformatores Ecclesiæ vocant, quibus curæ est illam ad verbi Dei pręscriptum instaurare: deteriores certè homines quàm qui apertū veritati bellū indixerūt.

Cæterùm

Cæterùm quoniam ab vno diuerticulo in aliud trāſire, nihil eum iuuat qui à recta via deflexerit, ſed magis etiam illum extra viam abducit: ideo Sponſa admonetur vt à ſpuriis illis matris ſuę filiis diſcedens, confeſtim veri gregis veſtigia relegat, & repertis paſtoribus adhæreat. Hoc autem vt cuiuſmodi ſit planè intelligamus & ſecundùm illud nos componamus, tenēdum eſt longè aliud eſſe nouum aliquod iter aperire, quàm vetus iampridem tutum, ſed viatorum paucitate deſuetum & ſentibus obſitum repetere. Quoniam igitur hoc loco non agitur de noua inſtituēda via, quaſi tunc demum inchoanda fuerit Eccleſia: ſed de repetenda via longa deſuetudine obliterata: idcirco ad antiqua veſtigia Sponſa hoc loco amandatur. Idipſum eſt autem quod prædicarunt Prophetæ, vt pote qui in temporum ſuorum anguſtiis auios & vagantes perpetuo ad legem & ad teſtimonium reuocent Ieſ. 8. 20. & alibi paſſim. Sic etiam Abrahamus apud Luc. 6. 29, Moſem (inquit) habent & prophetas, illos audiant. Quibus etiam ſuffragatur Petrus 2. epiſt. 1. 20. haud oblitus ſermonum magiſtri qui cæcos ad ſcripturas relegās, Scrutamini, inquit, ſcripturas: nam illæ teſtantur de me Ioh. 5. 39. Et tamen, quum ſic loqueretur Dominus, ita verarum priſcarum ouium veſtigia vix apparebāt in eo ipſo populo qui Deum Patrem & auctorem iactabat, vt illas miraculis ac ſignis minimè vulgaribus opus fuerit quaſi notari,

Aliud eſſe nouam viam aperire, quā ad verum & vetus iter regredi. Et quódnam ſit hoc vetus iter.

vt à redimitibus recognoſcerentur Matth. 9.36.

Duo ſunt Patrũ genera, & varia hic occurrunt viarum diuortia, diligenter obſeruanda & euitanda.

Quotieſcunque igitur ex hoc loco aduerſarij ſine diſcrimine aſſerunt patrum traditionibus ac veſtigiis inſiſtendum eſſe: meminerimus Sponſam nõ quòuis, ſed ad certum quendam reuocari, id eſt, ad verarũ ouium aggregationem. Duo ſunt enim patrum genera, quorum non pauci & decepti fuêre & alios ſeduxerunt, de quibus conquerens Dominus apud Ieremiam, Deſeruerunt, inquit, legem meam quam ipſis tradidi, neque audiuerunt vocem meam, neque ambulauerunt in ea, ſed ſequuti ſunt peruerſam libidinem cordis ſui, & poſt Baalim quos docuerunt eos patres ipſorum Ier. 9.13. & Ezech. 20.24. poſt idola, inquit, patrum ſuorum fuerunt ipſorum oculi. Hi ſunt igitur patres quos deuitare nos decet, alioqui cum ipſis perituros, vtpote quibus gregis huius nomen minimè conpetat, quoniam oues non ſunt, quæ vocem paſtoris non audiunt & ipſum non ſequuntur. Ioh. 10.27. Ad veros autem Patres & anteceſſores quod attinet, ij demum ſunt quorũ veſtigia ſtudioſè ſunt à nobis dignoſcẽda, à quibus neque ad extreram, neque ad ſiniſtram deflectamus. Sic iſto noſtro ſeculo variæ ſunt ac multiplices falſæ religiones & ſectæ, quæ omnes ſeſe pro vera Eccleſia venditant, Ecce hinc Iudæi, inde Turcæ rectam religionem ſibi vendicantes. Atqui Alcoranum conſtat eſſe recens inuentum, itaque non

nó possint Turcę per huius gregis vestigia intelligi. Iudęi verò hodie, & ex quo euersum est eorũ templum cum tota ipsorum politia, speciem quidem habent veræ religionis, & gloriantur de vero Deo à Mose & prophetis anunciato, sed frustrà quum illum non agnoscant, immò blasphement, ad quem nos reuocãt lex & Prophetæ Ioh.5.39. Luc.24.27.

Ecce verò alia ex parte Romano throno addicti, antiquitate longa serie episcoporũ, fœderis deniq; vtriusque tabulis prolatis, Ecclesię Catholicæ nomẽ sibi vẽdicãt: quib⁹ respondemus, quum hierarchiæ quidem ipsorum qua nituntur opus, partim ex officina humana prodierit, quod paulatim in nanifestam Antichristianã tyarnnidem euasit: doctrina verò quæ ab ipsis prædicatur ex diametro scriptis Propheticis & Apostolicis repugnet, hanc illam viam esse non posse veteris Ecclesiæ Apostolicæ pedibus tritam, quãtamcunque annorum & episcoporum seriem proferant. Idem omnino de Anabaptistis & Libertinis statuendum, sua deliria interserẽtium scripturis diuinis & suos enthusiasmos venditantium. Nec aliter etiam est de cæteris seu veteribus, seu interpolatis, seu recèns natis hæreticis statuendum, quibus omnibus commune istud est quòd sese non continent intra doctrinę Apostolicę & Propheticæ fines, vt est canonicis libris idcircò perfectè conprehensa, vt essent nobis & contextus & certa eius interpretatio.

Successio Episcopalis Babylonica nullo certo fundamento nititur.

Quænā sint vera Ecclesiæ mapalia ad quæ amādatur Sponsa.

Hæc itaque causa est quamobrem Sponsus suam Sponsam monet de quærendis pastorũ tuguriis: fidos videlicet Ecclesiæ pastores docens esse peruestigandos, & ex ipsorum tũ sermonibus tum scriptis dignoscendos, vt qui semper fuerint vero gregi perfugium & tutus receptus. Nam reuera vnicus & singularis est grex iste Catholicus, id est, generaliter consideratus, & ex quibusuis populis collectus, siue paruus siue magnus: sed tot sunt caulæ siue tuguria illi recipiendo & pascendo gregi, quot locis verorum pastorum id est Apostolorum & Prophetarum vox auditur, & ad fines vsque seculorum audietur, ex fidelium pastorum ore qui illis successerunt & succedent, vt tota ouium illarum multitudo ad hanc vocem collecta, ad illum vnicũ pastorem Spósum videlicet adducatur.

Cur Solomō faciat expressam mapalium mētionem.

Sed & fortasse Sponsus his verbis vtens ad Abrahamum, Isaacum & Iacobum speciatim respexit, qui reipsa vitam pastoritiam egerunt, vt plerique omnes prisci patriarchæ, ac ipse etiam Moses, quum inter Madianitas degeret, ad quorum etiam familias sanctámque disciplinam amandatur Sponsa. Certum enim est tum ipsos fuisse veros pastores tum eorum doctrinam synceram, ipsorum denique domos ac familias (si refractarios ac prophanos quosdam exipias, veluti Ismaelē & Esauum quos potius in illis quàm ex illis domibus fuisse dixerimus) veram Dei Ecclesiam extitisse. Nec illud etiam prætereũdum, diserte

disertè nominari pastorum caulas, quod illorum historiæ consentaneum est: vixerunt enim illi reipsa in tabernaculis tanquam in hoc mundo peregrinantes Heb. 11. 9. Immò sic quoque docemur Ecclesiam minimè quærendam esse intra turritas basilicas, aut pyramidas sublimes, & reliquum eiusmodi terrenum luxum, sed potiùs ex vilibus & vulgaribus hominibus compositam Luc. 14.21. & 1. Cor. 1. 16. cuius etiam caput & princeps Christus in stabulo nasci, & vti vulgari victu voluit Matth. 8. 20: Quod si nobis hic quispiã obiiciat tabernaculi ornatum splendidissimum, & Solomonici templi incredibilem pene magnificentiam, & tum ipsius Solomonis opes, tum populi sub illo rege diuitias tantas vt argentum non pluris fieret quàm lapides 2. Chroni. 9. 27. respondeo omnem illum apparatum atque cultum sacerdotij Leuitici, ipsiúsque templi opes, figuras fuisse diuitiarum spiritualium æterni templi Dei, nempe Domini nostri Iesu Christi sub Legis pædagogia, quæ penitus abolita est, & vnà cum suis appendicibus euanuit. Ad opulentiam verò populi quod attinet, equidem non inficior Dominum his etiam præsentis vitæ commodis dignatum fuisse populum suum, quoties sic illi visum est, cuius cultui adiunctæ sunt & huius præsentis & futuræ vitæ promissiones 1. Timot. 4. 8. Neque etiam nego, Deum in Ecclesiam suam tum diuites tum pauperes adsciscere quos & quot ipsi

placet, teſte Lazaro mendico in Abrahami diuitis ſinu requieſcente, Luc.16.23. Sed hoc dico, baſilicam illam conuiuij quæ commemoratur Luc.14.13. ab omni æuo fuiſſe potius infirmorũ, claudorũ, cœcorum è mediis plateis petitorum turba refertam, quàm opulentis & magnificis conuiuis qui in Regum domibus verſantur. Matth. 11. 8. Addo inſuper, tametſi neque ex diuitiis neque ex paupertate vera Eccleſia ſit diſcernenda, tenuitatem tamen atque ideo inopiam immò etiam crucem eſſe perpetuas illius comites. Neque verò nunc ago de crucibus aureis vel argenteis quas iſti in idola deteſtabilia tranſmutarunt, ſed crucem illam grauẽ intelligo, humeros noſtros prementem, & hoſtem carnis perpetuam. Aio præterea locupletes illos qui in Eccleſia floruerunt neutiquam ex Eccleſia fuiſſe, quatenus opibus iſtis corruptibilibus abundarunt, ſed quatenus pauperes fuerunt diuitiis vtentes ac ſi nullas haberent, vt nos monet Apoſtolus 1. Cor.7.33. 1. Timoth.6.17. & ſeipſos vſque adeò emaciãtes vt per acus foramen tranſire poſſent Matth.19.24. Theſauros denique ſuos reponentes in cœlis Matth.6.29. Dauidis illius ditiſſimi atque piiſſimi regis exemplo Pſal.16.5. Affirmo denique analogiam & conuenientiã mutuam eſſe oportere inter ædificia & inſtrumentum Eccleſiæ & doctrinam ibi ſonãtem, que luxum omnem reſpuit, & Eccleſiæ bona

bona viuis extruendis lapidibus impendit 1.Pet. 25. vt Apoſtolorum temporibus factitatum fuit Act. 4.35. & quandiu(ſicut iam olim ex Patribus quidam ſcitè dixit)aurei quidem erant,vaſa verò ſacra lignea.

Reprehenſio luxus in locis ſacris,& reliquo Dei cultu Chriſtiano, vnde facti vt Eccleſia ſit in officina ambitionis & auaritiæ transformata.

Magnoperè igitur iam inde à Conſtantini Magni temporibus peccarunt veteres epiſcopi,qui non modò ſuſtinuerunt, ſed etiam affectarunt, ſuíſque cohortationibus effecerunt, vt tam immodicis ſumptibus templa erigerētur, nulli certè vſui aptiora quàm redarguendis & petitoribus & donatoribus & illorum quidem auaritiæ,iſtorum verò ambitioni oculis ipſis ſpectantium demōſtrandæ.Et hinc certè palàm eſt euenisse vt ſpiritualis illa Eccleſiæ Chriſtianæ pulchritudo in futiliſſimam vanitatem ac luxum non ſimpliciter mundanum ſed plane epicureum tranſierit: licet huic turpitudini religionis cura prætexatur:hinc autē etiam conſtat quā ſit deſperata illorum impudentia qui tam falſis & tam ridiculis fabulis auſi ſunt Aoſtolorum hiſtoriam,vt eſt Lucæ à Sancto ſpiritu dictatata, conſpurcare: nihil veriti ſanctos Chriſti Apoſtolos, in templorū architectos, crucium fabricatores,aquæ luſtralis aſperſores transformare.Quæ (Deus immortalis) iſtorum nullis piaculis diluenda audacia fuit, qui Petri ſcilicet patrimonium partim à principibus emunxerunt, partim infinitis ſceleribus arripuerunt? Quæ belluæ illius, monſtri,inquā,illius horrēdi, triplici corona

ſuperbientis abominatio, quod hominum humeris geſtatum, vſque ad crepidæ oſculum adoratur? nunquid tale Petrus ipſe cuius iſte ſe ſucceſſorem in Apoſtolatu, immò (proh ſcelus) in principatu iactat? Act. 10. 26. 1. Pet. 5. 3. Ad quid pompa illa ſpecioſa, partim ex manubiis ac ſpoliis regum & principum orbis terrarum, quos hæc meretrix philtris ſuis faſcinauit, conflata, partim ex piorum in ſpiritualem Eccleſiæ vſum collationibus, per ſacrilegium auerſis, concinnata? ne ſcilicet vana fieret Apocalypſis prophetia tam expreſſa, vt etiam nominatus ſit locus & officina tantæ confuſionis. Neque ſane hæc noſtra eſt interpretatio, quum eum locum ita expoſuerint veteres tum græci tum Latini, quorum ſcripta ille ipſe Papa non audet palàm improbare. Quid præterea exiſtimabimus de innumerabilibus illis Patribus & Fratruellis, paupertatis, ſcilicet, voto adſtrictis, impudentibus mendicabulis, quorum impudentiſſima mendacia lapides ipſi & magnifica ipſorum palatia refellunt? Quid de iſtis locuſtis, & occidentalibus pſitacis ſentiendum quas recèns euomuit abyſſus? ex quorum præſertim fœce emerſerunt deteſtandi illi ſanctiſſimi nominis Ieſu prophanatores, qui, aliorum accipitrum nidis occupatis, exiguo temporis ſpatio, plus opum hinc inde corraſerunt, quàm per totos quingentos annos ab aliis omnibus accumulari potuerint? qui quidem mihi in mentem re-

uocant

quod à Physicis traditur, serpentes videlicet serpentibus deuoratis, dracones euadere. At nos tenuitate nostra contenti, casulas ac tuguria priscorum fidelium pastorum hoc loco commemorata, toti illi pópæ & fastui mundano, alacri animo opponamus: ibi veram Ecclesiam non autem in illo prophanæ illius opulentiæ splendore inuenturi, in quo regnum exercet princeps huius mundi, nomen Ecclesiæ sibi attribuens. Nos, inquam, Mosis exemplo, calamitates populi Dei & Iesu Christi opprobrium, cunctis Aegyptiorum thesauris anteponamus Heb.11.25. in hoc, inquam, rege nostro acquiscamus: sic in cœlis gloria coronato vt interim adhuc in terris in mẽbris suis spineã illã coronam gestet Col. 1. 24. Istos autem contrà semel missos faciamus, qui Christi spolia inter se partiuntur.

Cæterum vocem illam Hebræam quam Mapalia siue Tuguria sumus interpretati, quamuis sæpe pro quouis domicilio accipiatur, sic tamen hoc loco vsurpari constat, ex eo quod Pastoribus attribuatur: quales etiam Abrahamus, Isaacus & Iacobus reipsa fuerunt, ac etiam Moses quandiu in desertis Arabiæ vixit, & Dauid ex ipsis caulis ad regnum assumptus. Sic autem præter illa de quibus antea diximus, admonemur à Spiritu sancto, quemadmodum ea est Pastorum conditio, vt sæpe ex vno loco in alterum demigrent, ideóque casas gestatorias habere con-

Mapalia Ecclesiæ non sunt vlli loco certo affixa.

ſueuerunt, vt in veterum Patriarcharum hiſtoriis legimus, qui cum ſuis gregibus modò hûc modò illuc tranſeuntes ſecum Eccleſiam Dei transferebant: ita cauendum eſſe ne cui vel genti, vel vrbi, vel etiam vico Eccleſiam affigamus, tanquam ibi perpetuò mãſuram. Nam contrà memores eſſe nos oportet horum Chriſti verborum, Matth. 24. 23. & 28. Siquis vobis dixerit, ecce hic eſt Chriſtus aut illic, ne credite. Vbinam igitur eſt quærendus? vbicunque, inquit, fuerit cadauer (corpus videlicet mortuum ex quo vita haurienda nobis eſt) ibi congregabuntur aquilæ: id eſt, vbi Ieſus Chriſtus ille verus prædicatur, in cuius ſolius morte vita inuenitur, & quẽ ſolum, eúmque crucifixum ſibi cognoſcendum merito putauit Apoſtolus, Cor. 2 2. nimirum purè annunciatum: ibi oportet aggregentur aquilæ: fideles nempe, quibus vnus eſt gratus cibus illo crucifixo paſci. Nã ibi demum eſt nec vſquam alibi vera Eccleſia. At vbinam Ieſus ille Chriſtus inuenietur? In caſulis illis & mapalibus Paſtorũ, id eſt in ſcripturis Prophetarum, quas huius ſeculi homines, præ ſuis Philoſophicis & rhetoricis ſcriptis, vt plebeias vel etiam ineptas narrationes contemnunt, vel etiam derident. At quocunque loco ab hominibus habeantur, ibi demum fundata & extructa eſt Dei domus illa, cui nihil habet ſimile mundus vniuerſus, 1. Cor. 3. 11. Epheſ. 2 20. & Apoc. 21. 14. Verùm, aiunt iſti, ſi dum quæritur ibi Chriſtus,

ſtus, quiſpiam ſcripturarum locus incidat, qui perperam exponatur, quónam recurrendũ erit, vt de genuino illius ſenſu doceamur, & contrariam falſitatem deprehendamus? Iterum ſane ad Paſtorum tuguria deueniendum eſſe dicimus: quandoquidem præter hoc verbum ſcriptum, nulla eſt lux, nulla certitudo in Eccleſia. Ad illud autem amandamur, & expreſſo Domini mandato, vt ſuprà à nobis dictum eſt, & ipſiuſmet exemplo, qui falſum Sathanæ teſtimonium ex ſcripturis prauè ab illo detortis eadem ſcriptura repulit, Matth.7. Iiſdem verò telis vſos fuiſſe Apoſtolos haud ambiguum eſt, etiam aduerſus Sacerdotes ſedentes in Hieruſalem, Act. 4.7. illis fruſtra ſuas traditiones aduerſus Apoſtolos proferentibus, & illius ſuæ ſedis auctoritatem prætexentibus, tũc in ſpeluncam latronum, vt iam olim Romana, transformatæ, ſicut illis exprobrat Dominus, Matth.21. 15. Sic etiam ſeſe cum Paulo geſſerunt Iudæi Berroes ſuo maximo bono, Act.17.11. Neque tamen interea contemnẽdum ducimus, immò plurimi faciendum veræ Eccleſiæ teſtimonium atque conſenſionem: ſed ea cautione ſemper adhibita, vt veram Eccleſiam à falſa, ex ipſius teſtimonij cum ſcripturis conſenſu diſcernamus: quod etiam in ſuis legendis ſcriptis obſeruandum eſſe, priſci patres & ſuorum temporum clariſſima illa lumina præmonuerunt.

Valde fuit igitur inſignis & exitialis hæc *Inſignis er-*

Error eorũ qui successioni personali vel locali Ecclesiam alligant.

Satanæ impostura, qua persuasit credendum esse absque doctrinæ ad verbi Diuini normã examine, Spiritum sanctum esse ipsis Pastorum personis velut alligatum à quibus nunquam recedat: adeò quidem vt ipsas quoque sacras Scripturas illorum opinionibus & decretis subiecerint: non minus absurdè profectò, quàm si quis architectus, non ipsum parietem ad regulam & perpendiculum, sed è contrario regulam ac perpendiculum ad ipsum parietem exigat. Atqui obseruare potiùs aduersus hũc astum Satanæ oportuerat, Iesum Christum lapidem illum angularem, ab omni æuo pleròsque præcipuos, (nomine tamen non reipsa) architectos agnoscere noluisse, immò etiam malitiosè repudiasse, Psal,118.22. quod experti sunt in primis Prophetę, Matth.23.37. ac deinceps ipse Christus Matth.21.23. Act.4.11. vt etiam disertè prædictum fuit Ecclesiæ Christianæ euenturum, Act.20.29. & verè prædictum fuisse experientia hodie quoque conuincit. Nihilominus tamen speciosus tum fuit quorundã prætextus, cur sine exceptione staretur in iis quæ gens illa amplecteretur, quam vnam Deus inter omnes elegerat, atque adeò cur speciatim omnes acquiescerent in Sacerdotum sen tentia quos Deus supremos esse iudices, in causa religionis iusserat, Deut.17.9. Nã ipsius quoque sedis Hierosolymitanæ nullus ignorat quãta fuerit auctoritas, ciuitatis Dei nomen sortitæ, Psalm.122. Et tamen quinam illi fue-

fuerunt de quibus loquens Dominus, Sinite illos,(inquit) cæci enim ſunt & cęcorum duces, Matth.15.14. quínam Chriſtum & diſcipulos excommunicarunt? Ioh.9.22. à quibus coactus eſt Pilatus Chriſtũ ad crucem damnare? Matth.27.20.quínam incircuncifi corde manus ſuas piorum ſeruorum Chriſti ſanguine cruentarũnt? Act.7.52. Maxima igitur fuit occaſio aſſentiendi ſine exceptione longè maximæ parti Iudaici populi, & Scribarum,inſidentium Moſis legiſlatoris chathedræ, id eſt Moſis ſucceſſorum prout Deus conſtituerat. Et tamen iſti ceciderunt in foſſam, & ſuos ſectatores ſecum eodem traxerunt,Matth.15.14. At vbinam tandem ſcriptum fuit Romam futuram Eccleſiæ vniuerſalis ſedem? Epiſcopum Romanum nullius iudicio eſſe obnoxium, ſed caput eſſe omnium ſine prouocatione Eccleſiarũ?poteſtatem habere cœlos & inferos aperiendi? omnia denique ſuo arbitrio conſtituendi? vt alias infinitas blaſphemias horrendæ impietatis plenas prætermittam. Dixit quidem Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſe perpetuò nobiſcum fore, vſque ad mundi conſummationem: ſed Romæ ſe habitaturum neutiquam dixit. Immò per ſuum illum chariſſimum diſcipulum Iohannem nos commonefecit, Romam fore magnæ illius meretricis ſedem, quæ Reges ac Principes orbis terrarum inebriaret: quod etiamnum hodie oculis ipſis cernitur, & tamen animaduertere volũt

pauci. Immò, (qui penè incredibilis fuit ſtupor) illi ipſi veteres patres qui de hæc ipſa Romana ſede hæc viderunt & ſcripſerunt, vſqueadeò tamen cauere ſibi non potuerunt, vt & ipſi miſerè fuerint hac in re decepti, & alios non paucos in eandem induxerint.

Summa totius huius tractationis.

Summa autem huius deſperationis hæc eſto, Dominum ſuos Paſtores & ſuas caulas habere, certos veritatis teſtes, Prophetas nimirum & Apoſtolos, ad quos ſit omnibus piis accedendum, & quorum doctrina, ſcriptis ipſorum plene comprehenſa, eſt vnicus ille Canon ex quo verè Paſtores à falſis dignoſci, ac proinde vera illa Ieſu Chriſti Spōſa cui capellas aggregari oporteat, vt verè paſcantur, ab illa infœlici adultera diſcerni: quam quiſquis perire non vult effugere teneatur. Hanc igitur doctrinam amplexi Dominum Deum & Seruatorem noſtrum precemur, vt benigniſſimis illis ſuis oculis miſeram ſuam Eccleſiam intueatur, pleriſque adhuc locis tot ſentibus obſitam & tam incultam, vt illic vix vllum iter vix vlla rectæ ſemitæ veſtigia appareant: vt inquam illam reſpicere, & ad veras verorum Paſtorum caulas per tam vaſtas & horrendas ſolitudines perducere dignetur: &, quandoquidem illi viſum eſt hac noſtra ætate ſancti ſui miniſterij vexillùm rurſus attollere, placeat etiam illi ſeſe iſti Babyloni quàm fortiſſimè opponere, & Apoſtaticam ſedem illam oris

ſui

ſui Spiritu funditus euertere: placeat, inquam, illi Electis ſuis oculos donare, quibus lucem Euangelicam intueantur: aures illius Paſtorum Paſtoris voci audiendæ tribuere: ſuas caulas inſtaurare, in quibus ipſius famelicæ capellæ ad ipſius gloriam & honorem paſcantur. Quoniam verò, quæ noſtra ſumma eſt ſegnities, hoc ſacrum pabulum nobis tam benignè ſubminiſtratum, tam parum adhuc auidè ſumpſimus, & nunc quoque penè faſtidimus, agite mecum, Fratres, tantum hoc peccatum à Deo Opt. Max. deprecemur & eius miſericordiam iſtis precibus imploremus. Omnipotens Deus, &c.

* *
*



IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA DVODECIMA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.1.verſ.9.

9 Amica mea ſimilem te eſſe dico:

Felicis Eccleſiæ inſtauratæ ſtatus comparatio cum eiuſdem deſolatione: quã inſtaurationem omnes procurare oportuit.

INſignem profectò doctrinam audiuimus ex Sponſi ſuperiore reſponſo, certiſſimas videlicet veræ illius Eccleſiæ notas, cui nos obtinendæ ſalutis æternæ cauſa neceſſe eſt aggregari: vnde licet etiam intelligere veram & vnicam Eccleſiæ inſtaurandæ rationem, poſtquam ad tempus Paſtorum nonnullorum neglig ẽtia & falſorum Doctorum perfidia vaſtata & deformata iacuit. Sic autem feliciter & efficaciter inſtaurata quàm admirabili decore ſit conſpicua, nunc graphicè nobis declaratur, cui curando negotio nunc omnes intentiſſimos eſſe oportuit. Nam hoc illud caput eſt, de quo etiamnum hodie controuertitur, idque optimo iure, quum adhuc maxima ex parte Chriſtianum orbem in miſerrimam vaſtitatem redactum videamus.

Quid Eccleſiæ inſtauratione impediat.

Sed (proh facinus) tractatur, immò etiam fouetur à plurimis hæc controuerſia, non aliquo illam tandem decidendi ſtudio: ſed contra vt illis obſiſtant, qui huic tollendo malo quãtam poſſint operam nauant. Nam falſi

falsi Pastores hoc vlcus tangi nullo pacto patiuntur: quorum alij quidem negotium istud nihil vel non multum curant: pauci verò quidam manum quidem huic operi admouent, sed vt Ecclesiæ gubernationem ex humano suo sensu metiri, non ordinem, sed, quasi cum ratione insanientes, confusionem instituant, sua commenta sequuti: quum, vt supra testatus est Sponsus, istius domus Dominus, vestigia veri gregis obseruare, & ad fidorum pastorum caulas sese recipere oportuerit.

Ad primos igitur illos quod attinet, quum Pharisæis & Scribis similes sint, atque adeò illis deteriores, mirum non est ipsos non ferentes vt in suas impietates inquiratur, Domino illi suo strenuè seruire, qui pertinacissimè quantum potest suam arcem propugnat, Luc. 11. 22. Sed fateri tamen ij interdum coguntur Ecclesiam suam non paucis corruptelis fœdatam, quod in suorum conciliorum præfationibus testantur: ac etiam in ipsis concionibus nonnunquã istud Crocodilinis lachrymis deplorant. Sed quorsum id faciant, res ipsa mox ostẽdit. Quum enim de his emendandis vel semel tollendis agitur, nunquam doctrinæ deprauationem attingunt, (à qua tamen ordiri necesse fuit quũ in ea periculosissimè peccetur) sed de pileorum formis, de barbarum tonsura, de cæsariei productione aut decurtatione disceptãt, quibus nugis, ne nihil aliud agere videãtur,

Pseudosynodorum larua.

aliquid intermiſcent de non coaceruandis ab vnoquopiam ſimul pluribus Sacerdotiis, de reſidentia Epiſcoporum, & aliorum quibus animatum (vt ipſi loquuntur) cura incumbit. Bellè id quidem, quaſi vnicuique ſacrilego ſingularis quædam prædæ portio aſſignetur: & vnicuilibet latroni certi fines ſtatuantur, intra quos præſens graſſari liceat. Hęc illi mera eſſe conuicia exclamabunt. Sed age. Corrigant igitur, ſi fas eſt, ipſius Chriſti ſermonem, qui de domus Patris ſui prædatoribus diſſerens, Matth. 21. 13. Vos, inquit, domum Patris mei in ſpeluncas latronum cõuertiſtis. Quod ſi etiam legitima quæpiam decreta de morũ honeſtate, vel emendandis Eccleſiaſticæ adminiſtrationis corruptelis decernant, quis non videt iſta per ludibrium ab illis ſtatui, quum totidẽ inde in ipſorum Bullis clauſulæ derogatoriæ quas vocãt naſcantur, Papa quoſlibet certo pretio legibus quibuſuis ſoluente? Huius rei publicum teſtimonium perhibet ſaltem pragmatica ſanctio quam vocant Concilij Baſilienſis, à Leone X. P. abrogata, vocatis in prædæ partem regibus: impudẽtia certè maiore quàm olim milites illi qui ſupra veſtem ſpoliati Domini ſortem iecerũt. Quid? illius Tridentini conciliabuli prædatorij pleræque ſanctiones huiuſmodi hodie prorſus inutiles, annon deploratæ perfidiæ ipſos arguunt, qui fuerunt illarum auctores, & plenis buccis eam ipſam illius auctoritatem prædicant, cuius abroga-
tionem

tionem ipsimet mercantur?

Quid hîc igitur in tanta rerum confusione consilij capient Pastores & Magistratus Christiani? Expectandúmne est (vt inquiunt isti derisores) dum istis quoque corruptelis Papa & Antistites (Apostolorum scilicet successores) medeantur? id est, lupanaria repurgent meretrices? vsitatum enim est scripturis spiritualem scortationem cum corporea conferre. At ex aduerso Christus, Sinite, inquit, illos, Cæci enim sunt, & cæcorum duces, Matth.15.14. Quin etiam argentarios, arrepto flagello, & euersis eum ipsorum pecunia mensis, semel atque iterum ex ipso templo eiecit, Ioh.2.15. Luc.19 45. Sic trecentis abhinc annis Deus Occidétem & Meridiem terribili suæ indignationis flagello, summissis videlicet Turcis Saracenorum successoribus, castigauit: & nostra quoque memoria Romam ipsam ictu non leui flagellauit. In nos autem contrà immensos misericordiæ suæ thesauros effudit, excitatis diuinitus maximis illis & præstantissimis beatæ in æternum memoriæ viris, qui, correptis veris illis Christianorum armis, 2.Corin.10.4. Spiritus videlicet eius Domini, 2.Thessal.2.8. qui gladius anceps vocatur, Psal.49 6. Heb.4.12. domum Dei pro viribus repurgarunt, in qua nos hodie, Dei beneficio, stamus. At hîc nobis nonnulli obiectant, non illis tantùm armis, sed ferro quoque nostrates vsos fuisse. Iis verò qui sese ferro quoque tutati sunt,

Officium virorum Pastorum & Christianorũ Magistratuum, aduersus desolationis Ecclesiæ auctores & fautores.

certè non defuit quod in suos illos accusatores, vniuerso teste mundo, regererent. Fatemur, inquiunt, ita rem se habere: & Satanam quoque latrones & prædones aliquos nostris permiscuisse, quod & ipsi Dauidi vsuuenit, quum Saul illum persequeretur. Sed quisquis cognouerit & expenderit cur ad vim vi repellēdam fuerimus adacti, comperiet istorum, à quibus vt seditiosi insimulantur, iustiorem causam non esse, quàm grassatorum qui sese conquererētur in quopiam nemore transeuntibus insidiantes, à nonnullis auctoritate publica armatis, aliquatenus cohibitos, ne quosuis prout ipsis libuisset iugularent.

Quàm sit pretiosum Amicæ nomen à Sponso huic Sponsæ attributum.

Sic igitur hac ætate nostra visum est Deo, alibi quidem Ecclesiam suam exercere, alibi verò mitiùs cum suis agere. Sed agnoscere & conqueri maximo cum mœrore meo cogor hanc nostro tempore quasi cœlitus rursum misso Christo, patefactam Dei beneficētiam, minimè, sicut oportuit, exceptam & applicatam fuisse. Nam alij excelsa reliquerunt intacta, eorum exemplum sequuti, quorum sæpe fit in libris Regum mentio. Alij Gedeonis Ephod statuerunt. Iud. 8,27. Alij Ecclesiasticas gubernationes nō ad veteris gregis, & caularum antiquarum exemplar, in quibus hæc Sponsa capellas suas pascere iubetur, instaurarunt: sed omnia, vel pleráque, potiùs ad humanæ suæ sapiētiæ, ac imaginationis normam direxerunt, vt planè, nisi Deus sua benigni-

benignitate isti malo occurrerit, futura sit illorum posterior conditio priore deterior, vt ait Dominus, Matth.12.45. quod iam etiam in multis Ecclesiis atque adeò regionibus accidisse videmus.

Faxit autem Deus vt ij quorum hoc munus est, omnes animi neruos hûc intendant, prouideántque vt Sponsa tãdem eum splendorem ac nitorem recipiat; quem designat Spõsus illam bigis rhedæ Pharaonis comparans. Etsi enim hæc similitudo prima fronte videri potest huic Sponsæ parum cõueniens, attamẽ aptissimam illam esse cõperiet, quisquis quorsum tendat diligenter expendet, neque longiùs illam protrahet: quod nisi in istiusmodi similitudinibus obseruetur, infinita consequerentur penitus absurda. Sic vt significetur verã illam esse Ecclesiam quæ ad Christum refugit vbicunque fuerit, adhibetur similitudo aquilarum vbicunque cadauer fuerit aduolantium. Quid verò fuerit ineptius quàm filios quidem Dei dicere carniuoris auibus similes: Christum autem, qui omnium est sanctissimus, cum fœdo cadauere conferre? Itidem ecquis Christum nisi horrendè blasphemans dixerit esse furem, ex eo quod dicitur tanquam fur venturus? 1. Thessal.5.2. aut aliquid habere simile iniquo iudici Deum & homines spernenti? Luc.13.2. Itaque siquis hîc arbitretur Spiritũ Dei Ecclesiam suam simpliciter conferre cum iumento, falletur. Hac enim similitudine non

Ratio comparationis huius Sponsæ cum bigis Aegyptiis.

aliud voluit declarare Sponſus quàm, propterea quod fœminarum non minimum decus ſitum eſt in eo, vt ſint alta quadam & erecta corporis ſpecie, quales ſæpe apud prophanos poetas depinguntur, immò etiam Pſalm. 144. 12. vbi cum Regiorum palatiorum celſis & tectis columnis conferuntur: idcirco Spiritus ſanctus volens Eccleſiæ veris ſuis Paſtoribus adhærentis præſtantiam velut oculis noſtris ſubiicere, hanc ſimilitudinem delegit, Eſt autem hæc illi miſerrimo ſtatui cuius antea meminit oppoſita, quum ſqualido & obſtipo, vultu iaceret. Quod enim exprimitur Pharaonis potius quàm alterius cuiuſpiam nomen, non aliam ob cauſam fieri certum eſt, quàm quod equi Ægyptij tum forma tum generoſitate cæteris omnibus præſtabant, vt ex multis Scripturæ locis videre eſt, prẹſertim 1. Reg. 28. 10. quemadmodum hodie Hiſpanici & Turcici etiam ſupra cæteros celebrantur: neque eſt alia nobis eius appellationis ratio quærenda.

Quàm ſit pretioſum Amicæ nomen à Sponſo huic Sponſæ attributum.

Sed illud accuratè nobis eſt obſeruandum, quòd ſuo ipſius ore Sponſus in ipſo orationis initio Sponſam amicæ appellatione dignatur: Sic enim nobis demõſtratur quod omnem humanæ mentis captum ſuperat: nempe inenarrabilis illa beneuolentia qua Chriſtus Eccleſiam ſuam proſequitur, vt inde vnum ex primariis doctrinæ ſalutis noſtræ capitibus diſcamus: quicquid nimirum habet

habet hæc Sponſa, non aliunde quàm ex mera Sponſi liberalitate profectum: nec eſſe quicquam in vniuerſo mundo quod verè boni vel pulchri appellationem mereatur præ gemmis & monilibus illis quibus Deus Eccleſiam ſuam exornat, tantiſper dum aduenit nuptias plenè conſummaturus: quod tamen omnium maximum beneficium tam malè notũ eſt & tantopere negligitur, vt ab ingrato mundo vltimum illud irati Dei iudicium non procul abeſſe videatur. Nullus enim in Deum magis eſt ingratus quàm qui ſibi perſuadet idcirco ſe ab eo diligi, cui tamen ſeipſum & omnia ſua debet, quòd in ſeſe aliquid haberet, vnde ſit ille ad ipſum amandum pellectus, & quòd ipſius beneuolentiam ſi non ſummo iure, at certè aliquatenus mereretur. His autem omnibus commẽtis quibus homines ſibi ipſis blandiuntur opponere vel illud ſatis eſto, *Amica mea*, toties deinceps in hoc Cãtico iteratũ, & quod ipſemet præſens Sponſus hoc ipſum coniugium ſtipulãs, Nequaquam (inquit) vos dico ſeruos meos, ſed amicos vos appello, Ioh.3.29.& 15.15. Cedò verò cur amicos? Quia (inquit) ego prior vos dilexi, 1.Ioh.4.10. At quóſnam, Domine, tam comi Amicæ appellatione compellas? certè tibi ab ipſo exortu inimicos, immò auitas inimicitias tecum exercentes. Cur igitur illos dilexiſti? vt ſupra ipſam peccati ſuperabundantiam exuberaret gratia, Rom.5.20: eius rei cauſa non

alibi reperta, quàm in tua ipsius bonitate. Et quòvsque illos dilexisti? eòvsque vt tuam ipsius vitam pro illis profuderis, 1. Io. 3. 16. En igitur (Fratres) summè pretiosam voculam, eius arcani interpretem, cuius lõgitudinem, latitudinem, profunditatem, nulla mens humana capere possit, Eph. 3. 18. & 19. Oro vos igitur & obtestor etiam atq; etiam, Fratres, vt perpetuò inhæreat mentibus nostris hæc compellatio, *Amica mea*: Sit (inquam) nobis hæc vocula summè pretiosa. Ne, quæso, nos fascinẽt huius mundi philtrum, quod est odium aduersus Deum, Iacob. 4. 4: Ne fluxæ & euanidæ diuitiæ nostras mentes possidento: Ne nostri amore infatuati, tanto nos ipsos thesauro spoliemus: Ne tantã benedictionẽ, exemplum Esaui sequuti, vili offulæ postponamus. Heb. 12. 16. Personet potius continuò dulcissimum istud Amicæ cognomentum, in auribus & mentibus nostris virtute sancti Spiritus illustratis, quæ profundissima quæq; Dei arcana scrutatur, nẽpe quæ nobis Deus donauit, 1. Cor. 2. 10. & 12. vt vita hæc nostra sit vicissim perpetua ac reciproca dilectio qua illum ex animo redamemus, qui nos est tanta dilectione complexus.

Vsus huius comparationis Sponsæ cum equorũ præstantissimorum biga.

Sed age, accedamus ad præstantis huius Sponsæ speciei & habitus descriptionem. Quotiescũque anima vigens & vegeta, corpus nacta est optima membrorum constitutione compactum, in quo nihil obstet, vel vllo modo impediat, quominus vires animæ

ſeſe liberè diffundant, & huc illuc commoueant: tum proculdubio ſeſe actiones & earum effecta, palàm à capite ad imos vſq; pedes exerunt. Haud ſecus hæc Sponſa quàm ſui Sponſi Spiritus vita ſpirituali animat, alit & fouet, ſuam vndique præſtantiam illam prodit, caput quidem ad cœlos vſque attollens, pedibus autem Satanam conculcans; mũdum, peccatum, mortem ipſam atque inferos prouocat, Oſeæ 13.14. 1.Cor.15.55. alibi propterea cũ excelſis arboribus ſecus aquarum riuos plantatis comparata, quibus nulla cœli iniuria nocet, quominus ſemper virẽtes fructificẽt, Pſal.1.3. & 92.11. & 13. Sæpe tamen, fateor, euenit vt hanc vineam prædones, vinitorum culpa depaſcant, ac etiam grando & aliæ tempeſtates cælitus grauiter lædant, adeò vt quæ modò palmites longè latéque diffundebat, miſerè proſtrata & vaſtata iaceat, Domino deorſum illam non minus deprimente, quàm altè prius eam extulerat: Sed illam certè idcirco, Dominus vineę deiicit, vt eam rurſus erigat, ſuum in ipſam amorem iſtis caſtigationibus probans, Ieſ.49.21. Semper enim magnum diſcrimen conſtituitur inter Sodomæ euerſionem, & viſitationem Sionis, Ieſ.1.9. & quamuis grauiter commotus, iram tamen ſuam certis veluti finibus circumſcribit, Pſalm.30.6. & 103.10. & 125.3. & Eſa.26.20. Denique nõnunquam veluti nuntio illi remiſſo, ad aliquod tempus Sponſam ablegat, qualis erat Eccleſię facies antè annos

circiter 70. Sed postea cũ illa in gratiã redit, Ier.3.1. Premimur ergo modis omnibus, at non opprimimur: egemus, sed non destituimur: persecutionẽ patimur, minimè verò deserimur: deiicimur, sed nõ perim⁹, 2, Cor.4 8.

Crux est huius Sponsæ currus triũphalis.

Sed quo tẽpore (inquies) sic erecto & valido corpore hæc Sponsa viguit? Certè nunquam adeò vegeta & florens visa est atq; Apostolorũ tempore. Nunquam enim Euangelij doctrina tam purè & tam diligẽter fuit annunciata: nunquã tã alacriter & animosè audita: nunquã tam efficaciter probata. At enim, inquies, tũ fuit calamitosissima, teste cum Apostolo, 1.Corin.4. vniuersa historia Apostolica, immò hoc ipsum est quod dictũ volo, crucem videlicet esse veluti triumphalẽ currũ, quo hæc Sponsa triumphans & hilaris vehihitur. Gal.6 14. & 2.Cor.4.10. Et, quæso, hoc ipso nostro seculo, quando verbum Dei maximè floruit? ánnon in mediis flammis? Contempta enim morte, etiã vltra ducẽtesimum miliare, vidimus huc accurrentes ouiculas, vt vel micam huius cœlestis panis gustare sibi liceret. Non vitæ retinendæ studium, non diuitiarum splendor homines remorabatur, regnum Dei denique quasi vi & impetu arripiebatur.

Euangelii audiendi plenam concessam libertatem mox consequitur eius contemptus.

Nunc verò quid fit? promulgatis edictis quibus aliqua libertatis species nobis conceditur, vilescit quod pro foribus adest. Si fortè in suburbia reiicimur, aut paulò longiùs, eòvsque pergere grauamur; si quid stipis

pis conferendum eſt quo tenuiter ſuſtenten-tur operarij, aut egenis ſuccurratur: grauius id onus videtur, quàm vt diutiùs ferri poſſit. Denique mannam, initio viſam nobis tam ſuauem, faſtidimus. Hæc vtinã Deus clementer emendet, & hominũ animos pro ſua miſericordia ad officiũ faciendũ reuocet. Pacẽ & quietẽ expetimus, ſed vt molliter viuamus. Itaq; tantũ beneficium nobis velut è manibus ſenſim elabitur, quo nos nimirum abuſuros nouit ille à quo vno promanat.

Exhortatio ad Euangelium quam auidiſſimè excipiendũ.

Age igitur nos totos Deo cõmittere diſcamus, à quo nobis & noſtris fratribus tranquillitas, poſt tam graues & diuturnas tempeſtates, concedatur: & diligenter caueamus ne equorum nimium bene curatorũ more, aduerſus Dominum recalcitrantes, ſellam & frenũ pati recuſemus, Deu.32.15. & Eſa. 34.6. Quod ſi viſum ipſi fuerit durioribus etiã flagellis nos exercere, probemus reipſa virtutẽ ipſius in infirmitate noſtra perfici, 2.Cor.12. 9. exultemus eo nomine quod ex Dei dono capiti noſtro iſta perpetiendo conformemur, Rom.8.29. Philip.1.29. & Act.5.41. Denique certaminibus iſtis non hebetetur, ſed contra magis ac magis virtus illa cœlitus nobis donata exacuatur. Ridebit nos mundus interea, & tanquam furioſos ſubſannabit: ſed ille viciſſim ſuo tempore plorabit, nos autem ridebimus, poſtquam apparuerit quod Dei beneficio ſumus, 1. Iohan.3.2.

Cur Sponsa potius cum bigis quàm cum equo singulari cõparetur.

Cęterùm animaduertendum est Sponsam non cum vnico equo generoso, sed cum bigis appositè comparari. Nam Ecclesia (quæ nomine Sponsæ in hoc cantico designatur) quatenus, secundum ipsius Christi postulatum Ioh. 17. 11, nos sumus vnum cum ipso, ac veluti membra corpus vnicum constituentia 1. Cor. 12. 12. quid aliud est quàm cœtus multorum qui simul quasi combinati ac subiuges & mutuò sese tum voce, tum exemplis cohortantes, Ascendamus (inquiunt) in mõtem Domini Es. 2. 3. & cum Dauide integrum Psal. 122. decantant? Denique plena est vniuersa scriptura huiusmodi cohortationibus, vt omnes velut anima vnica præditi, ad vnũ eundémque scopum, non modo gradatim sed cursim ferantur vt supra vers. 4. diximus, robustiore infirmiorem sibi adiunctum non opprimente, sed tolerante Gal. 6. 2. & Thess. 5. 14. Nam idcirco, nempe ne vnum animal ab altero sibi socio opprimeretur, sub Lege Deut. 22. 10. interdictum erat boue simul & asino arare. Hæ sunt igitur illæ sanctæ bigæ quarum insigne habemus exemplar quò fortassis respexit hoc loco Spiritus propheticus: Apostolis videlicet, binatim non singulatim enumeratis Matth. 5. 2. & 6. 14. idque, non temerè, sed, vt est probabile, ea serie qua solebant bini magistrum suum assectari: serie, inquam, siue ordine, non gradu, quasi vnus gradu quopiam super alterum emineret: qua de re certè, inter eos non fuisset

ſet tam ſæpe quæſitum, ſi quis iam tum inter ipſos fuiſſet ſupra cæteros, vt vicarium aliquod caput, conſtitutus, vt perditus ille Occidentalis Antichriſtus confinxit.

At, huius controuerſiæ deciſione repudiata, cuius auctor eſt ipſe Dominus, Matth. 20. 25. belli iſti ſucceſſores Apoſtolorum Petri & Pauli, (qua ratione poſſit etiam ſceleratiſſimus optimo cuiuis in quocunque ſtatu ſuccedere) ordinem hunc in gradus, dignitates, prælaturas quas vocant intolerabili audacia transformarunt: eò vſque ſenſim progreſſi vt à iugalium eundem currum trahentium loco & ordine, in currum ipſum tranſcenderint, cuius habenas qui abripuit vt eius moderationem ſibi ſoli vendicaret, auſus etiam eſt dicere, & in decretorum ſuorum tabulas referre, etiamſi currus animabus refertos in tartara pertraheret (ipſe nimirum cæteris illuc præiens) neminem eſſe qui huius facti rationem ab ipſo poſſit repoſcere. Hæc enim auſus eſt quidam ex iſtorum numero ſuis decretis inſerere. Et mirabimur hunc currum fuiſſe, per tot ſecula tranſuerſum per deuia ſurſum deorſum actum, ac tandem etiam euerſum? Nec ſanè meliore iure bigæ iſtæ mēdicabulis illis conuenerint, binatim quoque incedentibus, vel turmatim potiùs locuſtarum inſtar orbem terrarum arrodentibus.

Falſæ bigæ cum hac vera collatio.

Denique opponitur hæc ſancta bigarum copulatio vagis ac diſſolutis illis erronibus huc illuc donec collum fregerint diſcurſan-

Reprehenſio eorum, qui huius Sponſi iugum ſubire recuſant.

tibus: & qui ſuaue illud Domini iugum ſubire recuſantes, Abrumpamus, inquiũt, iſtorum vincula, & eorum funes procul à nobis abiiciamus. Pſal.2.3. minimè cõſiderantes verè reges eſſe qui Deo ſeruiunt, ſeſe verò (quũ ſint peccati mancipia, Ioh,8.34. & præcipites à Satana quocunque ipſi libuit abripiantur, 2.Timot. 2.26.) omnium eſſe miſerrimos. At nos ex aduerſo Dominum audiamus vt ſi volumus eſſe ipſius diſcipuli, iugum ab ipſo nobis impoſitum vltro ſubeamus. Matth.16.24, firmis ſemper poplitibus, Heb.12.12. ſtadium nobis propoſitum decurrentes, donec ad metam ipſam perueniamus, Amen.



IN



IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA DECIMATERTIA.

Auxilium nostrum sit à Domino, &c.

Quod sequitur extat in Cap. I. vers. 10. 11

10 Decoræ sunt genæ tuæ murænulis, & collum tuum inter torques.
11 Murænulas aureas faciemus tibi cum clauis argenteis.

Quid designetur blanditiis Sponsi, Sponsa suæ reuersæ aduentum gratulantis.

QVæ nunc à nobis exponenda (vt & huius cantici pleraque) mutuas blanditias Sponsi & Sponsæ sibi restitutæ continent: qua allegorica narratione declaratur tum immensa illa Iesu Christi beneuolentia erga suam Ecclesiam, quam exquisitissimis donis decorat & exornat: tum vicissim reciprocus Sponsæ in suum Sponsum amor, in cuius extollenda præstantia sibi satisfacere non potest, in illo vnico tota prorsus acquiescens.

Discrimen obseruandũ inter huius coniugii primam inter absentes stipulationem, eiusdem inter præsentes ratihabitionem, & plenam consummationem.

Vt autem hæc omnia planè intelligamus tres nobis obseruandi sunt huius sancti matrimonij gradus. Vnus, Sponsalium sub vetere fœdere inter absentes facta stipulatio. Alter, huius stipulationis inter præsentes ratihabitio, & quædam propioris coniunctionis species, ad Iesu Cærirsti aduentum in carnem & Euangelij promulgationem referenda. 2.

Cor. 11. 2. Tertius denique gradus consummationem illam plenam ac perfectam nuptiarum respicit quam expectamus, & quę per virginum parabolam adumbratur Matth. 25: plenam autem hanc consummationem dico, quoniam licet iam olim Iesu Christi vis illa spiritualis ab ipsa sub vetere fœdere desponsatione & nunc post eius inter præsentes ratihabitionem sese illi Sponsæ reipsa insinuarit vt fructus iustitiæ gigneret, quò referuntur quæ commemorantur Ezech. 16. 8. & Rom. 7. 4. & Eph. 5. 3. Deus tamen nondum est omnia in suis omnibus, nec etiam erit ante vltimum illum suum aduentum 1. Cor. 15. 28. Itaque blandi isti sermones quibus hic Sponsus suam Sponsam demulcet, ad illud tempus Sponsaliorum referendi sunt: quod apertis verbis ipsemet Sponsus apud Ezechielem loco proximè citato demonstrat.

Hic ornatus Sponsæ, minimè patrocinatur fæminarum luxui.

Quod siquis istum Sponsæ commemoratum hoc loco cultum eò detorqueat quasi mulierum luxui & immodico ornatui patrocinetur, paratum est responsum ex Petro grauiter ista reprehendente 1. Pet. 2. 4. & 8. & ex Paulo 1. Timot. 2. 9. Ad hæc verò siquis excipiat, Deum igitur non semper eandem regulam præfiniuisse: planè ex scripturis constabit, Spiritum sanctum nunquam sibi ipsi contradixisse. Aurum quidem certè & argẽtum proculdubio bonæ res sunt, vt poteab opifice Deo creatę, quarum vsum situm non

fuisse duntaxat in vendendo & emendo, verum etiam ad corporis decus & ornamentū pertinuisse, constat ex certissimis & vetustissimis sanctorum patrum exemplis: sed in primis non est cur arbitremur luxum illum redundantem, inter sanctos auro & argento sic etiam vtentes, viguisse. Testantur enim sacræ historiæ quæ tum fuerit hominum simplicitas, ab omni fastu & specie mali procul remota: cuius rei exemplum luculentum nobis suppeditat quod narratur Gen. 24. 22. Abrahami seruum videlicet Rebeccæ Domini sui nurus futuræ donasse monile & armillas binas, sed perexigui pretij. Et vt constet Rebeccam, licet non tenuis sortis familia nata, (quum tunc temporis, vt vulgari prouerbio iactatur, Reges essent pastores,) fuisse extra omnem luxum educatam: diserte dicitur ipsamet hydriam humero gestans ad aquam ex fonte petendam descendisse, sicut proculdubio factitare consueuerat. Sed & quum fit mentio filiarum ditissimi & potentissimi regis Dauidis, tantùm dicuntur versicoloribus vestibus indutæ fuisse, qualibus hodie fortassis germanicæ puellæ vestiuntur. Et, quæso, ecquis immodicus ornatus ex argento esse potuit Solomonis tempore, quo tanta fuit illius copia, vt vix pluris fieret quàm lapides? 2. Chron. 9. 27. Cæterum sicut reges & alios Magistratus Dominus in sublimem auctoritatem attollit Rex ille regum, ita dubium non est quin velit aliquibus specialibus or-

namentis & eorum munus commendari, & auguſtiores iis quibus præſunt haberi, quod illa Solomonis cultus magnificentia liquidò declarat. Et certe ſic quoque gradus ſocietatis humanæ diſtingui par eſt, modò & ipſi Reges intra amplitudinis ſuæ fines conſiſtãt, alioqui pœnas, ipſi Regum Regi daturi. Nebucadnezaris & Agrippę exemplo; Daniel. 4. 25. Act. 12. 22. Neque hæc illa eſt perſonarum acceptio in ſcripturis damnata.

Quis ſit in corporis cultu modus tenendus.

Immò potiùs pro phanaticis habendi ſunt qui cunctos contendunt pari veſte indui debere, vt & ij qui indumentorum aliarúmque exterarum rerum vſum ſola neceſſitate metiuntur: ſic male detorquentes quod ait Apoſtolus, victu & veſtitu contentos eſſe nos oportêre. 1. Tim. 6 8. Nam certe Deum euidentiſſimè conſtat hominibus vltra ſimpliciter neceſſaria, infinita pene vtenda conceſſiſſe ad ſuauitatem & iucunditatem deſtinata. Verùm ſiquis ſiue magnatum ſiue tenuiorum propter hanc Dei indulgentiam velit voluptates & luxum excuſare, magnopere in Deum peccat, eius auctoritate ad id approbandum abutens quod vbique Dei ſpiritus abominatur, vt teſtatur ſeueriſſimi iudicij diuini exemplum in Hieroſolymitanas præſertim mulieres editum, vt ab Eſaia copioſè deſcribitur Eſa. 3. Et hæc quidem de auro & argento dicta ſuncto. Cirros autem & miris artibus intortas comas, fucum, & cætera eiuſmodi quis excuſauerit? Neque ſanè mirum

eſt

est Apostolos simul & pariter de aureis & argenteis ornamentis & de coma statuisse. Etsi enim est aliquod in his discrimen vt antea diximus: tamen perdifficile est modum vel in his vel in illis seruare. Et certè inter eos quibus ista non sint simpliciter interdicta, laude digni sunt qui quàm moderatissimè iis vtuntur, sed sapientissimi sunt qui, vt ad ruborem cogant tenuiores sortis homines, & vt exemplo suo doceant ab istiusmodi vanissimis rebus remotissimos esse omnes Christianos decere, penitus ab iis abstinent: multò sese præbentes hac ratione honoratiores iis qui extrinseco cultu, quales intus & in corde sint, ipsis penè cæcis testantur.

Quod ad nos attinet, moderatiùs quidem aliquantò agere hîc videmur, neque capita auro micantia, gemmeisque monilibus conspicua in hac ciuitate visuntur: sed profectò quòd eiusmodi multis rebus superfluis caremus, ipsa potius egestas quàm Dei timor facit. Quàm autem istud nobis indignum & quàm pudendum est, quòd non modò de rebus istis quæ inter nos supersunt, increpari nos sit necesse, verum etiàm quòd tam inutiliter ista nobis repetantur & inculcentur? Nam quæso, quínam sumus, siue indigenas siue aduenas spectare libet? Etenim dignatus quidē est Deus hāc ciuitatem libertatis dono nulli alij obnoxię. Sed an Reges, an Duces, an Comites sumus, aut quidpiam aliud inter Respub. potentes spectabile? Immò an non *Applicatio huius doctrinæ ad Ecclesiam Geneuensem.*

potius aliorum per Dei gratiam similes sumus de quibus Paulus 1.Cor.1.26. Videtis, inquit, fratres vocationem vestram, vos videlicet non esse multos potentes, non multos nobiles, non multos sapientes secundùm carnem? Nos autem aduenæ, & in hac ciuitate, beneficio piorum ciuium Geneuensium singulari, hospites, (inter quos nimiùm multi, quum sese profiteantur, veræ religionis causa patriam vltro reliquisse, sordes tamen istas secum huc aduehunt.) quínam, obsecro, secundùm carnem sumus? certè vel exilio multati, vel Sponte profugi, & in summa exiguus pauperũ hominum manipulus. Interea nemo est qui sese pede suo metiatur: nec capere iam nos turgidos nostra pellis potest. Frustraneæ sunt admonitiones. Palàm violantur edicta, videntibus hoc omnibus, si illos excipias quos oportuit primos id animaduertere & emendare. Annonæ caritas, pestis ad portas, belli districtus gladius nobis imminens, miseriæ & calamitates ad quas redactæ sunt tot Ecclesiæ, quæ nos ad cilicium & cinerem vocant, cupiditates nostras potius acuũt vt tantò magis illis indulgeamus. Sicubi in Gallia aut alibi vestis aliquod genus indecens, vel monstrosum potius excogitatum est, confestim ad nos traducitur: cuiusmodi sunt prægrandes illæ corrugatæ fasciæ circa colla serpentes, thoraces illi tumidi, ac prodigiosè prominentes ventres, gossipio aut nescio quibus aliis infarti, palle muliebres,

liebres, solo quo appellantur nomine detestandæ. Cincinnatulos autem & calamistratos androgynos quo loco censebimus? Apage, apage, apage inquam, tam impia, tam fœda, tam ab omni etiam honestate, nedum à Christianitate aliena, Vtinam verò quum nihil hic valeant humana remedia, Deus ipse corruptelas istas manu ipse sua aboleat. Et certè ita facturum prædico.

Sed agè ad contextum nostrum redeamus: Hæc de Ecclesia narrari constat, tanquam de nobilissima quapiam regina auro gemísque magnificè exculta, quomodo etiam Psal.45.10.14.& 15. describitur, itidémque Ezech.16. Sunt autem hæc ornamenta dona spiritualia & interiori homini inhærentia; quorum fit mentio apud Petrum & Paulum locis paulò ante citatis. Sed quænam illa sunt? nempe, vt paucis omnia cōplectar, ipse Iesus Christus, ac quæcunque sunt ipsius. Habet autem is in sese Spiritum Sanctum & omnia ipsius effecta: nō modò quatenus ipse Deus est coæternus & coessentialis patri & Spiritui Sancto, sed etiã, quod ad effecta & dona, ratione suæ humanitatis, quę Spiritũ non recepit aliquatenus, vt nobis, pro bona Spiritus ipsius volũtate, distribuũtur 1.Cor.12.8: sed plenissimè & absque mensura Ioh.3 34. Est igitur Deitas vt ipsum bonũ, ita origo & fons à quo omnia creata bona promanãt, Iac.1.7: humanitas verò Christi est amplissimi vasis instar, in quod infusa sunt sancta & Spiritualia illa dona om-

Quid declaretur istis huius Sponsæ torquibus & monilibus.

nia quàm abũdãtissimè Ioh.1.14, ita vt homo ille quemadmodũ verus Deus Filius est vnionis gratia, sic ratione qualitatum in illa humanitate creatarum, sit homo supra ipsos etiã Angelos ineffabiliter diuinissimus: quod designauit columba dum Baptizaretur Ioh. 1.33. vt Esaias prædixit & interpretatus fuerat cap.11. 2. Idque non vt in sese illa conclusa permanerẽt, sed vt inde in sua membra, quorum collectio est hæc Sponsa, diffunderentur pro Sponsi quasi capitis voluntate, & prout singulis suis membris vti ipsi libuit, illa Baptizãs & irrigans interius, sicut exterior Baptismus oculis repræsentat Ioh. 1. 33. Eph.3.20. & 21. & 4.15. & 16. Quamobrem etiam Angeli natiuitatis Domini preçones, pastoribus non simpliciter *Natus est seruator* (aiunt) sed *Vobis natus est seruator* Luc 2.11. Cæterùm hæc dona non sunt vnius generis. Quædam enim communia sunt omninum Christianorum, eáque in quatuor species distincta ab Apostolo 1. Cor.1.30, vbi ait Christum nobis à Patre factũ esse Sapientiam, Iustificationem, Sanctificationem & Redemptionem. Quicquid enim scimus & credimus de salutis doctrina: & tota illa Iustitia & integritas qua freti audemus sancta fiducia Deum inuocare, & apud ipsius tribunal comparere: itidémque nostri omnis immutatio, qua fit vt incipiat nobis verè malum vt malum displicere, & verè bonum vt bonum placere: ac proinde omnis illa nostra liberatio cuius consummationem

nem expectamus: hæc, inquam, omnia ab eo emanant in quo sunt omnes sapientiæ ac intelligentiæ thesauri Col.2.3: in quo nulla est vitij vllius labes 2. Cor. 5. 21: qui peccata nostra in ligno in corpore suo portauit 1. Pet.2. 24: & cuius obedientia iusti simus Rom. 5. 19: qui denique efficit in suorum cordibus ipsam rectè volendi & agendi facultatem Phil. 2.3: in summa qui noster est vnicus Iesus, id est Seruator, & redemptor Matth. 1. 21. non autem alius quisquam Act. 4. 12. Vltra hæc dona sine quibus nullus est verum Ecclesiæ membrum, alia quàmplurima dona speciatim Spiritus sanctus distribuit, ea qua ipsi libuit mēsura, pro modo vocationis in qua vti constituit huius vel illius opera. Et hæc etiam ille pro sua liberalitate, interdum nonnullis nihilo melioribus futuris largitur, vt contigit Absolomo, Achitopheli, Sauli, Iudę proditoditori, & aliis de quibus scribitur Matth.7. 26. Itaque ad illa prioris generis dona respiciendum nobis est, & in iis est insistendum. Et hæc quidem sunt illæ gemmæ, hi torques, hæc monilia inæstimabilis pretij quibus hic describitur liberalissimè hęc Spōsa à suo Spōso cumulata. Quid enim habemus quod non acceperimus, 1. Cor. 3. 4. & cum ipso nobis omnia donantur. Istis, inquam, smaragdis, istis sapphiris, aliisque exquisitissimis Capillis extructa est ciuitas illa Dei de qua Esa. 54. 15. & Apoc.12 8. quod quidem sub lege adumbrabatur iis duodecim gemmis quæ Vrim

& Thumim ob radiantis fulgoris summam pręstantiam vocabantur, in pectorali summi sacerdotis collocatæ Exod. 28. 17.

Grauis increpatio vitiorum & scelerum illis huius Sponsæ ornamentis contrariorum: & adhuc in Ecclesiis grassantiũ, quæ de Euãgelii nomine gloriantur.

An verò nos (sunt enim hæc Ecclesiæ encomia de cuius nomine gloriamur) sumus beatus ille cœtus ex iis donis compositus qui filij lucis dicuntur & tanquam luminaria in mũdo refulgent? Phil. 2. 15. Certè quod ad Deũ attinet, verè testari possumus ac debemus, illum inter nos facem illam purissimæ suæ veritatis rursum accendisse, Psal. 19. 9. & 119. 104; adeò vt mundus vniuersus oculos in nos intentos habeat. Sed solis splendor cæcos quid iuuat? quid prodest eos compellare qui surdi sunt & esse volunt? Quid profuit veram lucẽ inclaruisse iis qui tenebras affectarunt? Ioh. 3. 19. Et quid ego potius hic dixerim quam nos esse omniũ hominũ maximè ingratos & infœlicissimos, nisi de nobis ipsis seriò etiã atq; etiam cogitemus? Ecquis enim fructus carnis (sicut ab Apostolo commemorãtur Gal. 5 19.) inter nos non cernitur? Tot admonitiones ex hoc ipso loco auditæ: tot iustæ leges in scortatores & adulteros in hac repub. sancitæ, tot exempla in viros & fœminas edita: num hæc flagitia coercere inter nos potuerunt? Minimè. Nam è contrario non stat per nonnullos quominus legum istarum vincula, si non vno velut actu secentur, at certè sensim dissoluantur, & tandem aboleantur. Auari, raptores, fœneratores, qui miserorum fratrum vestrorum egestatem obseruatis,

uatis, & ex eorum calamitatibus versutè lucrum captatis, quibusuis prædonibus detestabiliores, famis artifices, cyclopes viuos homines crudelissimè deuorantes, quousque tandem in Ecclesiæ sinu versabimini? Vos ganeones, ebriosi, gulæ mancipia, nunquámne ad alium Deum quàm vestrum ventrem conuertemini? Vos monopolæ, ponderum & mensurarum falsatores, cultores mammonæ, perditissimi idololatræ, nunquámne discetis ęquo & moderato lucro acquiescere? Rixosi, contumeliosi, inuidi, implacabiles, litigiosi, quandiu vos feret Deus in illa sua pacis & charitatis domo? Vos litium forensium fomites ab imis inferis excitati, ex aliorum contentionibus lucrum aucupantes, lites ex litibus serentes, sempérne per vos sacrosanctum Iustitiæ nomen inquinabitur? Dissoluti, inertes, otiosi, hypocritæ, concionum sacrarum dicis causa auditores, vel vt eò suauius in templo stertatis, quando tandem quorsum nati sitis seriò cogitabitis, antequam ex hac vita euocemini? Aleatores, vestrarum alienarúmque fortunarum decoctores, adeóne citò obliti estis funestæ illius concionis à quodam non ita pridem sub manu carnificis habitæ? Homines denique semper homines eritis? semper prioris illius Adami filij? semper caro ex carne? nunquámne auctor ille æternæ vitæ, posterior ille Adamus, sibi vindicabit? Quid plura? Misereatur vestri Deus,

Deus faxit vt tandem aliquando ſordibus illis ſemel abiectis, coram ipſo mundi & pretioſis iſtis quæ hic commemorantur ornamentis ſplendentes compareatis, voce Prophetæ excitati Pſal. 110. 3.

Cur genarũ & colli Spõſæ fiat expreſſa mentio.

Cæterùm eſt hoc quoque obſeruandum, quamuis, vt poſtea audiemus, in hac Sponſa nihil non ſingulari pulchritudine decorum à capite ad calcem appareat, nõ temerè tamen Sponſum ſpeciatim genas atque collum illius commendare. Sunt enim partes illæ in corpore humano maximè conſpicuæ, & adeò inſignes vt cæterarum partium deformitatẽ poſſint aliquatenus obtegere. Sic enim docemur, horum quidem cœleſtium donorum, de quibus diſſeruimus, ſedem eſſe in intimo corde ſitam teſte Apoſtolo ad Coloſ. 3. 16. & ipſo Sponſo Matth. 14. 27. qualis etiam hæc Sponſa deſcribitur, Pſalm. 45. 14: ſed, vt vultus eſt naturale cordis ſpeculum, ſic animam fidelem oportere ſimplicitatem, puritatem, quæcunque dona denique diuinitus recepit, teſtari externo geſtu, habitu, intuitu corporis, ſeſe qualis eſt ad imaginem Dei videlicet inſtauratam declarantem, vt nihil in homine Chriſtiano cõſpiciatur, quo pij quidem non ædificentur, impij verò redarguantur, ſicut contra in miſeris huic ſeculo addictis hominibus, à capite ad talos omnis ſeſe vanitas & turpitudo exerit.

Sponſa pretioſiorem or-

At enim, inquies, quænam iſta ſunt quæ præterea Sponſus Spõſæ ſuæ pollicetur prioribus

ribus donis additurum? Num enim aliquid habet seipso & iis quæ habet pretiosius? Nihil profectò. Vnus enim ipse est omnia: sed nos simul accipere nequimus omnia quæ nobis largiri decreuit. Quod si etiam illa cũcta simul & semel in nos effunderet, neque nossemus vnde illa nobis superuenirent, neque illa suo pretio æstimaremus. Sic nobis datum est illum nosse, sed ex parte duntaxat, tantisper dum hîc in terris agimus, 1.Cor.13.11. Datum est nobis vt credamus, Eph.2.8: sed adhuc cum diffidentia certat fides in nobis, Matth.9.24. Datum est vt velimus & efficere possimus: sed clamat Apostolus, Non quod volo bonũ facio, sed quod nolo malum hoc facio, Rom.7.19. Non est itaque nobis in iis quæ recipimus subsistendum, multò minus de beneficiis qualibuscunque receptis superbiendum, 1.Cor.4.7: sed potius iis quæ transacta sunt pene oblitis, perpetuò vlteriùs progrediendum, Phil.3.13. Immò indefesso cursu pergendum crescendo in Dei notitia, Ephes. 4.13. Col. 2.19, Huc tendunt exhortationes illæ toties in scripturis inculcatæ, vanæ certè & inutiles futurę, nisi nos hęc promissio fulciret, Dominum quantumuis nos antea beneficiis innumeris in nos collatis sibi deuinxerit, noua tamen præterea beneficia nobis præparasse quibus præcedentia cumulet, vt qui thesaurum possidet, qui exhauriri nunquam, immò ne imminui quidem possit. Et hæ quidem sunt promissiones cunctis fideli-

natum in dies expectat.

bus factæ. Verùm si hanc promissionẽ Sponsi, alia ornamenta pretiosiora Sponsæ pollicentis, ad Ecclesiam vniuersaliter consideratam, qualis tum erat sub Legis pædagogia, referamus: ita significabitur ille quem Patres non nisi procul adhuc positum, fidei & spei oculis viderunt, vmbris Legis obuolutum, Gal.3.24. Coloss.2.17. & Heb.11.13. & 39: quem vlnis præsentem complexus Simeon, propterea gentium lumẽ & gloriam Israelis appellat, Luc.3.32. Hæc est igitur in summa promissio fœderis illius noui & præstantioris patribus facta, & tandem ab ipso Sponso præsente præstita, Heb.1.2. & 8.6. Ex quibus perspicuum est meliorem esse Ecclesię Christianæ conditionem quàm veterum Patrum ante Domini aduentum in carnem, quamuis alioqui & ipsi, & nos itidem tempus expectamus plenę istius sanctæ in cœlis coniunctionis consummationi destinatũ, 1. Thess.4.17.

Cur Sponsus de se loquẽs, plurali numero vtatur.

Verùm quum vnicus sit Sponsus, cur numero multitudinis vtens dicat *Nos faciemus*? Istud quidem magnatum loquendi more dictum videri posset. Solent enim illi ferè per numerum pluralem de se quasi nunquam solis loqui, vel quòd singuli multis aliis præpõderent. Sed siquis propius consideret quod res est, comperiet hoc etiam loco nobis designari mysterium trium personarum in vnica Deitate, & actionum externarum distinctè in ipsis personis consideratarum, absque vlla essentiæ vel diuisione, vel multiplicatione

ne in opere nostræ salutis peragendo, & in donorum in Ecclesiam & eius membra collatione. Sicut ergò Pater nobis Filium suum dedit: ita Filius semetipsum pro nobis tradidit assumpta serui forma, itidémque Spiritum illum nobis donat, fidē in nobis creans, qua ipsum Filium apprehendamus. Sic Pater operarios mittit, Matt. 9. 18. & Filius quoque ait à se mitti, sicut Pater ipsum misit, Ioh. 20. 21. dans Doctores & Pastores Eph. 4. 11. Sed & iidem à Spiritu deliguntur & diriguntur, Act. 13. 2. & 20. 28. Quis autem illa dona nobis confert & auget? Patr qui nos in Filio elegit & vocauit, Eph 1. 4. Filius ex cuius plenitudine illa desumuntur, Ioh. 1. 16. itidémque Spiritus sanctus ex ipso Christo illa in nos deriuans, Ioh. 10. 14. introducens nos ad veritatis lucem, & dona vnicuique prout ipsi libuit distribuens, 1. Cor. 12. 11. Quod nos etiam docet nostri Baptismi formula qua in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti abluimur. Siquidem horum trium quilibet vnus idem ac solus ille Deus est, qui faxit pro misericordia singulari sua, vt hæc regni cœlorum mysteria ex ipsius verbo discere, & meditari possimus ad ipsius honorem, & gloriam & salutem nostram, sicut ab eo supplices his verbis petemus. Deus Omnipotens, &c.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA DECIMAQVARTA.

Auxlium noſtrum ſit à Domino, &c.

Quod ſequitur extat in Cap.1.verſ.12.13.14.

12 Interim dum Rex eſt in menſa ſua orbiculata, Nardus mea edit odorem ſuum.

13 Eſt mihi amicus meus faſciculus Myrrhæ, & moratur inter vbera mea.

14 Dilectus meus eſt mihi Botrus Copher, in vineis En-gedi.

Felicis ſtatus Eccleſiæ Sponſo ſuo reſtitutæ deſcriptio, ſumpta ſimilitudine à ſacrificiorum Leuiticorum epulis.

BLanditias Sponſi quibus Sponſam occurrentem excepit ſuperiore concione audiuimus. Illa verò ingenti præ gaudio exultans apud ſe, & valde cupiens ab omnibus intelligi quantum ſit hoc beneficium quo fuit affecta, nunc exponit quomodo ſit ad ſui Sponſi epulum deducta, & qualem ſeſe illi aſſidens præſtiterit, vt eius præſentia perfrueretur. Eſt autem hoc argumentum planè excellens, modo rectè intelligatur & vſurpetur. Certum enim eſt in omni rerum natura non poſſe quidquam inueniri cum eo gaudio conferendum quod anima omnis fidelis, ac proinde vniuerſa Eccleſia, percipit, quū illam Dominus illo Spiritu ſuo intus ſolatur:

latur: quod nobis in Psalmis plurimis describitur, & presertim diuinissimè in illo beatissimæ Virginis Mariæ Cantico. Hoc etiam illud est quod nobis similitudine conuiuij passim in Scripturis sanctis designatur: non modo quoniam mutuo conuictu amicitia & familiaritas declaratur, accedente quoque animorum hilaritate: sed speciali in primis respectu conuiuiorum quæ erant sacrificiorum appendices, Domino videlicet tãquam præsente, & superiore loco, nimirum in altari suo discumbente, in quo sua illi portio adolebatur: reliquum verò partim inter Sacerdotes, partim inter eos qui victimas offerebant, ex legalium rituum formula, distribuebatur: cuius ritus elegans extat exemplũ 1.Sam.4. Hæc autem non erant certè pascendi ventris causa instituta, sed vt mentis oculis subiicerent cibum illum cœlestem, & verum animarum alimẽtum, vt ipsemet Christus copiosissimè totam illam analogiam explicat, Ioh. 6. & sæpe Prophetæ de spiritualibus beneficiis agentes, meminerunt vini, lactis, mellis, aquæ viuæ, quod mysterium exposuit ipse Christus cũ illa Samaritana colloquens, Ioh.4. Sed præterea proculdubio Solomon respexit ad instaurationem, & decus illud cultus diuini, quum, (post tam varias mutationes, atque adeò interruptiones, quæ mortuo Iosue, & demum regnante Saule, necnon Dauide bellis implicito, inciderant) tabernaculi loco, erectum esset augu-

ſtiſſimum illud templum, diſpoſitáque in eo miniſteria Eccleſiaſtica admirabili cum magnificentia: ídque ex præſcripto Domini, ac iuxta Prophetarum tùm viuentium monita, 2.paralip.29.25.

Orbiculata menſa deſignauit futurũ vt adueniente in terras Sponſo ex toto terrarum orbe colligeret ipſi aſſeſſurã Eccleſiã in Euangelicæ prædicationis epulo.

Eſt autem obſeruandum vocabulum illud quod *mẽſam orbiculatam* interpretati ſumus, cuiuſmodi apud veteres non infrequens fuit accubitus. Aliquid enim magis amicum & familiare declarat hic diſcumbendi ritus, quàm ſi Rex ſeorſim ſolus cibum caperet, aut lineatim & in longum ac rectum alios haberet aſſidentes: Nam in orbiculata menſa, ſummus locus ex dignitate conſidentis, non ex ipſo ſitu æſtimatur, propter formæ rotunditatem. Deinde probabile eſt Solomonem Spiritu Prophetico, vt & vniuerſum legalem cultum, ad epulum illud reſpexiſſe, in quo Chriſtus erat cũctos populos ex orbe terrarum euocaturus, id eſt Eccleſiæ cibũ illum vitæ exhibiturus, Pſal.2.8. Matth 8.11. Ad hoc igitur epulum Spõſa gloriatur ſe introductam, proximè ſuum Sponſum accubuiſſe, vt etiam Pſal.45.10. expreſſum eſt. Quid autem fuit apparatus ille tẽpli vniuerſus quantuncunque magnificus, præ illa aſpectabili huius Sponſi præſentia? & omnium Leuitici cultus rituum munera, præ Euãgelij clara exhibitione, quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, ſiue Iudæo ſiue Græco? Rom. 1.16. Propriè igitur Chriſtiana Eccleſia poſt Ieſu Chriſti præſentis oſculum, illa eſt Sponſa

ſa quæ ſeſe gloriari poteſt ad iſtud Regium epulum introductam, vt ipſemet Spõſus teſtatur, Matth.22.2. & Luc.14.16: qui vterque locus eſt huius allegoriæ vera explicatio. Sed hoc tamen ſic accipiendum eſt, vt meminerimus hoc etiam conuiuium eſſe duntaxat præludium quoddã illius æterni epuli quod expectamus, nobis in cœlis iam olim paratum, Matth.7.22.& 25.1. cui nunc quidem ſola ſpe interſumus, Epheſ.2.6.

Hoc igitur conuiuium (inquies) de quo hic loquitur Sponſa, vbinã terrarũ agitatur? Reſpõdens Chriſtus ipſe, vbicunque, (inquit Matt.18.20.) duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio illorum ſum. Itaque ne longius locum illum quæramus, hîc, hîc, inquam, & hoc ipſo in loco & hoc ipſo tempore agitatur hoc epulum: hîc ſternitur ſacra hæc menſa: hîc, adſtantibus Angelis amantiſſimè Sponſus ſuam Sponſam excipit: vt & omnibus iis in locis, vbi purè veritas ipſius annunciatur, & eius nomen ritè inuocatur. *Quo in loco terrarum celebretur hoc epulum.*

Sed quæ nobis hîc fercula apponuntur? Certè ipſemet ille Sponſus inprimis, vtpote verus panis viuificus qui è cœlo deſcendit, & vera illa caro, ac verus ille ſanguis, vnde nobis haurienda eſt vita æterna, Iohan.6.50. Cibus non corporis dentibus, ſed ore fidei ſumendus: Cibus non in ventriculum traiiciendus & ibi conſumendus, ſed mente fi- *Quæ fercula à quibus, & quomodo in hoc epulo apponuntur.*

deli recipiendus, vt nos incorruptos reddat: Cibus semel tantùm in æternum apparatus quum in cruce mactaretur, & nobis nunc vbi, & quoties Ecclesiæ cœtus cogitur, ad vescendum præbitus, non tamen manibus, neque ministerio hominum, nisi quatenus illum nobis præbent, vt diuinorum mysteriorum ordinati sunt dispensatores, & velut architriclini in his sacris & spiritualibus epulis constituti: ídque non vt in patinis aureis vel argenteis, vel alterius vllius materiæ situs, sed in Spiritualibus vasis in hunc vsum menti nostræ propositis. Sunt autem hæc vasa imprimis, diuini verbi prædicatio, quod cibus vitæ spiritualis dicitur, non quòd propriè loquendo, verbum externum & aures feriens, sit ille ipse cibus, sed quoniam eo alimentum istud menti nostræ repræsentatum veluti continetur. Deinde vtrunque ex duobus Ecclesiæ Christianæ sacramentis instar catini esse asserimus, quo sacra Spiritualis esca nobis apponitur. Baptismus enim propterea lauacrum regenerationis appellatur. Pari prorsus ratione pani Cœnæ tribuitur corporis pro nobis traditi appellatio, & vinum illud dicitur esse sanguis ille Christi pro nobis effusus: sacramentali videlicet minimè vana significatione.

Præstantia epuli Euangelici supra Leuiticum.

Vt autem huius Euangelici epuli supra Leuitica sacrificia dignitatem & præstantiam noscamus, (quæ quidem Solomon hîc designauit, sed figuram cum veritate coniungẽs) scien-

ſciendum eſt Patres quidem vna eadémque promiſſione ac fide qua nos fuiſſe donatos, ac proinde eãdem atque nos eſcam ediſſe, & eundẽ atque nos potum Spiritualem bibiſſe, nempe Ieſum ipſum Chriſtum: extra quem nulla vnquam promiſſa neque data fuit vita æterna, 1.Cor.10.3: ſed quod ad ipſum conuiuandi modum attinet, ſi diligentiùs rem totam expendamus, hoc dicere fas erit, Sponſam in illis Leuiticis ſacrificiis duntaxat aſſediſſe ſuo Sponſo, fideli duntaxat illius venturi expectatione, qui nihilominus fuit ipſius fidei præſens. At in Euangelico conuiuio, (in quo etiam non niſi eiuſdem fidei oculis Sponſus cernitur,) mutuò ſeſe propiùs, & arctiùs Sponſus & Sponſa ſpirituali nexu copulant: efficaciſſima nempe illa mutua, per inenarrabilẽ ſancti Spiritus operationẽ, inſinuatione Spirituali, 1.Cor.6.17: qua fit hæc Sponſa os ex oſſibus & caro ex carne eius, quod myſteriũ propterea magnum appellat Apoſtolus, Epheſ.5.30: cuius virtus admirabilis in cunctis eo cibo paſtis ſeſe demõſtrat. Et vt iſtud duorũ fœderum, quamuis eodem ſpectãtium, diſcrimen certius etiã appareat, dico propterea ſub lege conuiuas fuiſſe quidem oblatæ victimæ participes, ſed ita vt de altaris ipſius & Sacerdotum portione nihil deguſtarent, & ſanguinis vſus penitus eſſet illis interdictus: teſtante Spiritu ſancto perfectius aliquid eſſe ſub noui fœderis exhibitione expectãdum, quũ in Euangelicis epulis

ipſummet Chriſtum fide ſpiritualiter manducemus & bibamus: & ſigna ſacramentalia ſine exceptione vlla partium, ſumimus.

Allegoria Nardi Sponſæ vnde ſumpta.

Attendamus autem quod demum addit Sponſa: nempe quum Sponſo aſſideret, Nardum odorem ſuum edidiſſe. Nardus igitur frutex ob vim illam odoriferam apud Orientis populos ſummo fuit in vnguentis, in pretio, & magni inter conuiuantes vſus: quod etiam ex hiſtoria Euāgelica liquet, Luc. 7. 37. & Ioh. 12. 3 in eo cōuiuio in quo Eccleſia verè ac viſibiliter cum ſuo Sponſo perſonis Apoſtolorum & Mariæ illius repræſentata, cibum ſumpſit, & ipſum Sponſum odore ſuo perfudit, vt eò quoque ſpecialiter videri poſſit quodammodo fortaſſe Solomon Prophetico Spiritu reſpexiſſe.

Non ſatis eſt aſſidere huic menſæ, ſed requiritur etiam Sponſæ ſuaueolentia.

Sed quum hæc accommodatio ſubtilis ſit potiùs quàm ſolida, quiddam hîc aliud nobis ſpectandum eſt, vnde maiorem fructum percipiamus. Hinc igitur diſcamus nequaquam nobis ſufficere ipſam ad has epulas inuitationem: ſed eò introeundum, ac etiam accumbēdum eſſe: alioqui nobis ad damnationem ceſſura inuitatione, quemadmodum (Eheu) ſi vnquam aliàs, nimis eſt iſtud hodie frequens, pleriſque mundi ſolicitudine ſic occupatis, & omnis generis vanitate ſic faſcinatis, vt pauciſſimi de iſto tanti pretij conuiuio ſeriò & aſſiduè ſicut factum oportuit, cogitent. Inde verò quid conſequetur? nempe vt inde quoque, ſicuti merentur, repulſi, fleant

&

& ſtrideant dentibus in æternum, Matth.22.
7.& 8.

Sed & poſtquam illuc ventum & accubitum eſt, oportet vt præterea bonos ſuos odores Nardus illa noſtra eiaculetur. Immò, inquies, oportet potiùs vt accumbentes appoſitis cibis veſcamur: At in hoc conuiuio nulla fit neque comedendi, neque bibendi mentio. Obſeruemus igitur hoc conuiuium non eſſe inſtructum vêtris & corporeorum illorum ciborum, ſed ſpiritualis vitæ cauſa: Itaque fit hîc mentiò duntaxat Nardi, Myrrhæ & Botri Copher, ea videlicet de cauſa, quòd, inter ea quę ſenſibus percipiuntur, nihil eſt odoribus ad res ſpirituales deſignandas accommodatius, vtpote qui ad cerebrum ſic deferantur, & eo percipiantur modo & ratione præ cæteris (excepto auditu, ex quo etiam fides eſt) ſenſibus, tam ſubtili ac planè ſpirituali, vt omnem humanum captum ea res ſuperet: Cæterorum enim trium ſenſuum obiecta, nempe quæ vidêtur, guſtantur, tanguntur, ſunt craſſa & materiata, quę verò audimus & odoramur, ſubtiliſſima & tenuiſſima ſint oportet. Neque hæc conſideratio videri debet longius & extra ſacras literas, petita, ſicuti mox planum faciam. Verùm ex iis quæ dicta ſunt collegerit fortaſſe quiſpiam Sponſum à Sponſa potiùs, quàm à Sponſo Sponſam hunc odorem videri accepiſſe, vtpote quæ odoratam ſuam Nardum hîc commemoret. Atqui aliter prorſus rē ſe habere

Cur in hoc epulo non fiat eſus aut potus mentio.

liquidò ex eo patet, quòd Sponsa initio testata est, cupere se à suo Sponso osculum accipere, nō autem sese iactare quòd osculum ei præbuerit: & quòd postulauit, vt ab illo traheretur, vt vnâ cum suis comitibus illum posset assequi, & ipsius odoribus perfundi, apertè demonstrat, nihil hîc ab ea offerri suo Sponso, quod non prius ipsi acceptum ferat, vt id ipsum ad illum referret. Fateor interea in veterum sacrificiis adhiberi consueuisse carnem, panem, vinum, quibus verè & reipsa reficerentur: & nos hodie quoque in Baptismo aqua perlui, ac in Cœna Domini panem & vinum corporis ore percipi, res ad sacrum vsum institutas: Verùm semper illud memoria tenendum est, iram Dei minimè per carnes aut sanguinem hircorum vel Taurorum, quæ in priscis sacrificiis adolebantur, placatam fuisse, Heb.10.4: sed iam tum Iesum Christum, (tempore suo seipsum Deo Patri in suauissimi odoris sacrificium oblaturum, & per mactatas illas pecudes, sacras videlicet figuras, designatum) fuisse semper vnicam pro nostris omnibus peccatis expiationem: & quod fideles sacrificantes ad salutem recipiebant, nequaquam illud fuisse alimentum illud corporis, ore & dentibus sumptum, sed veram remissionem peccatorum per eum sanguinem quo vno delentur peccata, Rom. 3. 24. & 1.Petr.1.19. Neque sanè Deus propriè hostiam quæ sacrifi-

crificabatur, & alias corporeas oblationes respiciebat, sed sacrificantis piam rectámque mentem, vt innuitur Psalm. 50. 8. & 14. & 51. & 19. Hæc illa igitur semper fuit Nardus, quam hoc loco commemorat Sponsa. Pari ratione, in sacramentis Ecclesiæ Christianæ, aqua illa visibilis ac corporea nequaquam sordes nostras internas eluit: sed sensibus externis testatur, id quod, si vera fide percipiatur, verè nos lauat & sanctificat, aspersionem videlicet & energiam inuisibilem atque spiritualem sanguinis Domini nostri Iesu Christi, 1. Pet. 1. 2. & 3. 21. Sic quoque in sacra Domini Cœna nequaquam nos ad vitam æternam nutriunt quæ videmus, tangimus, comedimus, bibimus: sed ea demum quæ panis ille & vinum illud, menti fideíque nostræ per sacramentalem significationem repræsentant, nempe corpus illud traditum, & sanguis ille effusus pro nobis: Ipsemet denique Iesus Christus totus, Deus & Homo, à quo, spiritualiter, per fidem, virtute sancti Spiritus, animis nostris applicato, siue nostro facto, remissionem peccatorum, augmentum sanctificationis, succum denique vitæ æternæ, ad animi corporísque nostri salutem æternam, haurimus. Itaque quoties vel in veteri Testamento propiciatio Dei sacrificiis adscribitur: vel in Apostolicis scriptis, voces ablutionis peccatorũ, indutionis Iesu Christi, communionis corporis & sanguinis Christi,

ſignis viſibilibus & corporeis accommodā-tur, iſtud eo ſenſu nequaquam accipiendum eſt, ac ſi ſignis tribuendum vllo modo ſit quod eſt vni rei ſignificatæ proprium. Nullus enim eſt qui neſciat aquam ad animam vſque neutiquam pertingere, vt ipſius ſordes mundare poſſit: & animam nec edere nec bibere. Sed iſtiuſmodi loquendi formulas vſurpaſſe Spiritum Dei cogitandum eſt, vt quantum ſit diſcrimen inter illarum rerum communem vſum atque ad mortalem hanc vitam pertinentem & earundem ſacrum vſum, in quo non iam vt res communi vſui deſtinatæ, ſed vt Sacramenta ſeu viſibilia ſigna proponuntur, eorum quæ Deus inuiſibiliter ſub illis intelligenda nobis offert, & reipſa perficit in animabus noſtris, niſi per nos ſtet, id eſt niſi per incredulitatem dona & beneficia ipſius repudiemus.

Quid per huius Nardi fragrantiam intelligatur.

Quænam igitur tandem eſt iſta Nardus, cuius fragrantia Sponſum adeò delectari ſignificat Sponſa? In primis videlicet cor contritum & ſubmiſſum, tantoperè commendatum, Pſalm. 51. 19. Deinde Fides & illa ſancta confidentia, gratiam & miſericordiam Dei amplectens in vnico Seruatore Ieſu Chriſto, ſine qua fieri non poteſt vt Deo placeamus, Heb. 11. 6. Præterea Charitas minimè ficta, ſed ſanctis proximo præſtitis officiis teſtata, 2. Cor. 6. 6. Item ſacrificium gratiarum actionis Coloſ. 3. 16. Gen. 8. 21. Deniq; vita pia & Chriſtiano homine digna: in cuius curriculo placere

cere Deo, pro Spiritus nobis donati modulo, ſtudemus: nos ipſos totos Deo cõſecrantes, Rom.12.1. vt ſinguli muneribus vocationis noſtræ incumbentes, bona fragrãtia Domino ſimus, 2.Cor.2.15. Hæc ſunt igitur odorata illa quæ nos ad conuiuium iſtud accedentes importare decet, per veſtem illã nuptialem deſignata, cuius fit mentio Matth. 22.11: quam induere qui neglexerint, manibus pedibúſque colligatis foras in tenebras exteriores expellentur, vbi gemitus erit ſtridórque dentium æternus.

Applicatio huius allegoriæ ad noſtra hæc tempora.

Dum autem iſta mecum reputo, horret animus mihi cogitanti quid tandem futurum ſit tam multis qui ad hoc ſacrum epulum, ſonitu nimirum campanæ acciti, properant quidẽ, ſed neque in ingreſſu, neque in egreſſu quidquam boni huius odoris ſpargunt: ſed domum redeũt magis etiam fœdi & impuri quàm hûc acceſſerint: Quum enim oportuerit omnes ita eſſe comparatos, vt extraneos etiam ipſos, effecta Spiritus Dei in illis ſpectantes, ad verum Deum glorificandum pelliciantur, Gal.5.11. Matth.5.16. plerique contra ſeſe coram Deo & hominibus eò vſque conſpurcant, vt anſam præbeant prætioſi illius blaſphemandi nominis, quod eſt ſuper nos inuocatum, Rom.2.24. Ecquis verò tam eſt placido, moderatóque ingenio, vt ſi quiſpiam ad cœnam ab ipſo ex mera benignitate vocatus, eò ingrederetur, fœdiſſimũ quidpiam diſco aut manibus geſtans & ipſi

propinans, tam impurum hominem ferat? Ecquid verò aliud in ipsius Dei conspectu faciút, qui pro eo quòd oportuit, corde contrito, & verè submisso in conspectu Dei prodeuntes, cum Dauide clamare: Cor mundum crea in me Deus, Psal. 50. 12: & cum illo Publicano dicere, Propitius esto Domine mihi misero peccatori, Luc. 18. 10, animo adsunt adultero, scortatore, insolente, mundanis rebus haud aliter quàm idolis obnoxio, veneficis aspectibus, & omnis generis pessimis exemplis proximos fascinantes, odiis ardentes, contentiosi, rixosi, factiosi, inuidi, ebriosi, helluones, & infinitis adhuc eiusmodi sordibus fœdi? cuiusmodi nimiùm adhuc multos inter nos (Eheu) cernuntur, ad sacratissimum hoc epulum inuitati. Itaque, Fratres, in nomine Domini vos etiam atque etiam clamans obsecro, exhortor, oro vt Domino reconciliemini, 2. Corinth. 5. 21. Resipiscite, inquam, Mortificate membra vestra terrena, Coloss. 3. 6: Ne Deum falli posse existimate, Galat. 6. 7. Edite fructus dignos pœnitentia. Securis enim iam ad radicem posita est: Omnis igitur arbor arida putrisue excindetur, ac in ignem mittetur, Matth. 3. 10.

Tentationes Satanæ ad sinistram cauendæ, in hoc argumento.

Sed hic solicitè cauendum est nobis à Satana tum ad dextram tum ad sinistram nos agrediente. Simus igitur vicissim armis illis iustitiæ vndique tecti, 2. Corinth. 6. 7. Nam vtrinque aditum inuenit, cui nisi occurramus,

mus, fieri non poteſt quin vel inſidiis illius irretiamur, vel eius aperta vi opprimamur. Ad ſiniſtram itaque vrgemur, innatis nobis cupiditatibus, quibus niſi reſtiterimus, non minus certè rapidè flammam tormentarius puluis arripit, quàm ſtatim peſſum nobis abierint omnia. Nam vt aqua ſuapte natura deorſum labitur, ita natura noſtra deprauata ad malum ſponte ſua præceps fertur, adeò vt ipſi quoque per gratiam efficaciſſimè inſtaurati, difficulter admodum vel leuiſſimas tentationes ſuperent. Neque ad id probandum opus eſt longiſſimè petitis exemplis, quum expeditiſſimi quique & maximè alacres certatores quotidie experiantur, quanta difficultate benè cogitare, & boni quidpiam exequi reipſa poſſint. Acre eſt igitur iſtud cum Satana certamen, nobis perſuadere conante, non eſſe neceſſariam hanc Nardum, quaſi Dei gratiam velut in pera reconditam geſtemus, & quaſi ſalus æterna ſit contemptoribus quoque & ſubſannatoribus illis parata: quorum peculiaribus in nonnullos beneficiis & exemplis facilè faciet, niſi obſtiterimus, vt abutamur, ac tandem cum illis blaſphemis dicamus in cordibus noſtris, Peccemus vt abundet Gratia, Rom. 6. 1.

Altera tentatio Satanæ ad dextram, in qua:

Altera porro tẽtatio nõ minus facilis eſt illi noſtro aduerſario, quoties noſtra illa nobis innata falſa de nobis ipſis opinione, armat⁹ nos

succubuit qui meritorium constituunt hunc Nardi odorem.

lacessit: & quidem in primis aduersus eos, qui eximiis donis à domino sunt exornati, siue in ipsa Ecclesia siue extra Ecclesiam versentur. Hinç sæpe videmus accidere, (quod etiam plurimis tum sacris tum prophanis historiis confirmatur) vt præclara quæque ingenia vel euanescant, vel euadant maximarum calamitatum instrumenta. Neque hac nostra ætate desunt tristissima huiusmodi exempla. Vndénam enim prodiit impium, sceleratum, atque adeò diabolicum illud meritorum & expiatoriarū satisfactionum dogma, nisi ex illa falsissima, sed nobis ingenita, de nobis opinione, quòd quales nascimur alicuius pretij sumus? Hinc prodierunt Pelagiani, renouata Pharisæorum doctrina, quos non immeritò Paulus crucis Christi hostes appellat. Nihil enim gratiæ Dei magis repugnās cogitari potest, quā si quis aliquid à se proficisci posse existimet quod sua dignitate quidpiā apud Deū mereatur. Res certè absurdissima. Etenim vt omittā quod dissimulare nequaquā permittit cunctos arguens propria consciētia, nempe sanctissima queque hominum opera, id est vitij minus habentia, turpi ignauia, ignorantia, aliisque defectibus vbique manca & vitiosa manere: Cuius rei grauissimum testem habemus ipsum Paulum, qui altissima voce coqueritur, Se bonum quod appetit exequi non posse, malum verò quod improbat inuitum etiam facere: vt inquam hæc omittam, quis furor est, etiamsi angelos sanctitate æ-

quaremus

quaremus, existimare quidquam ex nobis manare posse, quod sua dignitate ita Deo sit acceptum, vt eius dilectionem ac beneficentiam promereamur? Optimo igitur iure dãnata est iampridem Pelagianorum hæresis, qui originale quod vocant peccatum negarunt. Sed non propterea destitit Satan ab hoc incepto, neque sese victum fassus est, sed paruo circuitu diuertẽs, aliud quidpiam speciosius obtrusit. Docuit enim homines fateri obfuscatam originalis peccati labe nasci humanæ intelligentiæ lucem, & pronam esse voluntatem humanam ad malum ac mendacium. Nos igitur imprimis gratia Dei egere quæ infirmitatem nostram fulciat: defectus nostros corrigat: ac proinde quod deest bonis nostris operibus suppleat, ne summo iure in illa inquiratur: Deo propterea acceptante & in soluti rationes referente quod illi de nostro soluimus, prout ipsius gratia nos pręuenit & comitatur. Bellum sanè turpissimi commenti velamen. Etenim si hæc ita sunt, quæ tandem fuerunt in nobis seruandis Iesu Christi partes? Is videlicet non qui nos seruarit, sed per quem nobis contingat vt ipsi simus nostri, si non in solidum, at ex parte saltem Seruatores: Itaque sanguis ipsius hactenus pro nobis fuerit effusus, quòd nostris operibus inspersus & immixtus, vim illis æternæ nobis promerendæ salutis conciliet: & ad obtinendam veniam & vitam æternam neque sanguis Christi scilicet, absque operi-

bus noſtris, neque opera noſtra abſque illo ſanguine ſuffecerint. Hoc autem commento miſeris mortalibus perſuaſo, tum demum Satan apertè prodire, & quidquid ipſi libuit palam cæpit proferre. Mox enim eò ventum eſt vt ſibi quiſque ſuo arbitrio meritoria & ſatisfactoria opera confinxerit, & quidem tanta copia meritorum iis attributa, quos viſum eſt pro ſanctis primùm in paradiſum intrudere, ac deinceps in letaniarum albo velut indigitare, vt etiam hodie plena ſint huiuſmodi meritorum horrea, quæ emptoribus, condicto pretio, boni iſti mercatores animarum diuendant. Denique ne quid præter laruam ac inane ſpectrum meriti & ſatisfactionis Chriſto relinquerent, extructum eſt purgatorium, vnde meritis viuentium extrahantur mortui. Ecquid verò impurius, ſceleratius, deteſtabilius hoc audaciſſimo commento excogitari potuit? Et tamen hic eſt ille ſuffitus, hic aromaticus nidor inaniſſimi fumi quo etiamnum tot miſerrimæ gentes dementantur. At nos iſtis opponamus puram hanc ſyncerâque Dei veritatē, Tibi, tibi ſoli, Domine, non nobis honor & gloria Pſal. 115. 1. &, Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine. Nullus enim viuens coram te iuſtus eſt Pſal. 143. 2. &, Si Abrahamus ex operibus iuſtificatus fuit habet quod glorietur, at non apud Deum Rom. 42. Sit igitur ſola crux Domini noſtri Ieſu Chriſti ſatisfactio pro peccatis noſtris: ſint illius perpeſſiones, noſtra merita:

merita: ſit vnica mors illius, victoria noſtra.

Nihilominus autem interea Nardus noſtra (id eſt illa Spiritus Dei virtus gratis nobis donata, & gratis in nobis efficax,) vere gratiſſimum odorem emittat. Soli enim illi cenſentur filij Dei qui ex Spiritu Dei regeniti ſunt Rom. 8. 14: & vt ab illo iuſtificati, ſic ab eodem ex peccati ſeruitute in libertatem aſſerti ſumus Ioh. 8. 36. Sed magnum eſt inter has duas quæſtiones diſcrimen: per quid filij Dei fiamus, & Quibus notis, Filij Dei nécne ſimus appareat. Prior enim illa quæſtio de cauſa, altera de effectis quærit. Sola igitur Dei gratia nos elegit: Sola nos ad ſalutem vocat: ſola eſt ſalutis noſtræ cauſa, initiatis ad finem vſque progrediens. Quod enim fides, in nobis ex pura Dei gratia creata, Ieſum Chriſtum & vitam æternam in ipſo apprehendit, inde oritur, quòd ſic Deo placuerit cauſas ordinare quibus æternum illud ſuum de nobis eligendis, vocandis, iuſtificandis, ac tandem glorificãdis decretum exequitur. Fideles autem ac proinde ad gloriam æternam electi inde diſcernuntur, quòd gratia Dei immutati ab iniquitate recedunt, iuſtitiæ ſectandæ cauſa, prout Deo placet eos maturiùs aut ſeriùs vocare, & ſuum illis Spiritum impertiri. Fideles igitur ſunt ij qui ex bonis operibus dignoſcuntur. Et hæc bona opera fatendum quidem eſt à Deo, tum in hac, tum in æterna vita coronari: ſed ex mera gratia & liberalitate: non autem

Operibus tamẽ bonis ſine huius Nardi odore nunquam caret Sponſa: & quæ ſit hæc Nardus vera.

quòd vlla ſit eorum vel tantilla dignitas, cui merces illa debeatur: neque quòd ſatisfacto-ctoria apud Dei tribunal cenſeantur: (ſola enim Ieſu Chriſti oblatione ſumus recõciliati) neque quòd reſpondeant iuſtitiæ quam lex requirit, & cui merces æternæ vitæ promittitur ex hac fœderis legalis formula, Qui hęc fecerit viuet in eis Gal. 3. 12. cui ex aduerſo opponitur hæc cõminatio, maledictus quiſquis non manſerit in iis omnibus quę ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea, Gal. 3. 10. Itaque in ſolo Chriſto qui omnem iuſtitiam adimpleuit ratæ ſunt omnes legales promiſſiones: ac proinde non noſtræ, ſed vni ipſius obedientiæ debetur, quæcunque nobis perſoluitur merces. Præterea quamuis bene agendo non ſimus lapidum vel truncorum inſtar: tamen, quum benè velle & bene agere non ſint in nobis innata, ſed ex mera Dei gratia in nobis creentur: certè bona opera ſunt ipſius potiùs in nobis agentis quàm noſtra: ideóque, ſi propriè loqui volumus, ſua potiùs in nobis inutilibus ſeruis opera quàm vt noſtra, & ex nobis producta coronat. Denique, vt paucis hæc omnia complectar, quod Deus opera, etiam quàm optima quàm ſanctiſſimorum acceptat & coronat: & Nardus noſtra bene ipſi olet, hoc profectò nequaquã oritur ab vlla ipſis in ſeſe inſita qualitate, ſed ex eo quòd pro ſua miſericordia in illa ſeuerè non inquirit cuiuſmodi ſunt in ſeſe, & quatenus à nobis proficiſcuntur: ſed ea conſide-

rat

rat in illo in quo ſicuti nos eligere & reſpicere dignatus eſt, ſic etiam nos ſibi gratos habet, & quod ipſi per eius gratiam offerimus. Etenim ſi ex legis rigore vellet Dominus eorum etiam pietatem aut quantamuis feruentem Charitatem ſcrutari qui ſanctimonia cæteris præſtant, tot maculis turpe, totque vitiis corruptum qualecunque illorum bonum ſeſe proderet, vt non modo futurum ſit indignum quo Deus ad nos gloria ſua ornandos impellatur, verùm etiam è contrario æternis ſuppliciis dignum: quoniam optima etiam opera ſi in ſeſe hac ratione æſtimentur, planè ſunt totidem diuinorum donorum pollutiones.

Sponſi myrrha; & Copher cõciliãt omnem huic Nardo bonum odorẽ.

Itaque noſtra hæc Sponſa nequaquam ſubſtitit in prædicanda ſua fragrantia, ſed ad Sponſum recurrit cum duabus odoratiſſimis arbuſtis collatum, Myrrhæ videlicet, & eo quod Copher appellat: qui frutex florem vel fructum edit vuæ non diſſimilem, in vinetis Engaddi frequens, regione ob fertilitatem in ſacris literis celebratiſſima. Primùm igitur ex iſtis Sponſæ verbis obſeruemus aliud quidẽ eſſe Sponſam quàm ipſius Sponſæ Nardum: hanc autem Myrrham & iſtud Copher eſſe ipſummet Sponſum. Nam quidquid donorũ habemus, & illorum fructus, nempe bona opera, qualitates certè ſunt, nequaquam nobis ingenitæ ſiue congenitæ, ſed aduentitiæ, nimirum ex mera liberalitate ac beneficentia eius qui efficit vt velimus & faciamus,

Ideò, si maximè propriè loqui volumus, non tam ex nobis prodit illa suaueolentia, quàm ex eo quòd Dei dona quibus decorati sumus, hoc ipsis præstent vt benè oleamus. Sponsus autem iste omnia in se continet, quatenus Deus est: & omnia à seipso recipit, quatenus est homo. Breuiter, idem ipse totus perfectus, totam perfectionem, eámque immensam apud se habet, quam distribuit iis quibus illi visum est, & qua mensura ipsi libet: sicuti flores odorem suum in sese neutiquam retinent, sed illum spargunt, & appropinquantibus præbent. Propterea dicitur hic Sponsus alibi, non solum habere vitam, sed etiam esse vita ipsa atque resurrectio, vitam, inquam, in seipso habere, imò Spiritus, (inquit ipse Ioh. 16 14.) de meo accipiet: & alibi, Potestatem (inquit) habeo animam meam deponendi & eam rursus assumendi Ioh. 10. 18.

Vnde oriatur & ad quem spectet hæc benedictio.

Et hæc est ratio cur hoc loco Sponsus non conferatur duntaxat cum vna Myrrhæ Lachryma, sed cum Myrrhæ massa, seu fasciculo: neque cum vnica bacca vel grano Copher, sed cum racemo: quoniam videlicet de Spiritu quidem suo his vel illis admetitur quantum ipsi libuit, sed illum in sese immensum possidet. At nequaquam tamen hic odor in mundum effunditur, cui non sapit hic Sponsus, vt nec ipsi mundus. Cedò igitur quibus cedit odor iste viuificus? iis nimirum qui in sinu suo fasciculum hunc Myrræ, & hunc racemum Copher premunt, id est iis qui,

beatæ

beatæ Mariæ Virginis exemplum ſecuti, verba vitæ æternæ cuſtodiunt, Ioh. 6. 68. in corde ſuo, Luc. 11. 28. & perpetuò, dies noctéſque legem Domini meditantur Pſal. 1. 2: in quorum cordibus hoc verbum copioſè inhabitat Coloſ. 3. 16: ac conſequenter apud quos Ieſus Chriſtus cum patre reſidet, Ioh. 14. 23. necnon Spiritus Sanctus. Gal. 4. 16 vt ipſamet corpora noſtra ipſius templum fiant. 1. Cor. 6. 19. Diſcamus igitur, quæſo, ab illa ficta & fucata mundi ſpecie, veram pulchritudinem ſynceramque bonitatem diſcernere: & Deum precemur vt nos magis ac magis immutet, procul à mentibus noſtris fœtore omni ignorantiæ ac falſitatis, & affectuum noſtrorum ſordibus abiectis, quarum loco, nobis ſuauiſſimis integritatis & obedientiæ ſuæ odoribus intus & foris delibutis, emendare nos, & ad omnem munditiem & ſanctitatem formare dignetur: vt illi pro miſericordia ſingulari ſua grati & accepti ſimus. Qua in re petenda, quum valde ſegnes adhuc fuerimus, immò verò ipſius bonitate ac patientia indigniſſimè abuſi ſimus, ſupereſt vt eius miſericordiam hiſce verbis imploremus. Omnipotens Deus &c.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA DECIMAQVINTA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.1.verſ.15.16.17.

15 Ecce tu pulchra es amica mea,ecce tu pulchra es: Oculi tibi ſunt columbini.

16 Ecce tu pulcher es dilecte mi, etiam venuſtus:ſed & lectus noſter viret.

17 Sunt noſtrarum ædium trabes cedrinæ , & cupreſſina podia noſtra.

In hac mutua Sponſi & Sponſæ congratulatione, nobis conſideranda proponitur lætitia inenarabilis, qua fideles omnes conſcientiæ afficiuntur, Chriſtum illos per ſuum Spiritũ alloquẽtẽ audientes.

HVcuſque Sponſum & Sponſam velut ad Sponſalium conuiuium deduximus. Nunc verò eorum confabulationes audire expedit, inenarrabili ſanè conſolatione refertas.Quis enim animo complecti poſſit,aut eam dilectionem quam intrinſecus ſuæ Sponſę omníque animæ fideli teſtatur Sponſus, aut puriſſimam illam voluptatem quam inde Sponſa tum propter bonorum quæ ſic nanciſcitur præſtantiam,tum ob excellentiam eius à quo tanto honore afficitur? Quum autem ſummi iſtius boni vera æſtimatio tanti ſit pretij vt ignauiſſimos etiam cogat ad illius potiundi deſiderium , ſceleratos verò, poſtquam

poſtquam illud repudiarunt, ad deplorandam ſuam ſortem adigat: tanto maiore ſtudio debemus illorum donorum præſtantiam attendere, vt eorum participes fiamus.

Formoſiſſimam eſſe Ecclesiam, & quæ ſit eius vera pulchritudo.

Poſtquam igitur Sponſus Sponſam ſuam blanda *Amicæ* appellatione demulſit, ſemel atque iterum illius formam commendat. Primum autem hic conſiderare nos decet quis & quantus ſit qui hic loquitur: ille nimirum æternus Dei Filius, qui falſæ pulchritudinis ſpecie falli non poteſt, vana huius mundi apparentia deceptus 1. Cor. 7. 31: neque diſſimulanter quicquam profert Matth. 22 16. Quare nullo pacto dubitare fas eſt quin formoſiſſima ſit Eccleſia, quandoquidem iſtud ſemel atque iterum ab ipſo aſſeritur, ac proinde quin ſit Deo longè gratiſſima. Idque non tãtum ex eo colligimus quòd conſentaneum videtur vt is qui veræ pulchritudinis ac bonitatis fons eſt, omni eo delectetur in quo appareant aliquæ impreſſæ pulchritudinis ac bonitatis vllius notæ, vt ex hiſtoria creationis mundi patet, & Prou. 8. 30. ſed tiam oſtenditur ex hac *Amicæ* dulciſſima conpellatione, qua Spõſam ſuam hic Sponſus conſultò dignatur. Sed quinã, inquiet aliquis, id fieri poteſt? Nam ille quidem lux eſt, nos verò tenebrę 1. Cor. 6. 14. Occurramus, Fratres, huic tẽtationi. Tenebræ quidem natura naſcimur, ac proinde filij iræ Eph. 2. 3. At iſtud fuiſtis (inquit Apoſtolus) ſed abluti eſtis 1. Cor. 6. 11. Hoc verò prudenter intelligere interpreta-

rique nos decet, ne vel ipſi nobis plus æquo placeamus, vel animos deſpondeamus, quaſi nihil habentes cum hoc Sponſo commune: 2. Cor. 6. 14, quum hic Sponſus ſit hominum pulcherrimus, atque ſupra conſortes ſuos vnguentis odoratiſſimis delibutus Pſal. 45. 8. 81. Gloria & honore coronatus Heb. 9. & nomẽ habeat ſupra omne nomen Phil 2. 9: Filius denique ſit ille in quo pater acqueſcit Matth. 3. Tametſi enim Solomonis tempore adhuc iſtud præſtitum non eſſet huic Sponſo ſecundùm carnem, tamen pro præſtito iam habebatur, quod ad vim & efficaciam iſtius myſterij attinet. Quomodo igitur Sponſa prę cęteris forma non excelleret, ſpirituali ratione cum Sponſo ita coniuncta? & quidem tam arctè vt caro ſit ex eius carne, & os ex ipſius oſſibus? Eph. 5. 30. Cur, inquam, non omnium pulcherrima & ornatiſſima eſſet hęc Regina, atque adeò omnis fidelis anima, quum idem Sponſus nobis à patre Sapientia, Iuſtititia, Sanctificatio, atque Redemptio noſtra ſit factus? 1. Cor. 1. 30. Sed prætcrquàm quod in ipſo ſumus, & ipſe eſt eorum ſumma pulchritudo qui cum illo per fidem vnum ſunt, ſicut poſtulauit à Deo Patre Ioh. 17, 21. ſuperadditur nobis regeneratio illa ſpiritualis, qua ſimus vnus cum eo ſpiritus Eph. 4. 4. vſqueadeò vt non modò à præteritis peccatis abluamur, verumetiam noui homines fiamus ad iuſtitiæ fructus pro gratiæ ipſius
menſura

menſura proferendos. Eſt ergo Sponſa in ipſo, eleganti vſquequaque forma conſpicua, & eiuſdem gratia fit in dies in ſemetipſa formoſior. Age igitur ſummo ſtudio quanta ſit hæc beneficentia ſeriò meditemur, ne ſit in nobis infructuoſa, ſed vt potius illius virtute freti & ſordes ac inquinamenta huius mundi execrati, noſmetipſis totos illi conſecremus qui nos ex illis teterrimis tenebris, ad puriſſimam & vere admirabilem lucem magis magíſque inuitat. 1. Pet. 2. 9. Nemo eſt certè qui maculas faciei abſtergere non ſtudeat: At quanto magis animæ labes abolendæ? Si tanti fit regum atque principum virorum fauor, quantò pluris æſtimanda eſt Filij Dei gratia, dulciſſimo *amicæ* nomine nos compellãtis: & eò vſque nos amplexi, vt illius beatiſſimi regni ſui gloriam communem nobiſcum eſſe velit? Matt. 25. 34. Luc. 22. 29. Rom. 8. 17.

Quid ſignificetur per oculos columbinos.

Cæterùm pergens Sponſus, oculos illius eſſe teſtatur columbarum oculis ſimiles. Neque temere eſt quòd Sponſæ ſuæ formam contemplatus, ſpeciatim meminit oculorum. Nam vt in facie, ſupra cæteras corporis partes, eminet pulchritudo, adeò vt formoſus vultus quamlibet cæterorum membrorum deformitatem tegat: & contra, ſi turpis ſit facies nihil in reliquo corpore gratum appareat: ſic in vultu principes partes ad conciliandam gratiam tenent oculi, præcipuè in amoris affectu: qui vtique

oculis hauritur, iísque veluti fenestris quibusdam apertis irrepens, ad intimum cor vsque penetrat: siue pudicè ametur, vt testis est Iacob Rachele visa: siue illicita cupiditate feramur, quemadmodum de Dauide legitur 2. Sam. 11.2. quo spectant verba illa ipsius Sponsi Matth. 5.28. Sed ista similitudo, commodè ad suum finem est referenda. Constat igitur columbarum mitem ac meticulosam esse naturam, quod præsertim in ipsarum oculis elucet, adeò vt ad demonstrandam nobis illam summam Domini nostri Iesu Christi mansuetudinem, Spiritus Sanctus specie columbæ supra ipsius caput in eius Baptismo apparuerit Matth. 2.16. Itaque ad demonstrandam conuenientiam & sympathiam illam inter hunc Sponsum & hanc Sponsam, (Ambos enim vnus idemque Spiritus regit Rom. 8.14.) ad simplicitatem columbæ reuocamur Matth. 10.16. Est autem hæc virtus opposita illi simulato, fucato, atque versuto ingenio quod à natura contraximus, & in nobis perstat, quoad, Dei Spiritu, veri Israelitatæ Ioh. 1. 17. talésque euadamus quales pij Psal. 15. describuntur. Cum hac etiam virtute pugnat impudens ille fastus, qui ex claris oculis deprehenditur, de quo Dauid Psal. 101.5. & 131.1. Ab hoc autem vitio plurimum abhorret Christiana lenitas ac demissio, qua intra fines nostræ vocationis omnino coarctamur, 1. Cor. 7.10. nimirum ne supra quod liceat sapere velimus Rom. 12. 3.

sed

ſed vt potius Spõſi patientiam & cordis hu-
militatem imitemur Mat.11. 29: qui haud te-
merè agno ſimilis eſſe dicitur Ieſ.53. 7. Sed &
ex oculis vagis & procacibus, de quibus lo-
quitur Iohannes 1. Epiſt. cap. 2. 16.& 2. Pet.2.
14. impudicam libidinem argui notum eſt.
Quin & toruo intuitu latens inuidia decla-
ratur Matth.20.15. aduerſus quæ vitia perpe-
tua pugna eſt ei puritati, modeſtiæ, & caſtæ
dilectioni qua cunctos veros Chriſtianos
præditos eſſe conuenit, & quarum notas
quaſdam in hoc auium genere obſerua-
runt qui animantium naturas ſunt perſcru-
tati. Age igitur, ſinguli ſeſe hîc diiudicent,
vnuſquiſque ſecum expendat quantum à pu-
ris iſtis columbarum oculis abſint homines
fallaces, verſuti, arrogantes, Dei & hominum
contemptores, ſcortatores, & tum geſtibus,
tum corporis habitu molles ac diſſoluti, in-
uidi, rixoſi, litigioſi. Vbinam verò ſordes iſtæ
vigent? Certè plus ſatis apud nos, qui nihilo-
minus Eccleſia Dei reformata videri volu-
mus. Sed quo tandem iure, ſi pleríque no-
ſtrûm ex vita & moribus æſtimentur? Et ita
certè apud Dei tribunal cenſebimur, neque
nos hic vlla fraus aut verſutia iuuerit.

Sed nunc audiamus ecquid tam blandis iſtis ſermonibus Sponſa viciſſim reſpondeat. *Mi chariſſimè*, inquit, quæ certè eſt valde familiaris cum cœli & terræ principe collocutio, fateor. Sed quid agas? loquitur os ex cordis abundantia. Credidi, inquiebat Dauid, *Quod ſit inter Sponſi in Sponſam & Sponſæ in Sponſum amorẽ diſcrimen.*

ideo loquutus ſum Pſal. 116. 10. Mutuus eſt igitur ac reciprocus hic amor, qui quum non poſſit aliunde quàm ex fide in hac Spóſa proficiſci, non poteſt non eſſe Sponſo gratiſſima iſta mutua compellatio: cui nihil eſt gratius quàm ſi à ſua Sponſa diligatur. Sed longe alia eſt ratio dilectionis Spóſi erga Sponſam, quàm Spóſæ in Spóſum amoris. Amor enim Sponſi quo Sponſam ſuam proſequitur, merè gratuitus eſt, nec aliunde ortus quàm ex illa Dei bonitate ac miſericordia infinita, ad huius alioqui miſerrimæ & impuriſsimæ tãtam dilectionem ſeſe demittentis, Ioh. 3. 16. & Rom. 5 8 Amor autem quo Sponſa Sponſum proſequitur, multis atque adeò infinitis à Spóſo profectis beneficiis debetur, quoniam non tantùm vt creatori, ſed etiam vt ſuo à peccato, morte, ac inferno liberatori, & vt paucis dicam omnia, vnico ſuo Seruatori eſt obſtricta, Prior ille amor præcedit, hic ſequitur. Prior ſeipſum gignẽs, alterum in nobis gignit ex mera gratia. Prior nihil ab altero recipit emolumenti. (Neque enim quod à nobis bonum eſt ad Deum vſque pertingit Pſal. 16. 2. cui nihil neque adiici neque detrahi poteſt) ſed quod ex amore piæ fideliſque animæ erga Deum prouenit, in ipſam vnam redundat, quod Deo placeat iis benedicere à quibus colitur, Gen. 22. 16. 1. Sam. 2 30. Pſal. 91. 14. Quis verò cum Propheta in hæc verba non erumpat, Quid eſt homo mortalis, vt eius curam geras, & Filius hominis vt is tibi curæ

curæ ſit? Pſal.8.5. & 144.3. Et idē alibi, Quid, inquit, referam Domino pro illis omnibus quæ in me contulit beneficiis quæ me ſuperant? Calicem hilaritatis, impetrata ſalute ſumam, & nomen Domini inuocabo, Pſalm. 116.12.

Addit demum Sponſa, *tu formoſus es & venuſtus*: ídque meritiſsimè. Quid enim eſt in rerum vniuerſitate quod pulchritudine & gratia liberatorem ac Seruatorem noſtrum æquet? De quo loquens Propheta, licet eum eminus tantùm conſpiceret per medias Legis vmbras, (Hebr.11.13.) Satiabor, inquit, quum apparuerit gloria tua, Pſalm.17.15. Sed præterea notandum eſt Sponſam quę hic loquitur, licet forma eleganti prædita ſit, ac eo nomine ſeſe à Sponſo commendari intelligat, neutiquam tamen in hoc acquieſcere: ſed ac ſi ſuæ ipſius formæ nullam haberet rationem, in pulchritudinem Sponſi penitus intentam atque defixam eſſe, tanquam ſolius verè pulchri, & contemplatione digni. Quod ſi meritò non tantùm à Solomone, Prouerb. 27.2. verumetiam à Prophanis quoque ſcriptoribus reprehenduntur Thraſones quos nō pudet ſibi ſuffenos eſſe, & laudes ſuas prædicare: quînam pro vera Sponſa, id eſt germana Dei Eccleſia iſtorum cœtum haberemus, qui de ſuis virtutibus & meritis nunquam garrire deſinunt: etiamſi centuplo pluribus quàm ipſi ſibi arrogent, meritis abundarent? At enim (inquiunt illi ſuam im-

Hæc Sponſa ſolis ſui Spōſi radiis ſplēdore ſe formosā iudicat contra quàm facit ſcortatrix Sponſæ nomē ementita.

pudentiam tegentes) iſtud non dicimus ex nobis ipſis duntaxat, ſed ex Dei gratia quoque, & quidem in primis prouenire, qua nos præueniente & concomitante fit, vt meritoria ſint opera bona noſtra, alioqui tanti non futura. Sed ea ſanè exceptione ſeſe præbent non alios eſſe quàm ſuperbo illi Phariſęo ſimiles, ſimiliter prorſus de ſuis meritis Deo gratias agente, Luc. 8. 11. Quaſi ſcilicet Dei gratię hic ſit vſus, vt ipſi per nos redimamur & ſeruemur: meritis videlicet operum noſtrorum cum merito Ieſu Chriſti commixtis. Omitto præterea craſſum & prorſus intolerabilem alterum illorum errorem, quòd manifeſtiſſimas idolomanias induunt meritorum appellatione. At contrà quid teſtatur, quid clamat vera Eccleſia? Nõ nobis, inquit, non nobis Domine, ſed nomini tuo tribue gloriam, propter benignitatem ac conſtantem veritatem tuam, Pſal. 115. 1. Quis ſum ego Domine, (inquit Dauid, inſignis ille Dei ſeruus) & quæ domus mea quod me tantopere euchis? 2. Sam. 7. 18. Et quid de Abrahamo credentium parente pronuntiat Apoſtolus? Si Abraham, inquit, ex operibus iuſtificatus fuit, habet de quo glorietur at nõ apud Deũ. Dei porro Filij quum vltimo illo iudicij die de bene acta vita illis teſtimonium perhibebitur, annon hoc reſpondebunt, Quando vidimus te Domine eſurientem ſitientémue? Matth. 25. 37. Age igitur ſicut nos monet Apoſtolus, Phil. 4. 8. omnibus piis ac ſanctis operi-

peribus ſeriò & aſſiduè incumbamus, quibus conſtat omnium purę Eccleſię membrorum decus, & omnis à Domino collatus in hanc Sponſam ſplendor: & certò ſciamus fore, vt quemadmodū bona hæc opera ipſe in nobis efficit, creans in nobis velle & facere, Phi lip.2.13, ſic etiā ſit illa coronaturus: ſed ex ſua ſola beneficentia, atque in illo, in quo vnico nos ei grati acceptíque ſumus, Eph. 1. 6. non autem vllius operum noſtrorum valoris ſiue meriti vel dignitatis reſpectu. Nec enim quicquam boni aut recti habemus quod nō gratis acceperimus, 1.Cor.4.7. Quod ſiquid etiam ex nobis haberemus, & omnia Dei mādata adimpleuiſſemus, nullus tamen inde fructus ad Dominum illū noſtrū rediret, qui neque nobis eget, neque vllis operibus noſtris, Luc.17.10. teſtante vniuerſaliter Apoſto lo, etiamſi de ſanctiſſimis & integerrimis agatur, vitam æternam eſſe Dei donū in Chri ſto, Rom.6.23.

Denique perorans Sponſa. *Lectus*, inquit, *noſter viret, ſuntq́; noſtrarum ædium trabes Cedrinæ, & podia noſtra cupreßina.* Quantum autem ad lecti vocem, poteſt accipi non pro cubili in quo dormituri ſeſe componunt, ſed pro diſcubitorio lecto, cuiuſmodi fuerunt in vſu apud veteres cibi capiendi cauſa. Nec enim ſedilibus aut cathedris vt nos vtebantur, ſed puluinis ſubſtratis altera corporis parte iacentes epulabantur, quæ propria eſt eius vocabuli notatio quo vſa eſt Sponſa ſu-

Hæc Sponſa in ſolo ſui Sponſi lecto conquieſcit.

pra 1. 12. Et huic interpretationi quadrat quòd hunc lectum virere dicit, nempe frondibus & virenti gramine ſtratum. Nihil tamen obſtat quominus etiam hic interpretemur lecti vocem pro gramineo quieſcendi cauſa ſtrato. Sed vtrouis modo lecti appellatio vſurpetur, merito dicit Sponſa, totum illum virere, ſiue frondeum eſſe: nempe vt oſtendat quàm ſuauis & iucunda ſit pax illa, quam mũdus nec dare nec eripere nobis poteſt, Iohan. 14. 27. quæ requies in vnico Ieſu Chriſto reperitur, Matth. 11. 29. quum nulla ſit in iis condemnatio, qui ſunt in Chriſto Ieſu, Ro. 8. 1. hæc illa eadem cauſa eſt, cur hæc Sponſa conferatur cum arbore procera ac ſemper virenti & maturos fructus proferenti, Pſal. 1. 3. & 92. 15. & cur hanc coronam Petrus nunquam marceſcere teſtetur, 1. Pet. 5. 4. Quod autem ſequitur de trabibus Cedrinis & cupreſſinis podiis ſiue ambulacris, ex ædium illarum regionum forma intelligitur, ſic extructarum, vt illarum ſumma tabulata eſſent plana, & podiis ac mænianis cincta, ex quibus ſpectare & ambulare commodè liceat, vt apparet ex variis ſcripturæ locis, velut. Deu. 22. 8. Mat. 10. 27. & infra 6. 15. Hęc autẽ eò tendũt, vt hac ſimilitudine, (ab his duabus arborũ ſpeciebus ſumpta, quæ odoratæ ſunt, & putredini obſiſtunt) doceamur iſta Sponſi cum Sponſa coniunctione, fœtorem huius mundi à nobis arceri, qua nimirum fiat, vt ipſa quoque corpora, nedum mẽtes creden-
tium

tium totidem ſint ſacra domicilia Deo conſecrata, 2. Cor. 6. 16. & Ioh. 14. 23. qui omnes ſimul iuncti dicuntur viui lapides, ex quibus hoc ſpirituale templum, id eſt Eccleſia Catholica ſeu vniuerſalis extruitur, 1. Pet. 2. 5.

Quis ſit huius Sponſi tectus ſemper virens: & quæ ſint trabes ac columnæ huius domus, incorruptæ, oppoſitæ domibus ex putribus lignis extructis.

Sed ne illud quidem leuiter prætereũdum eſt, quòd hîc diſtinctè mentio fit trabium & podiorum ſiue mœnianorum, nimirum præcipuarum huius ędificij partium, quales ſunt in hoc ædificio ſpirituali Prophetæ & Apoſtoli, quorum ſcriptis etiamnum hodie fulcitur Dei domus, Eph. 2. 20. Talis eſt igitur domus Dei, & ita ſe habet vera ipſius Eccleſia, longè latéque ſanè diſtãs ab impura & ſpurca illa cloaca humanarum traditionum, eroſis putribúſque aſſerculis ſuſtentatę, quæ prima quidem fronte nitoris aliquid oſtentant: ſed die Domini illas explorante, ſtatim inſtar fœni & paleæ exuſtæ euaneſcunt, 1. Cor. 3. 13. ignis videlicet illius ardorem non ferentes, cuius fit mentio Pſal. 50. 3. Denique ſi Cedrus & cupreſſus, pro ſuæ in illis perdurantis naturæ vi, cum ipſo tempore certant de diuturnitate: quorſum tantopere ſe fatigant tam multi in harum ædium trabibus deiiciendis & podiis euertentis? hoc enim certè nihil aliud eſt quàm id deſtruere conari, cuius fundamentum eſt ille cuius imperij nullum eſſe terminũ Angelus ille Domini, beatę Virgini, Gabriel teſtificatur, Luc. 1. 33. Regni enim illius ſedes in terris eſt hæc Cedrina & cupreſsina domus: Sion videlicet nulla vn-

quam vi ſubuertenda, quandoquidem Dei verbum in æternum manet, 1. Pet. 1. 25. Faxit igitur clementiſſimus ille Pater & Deus noſter, vt in hac ſancta domo verè in æternum habitemus, in qua magis ac magis ipſius Sponſi decore ſplendentes, & in hoc Sponſo ſuaueolentes, ſempiterni ipſius regni cohæredes cum ipſo regnemus: id quod ab ipſo, peccata noſtra deteſtati, hiſce verbis poſtulabimus. Deus Omnipotens, &c.

Finis Homiliarum in primum caput Cantici Canticorum.



IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA DECIMASEXTA.

Auxlium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.2.verſ.1. & 2.

1 Ego ſum Roſa Saron & Lilium conuallium gaudens.

2 Sicut Lilium inter ſpinas: ſic eſt amica mea inter fœminas.

DOcuit nos ſapiens hic noſter ſuperiore libro qui Eccleſiaſtes vocatur, nihil mundanum in mundo reperiri, in quo acquieſcere, & firmam fidelitatem quærere oporteat: Sed altiùs eſſe, nempe ad ipſum vſque mundi conditorem, Deum videlicet illum immenſum, nobis aſſurgendum. Sed & huius doctrinæ vſum proximo quod explanatum eſt huius Cantici capite idem nobis propoſuit, in ea quam huius Sponſi Sponſam appellauit: id eſt in Eccleſia, quæ Ieſu Chriſto ſuo capiti ac Domino noſtro per Spiritum cohæret: in quo etiam quidquid eſt expetibile nanciſcitur: licèt nondum plenè reipſa, ſed ex portiuncula duntaxat, iis bonis fruatur, quę ex eiuſmodi connubio adipiſcenda miro cum ardore expectat. Huc autem etiam tendunt quæ nunc ſunt à nobis exponenda, atque adeò quidquid toto deinceps hoc libro, in quo ſub fi-

Felicitas Sponſæ in eo ſita eſt vt norit ſui Sponſi præſtantiam, ipſi viciſſim ſuum in ipſam amorem teſtificantis.

gura nuptialis epuli ac mutuarum inter Spõsos blanditiarum, nostris quasi oculis spectanda proponitur, tum summa huius Sponsi præstantia, tum fœlicissima huius Sponsæ conditio. Idque in eum finem, vt & ipsi huic Ecclesiæ, id est credentium cœtui per huius Reginæ personam designato, quàm arctissimè insiti, Iesum Christum & ipsius regnum cæteris rebus omnibus anteponere discamus.

Quatenus liceat de seipso testificari: & salutẽ nostram ex eo initium ducere, quod Deus nobis ad se cognoscendum patefecit.

Hoc igitur loco Sponsus de seipso loquẽs, duo genera florum pulcherrimorum & odorantissimorum delegit, quibuscum sese comparat: Rosam videlicet, & Lilium conualliũ, eadem postea Rosæ similitudine suæ Sponsæ accommodata: quem sermonem illa exaudiens, Sponsum similem prædicat pomo pulcherrimis & suauissimis pomis onustæ. Neque verò causa est cur ineptum & indecens hîc aliquid admissum ab hoc Sponso arbitremur de seipso testimonium ferente. Quãuis enim hoc ipsum expressè improbet idem Solomon noster, Prouerb. 27. 2: & Apostolum, siquando de se magnificè, asserendi sui Apostolatus causa, loquatur, præfari & excusatione vti videamus, eò vsque vt de aduersariis conqueratur ipsum eò adigentibus, vt stultorum exemplũ, quibus mos est suas laudes venditare, quodammodo imitari cogatur. Tamen istud minimè dedecet eum qui hoc loco de se loquens introducitur, quum Dei (est autem hic Sponsus, verus Deus) longè

gè ſit alia quàm hominis conditio. Ambitioſum enim hominum genus vix ſeſe laudare poteſt, quin vel aliqua ſuiipſius admiratione titilletur, vel omnia quæ de ſe prædicat, aut aliquam ſaltem illorum partem ſibi arroget, quum tamen nihil prorſus habeat quod ex mera Dei gratia nõ receperit, 1.Cor. 4.7. Nec etiam hîc poſſunt homines modum ſeruare, & ſuo ſeſe pede metiri. Itaque tantum abſunt à ſuis prædicandis laudibus modeſti homines, vt contrà non ſine rubore ſeſe ab aliis præſentès laudari ſuſtineant. Itaque ſi quando reticenda non eſſe vident dona quę diuinitus receperunt, ſemper hoc obſeruant diligenter, vt, optimo ſeruato modo, cuncta Dei benignitati accepta ferant, ſicut ſtudiosè factitare Paulum videmus, 1.Cor.4. 4. & 15. 10. & alibi paſſim. Sin verò quempiam commendandũ ſuſceperunt, non diſſimulant quæ de illo teſtantur eſſe Deo tribuenda: quod ex principiis præſertim Epiſtolarum Pauli conſtat, Rom.1.8. 1.Cor.1.4. Epheſ.1.3. Philip.1.3. Coloſſ.1.3. 1.Theſſal.1.2. & 2.Theſſal.1.3. At quum de ſe Dominus tam magnificè & auguſtè loquitur, neque de ſe quidquam tãtùm & tam ſublimè teſtari poteſt, quin infinitè maiora ipſi cõueniant, quo fit vt non poſſit non eſſe firmum ipſius de ſe teſtimonium, Ion. 8.14: neque peccare vlla ambitione poteſt quum & omnis illi debeatur honor & gloria: & illi nec adiici nec detrahi quidquam poſſit: nec etiam alio con-

ſilio id agat, quàm vt nos ab hoc mundo adductos, ad ſeſe pertrahat.

Primũ Dei de ſe teſtimonium apud homines, ex rerũ creatarum & ſenſibiliũ contemplatione.

Hoc autem facere duplici ratione ſactum illud os Dei conſueuit. Primùm quidem rebus à ſe noſtri cauſa conditis, & in ſenſus noſtros incurrentibus, quaſi oris & ſermonis quãdam ſpeciem tribuens, quem ſanè à cunctis intelligi oportuit, licèt illum plerique aſpernentur. Spectandum enim ſeſe in rebus creatis præbens, vt Creatorem, Omnipotentem, æternum, &, in adminiſtratione totius mundi, benigniſſimum ac iuſtiſſimum, perinde facit ac præſtantiſſimus aliquis pictor, propoſitis certis in tabella figuris animos ſpectantium minimè volẽs in illarum rerum pictarum viſibili ſpecie retinere, ſed eorum mentes ad quædam altiora, per illarum exter nam ſpeciem adumbrata, attollere, cuiuſmodi fuerunt hieroglyphicæ quas vocarunt Ægyptiorum literæ. Exemplo ſit eiuſmodi picturarum, (vt mihi pauliſper digredi liceat) illa Chriſtophori pictura quam in idolum Cyclopis conuertit poſteritas. Nequaquam enim quum hæc pictura initio fuit vſurpata, talis quiſpiã homo extiterat cuius hæc eſſet imago: Sed ita repræſentatus fuit quilibet verè Chriſtophorus, id eſt à Chriſto vere denominatus: nempe Chriſtum in ſe crucifixum, quaſi onus humeris ſuis impoſitum geſtans, & cum hoc crucis onere vaſtos huius mundi gurgites robuſtiſſimorum gigantum inſtar traiiciens, fidei videlicet cõto innitẽs,

&

& verbi Dei luce ipsi tãquam ad portum vsque tutissimum præeunte. Talis igitur olim fuit ista Christophori imago: & euenit, vt minimè ferentibus priscis Christianis, vt illa imago, siue picta, siue sculpta, in iis locis vbi religionis causa conueniebant, cerneretur, huiusmodi Christophori Colossi pro foribus & vestibulis templorũ fuerint collocati, vbi etiamnum hodie visantur: vt & pictura illa quam postea Margaritã, & diuum Georgium vocarunt, vtraque Ecclesiam per Christum è draconis faucibus liberatam repræsentans. Sed facilè postea fuit Satanæ non tantum hæc idola, sed etiam alia innumera, Deo tandem & ipsius veritate pulsis, in ædes sacras Christianorum introducere. Sed age ad nostrum hunc contextum reuertamus. Dico in summa, machinam huius mundi clarè & sonorè nobis Dei sui conditoris æternã sapientiam, potentiam & bonitatem annunciare, quod prophani quoque scriptores non pauci obseruarũt, sed expressissimè nos docent Scripturæ, Psal. 19. & 45. & alibi passim, præsertim verò Apostolus ad Rom. 1. & in elegantissima & diuinissima illa concione, quam apud Athenienses habuit, Act. 17. At quotiescunque Deo visum est, aut ipsis seruis suis aut per seruos suos, harum suarum veluti picturarum mysteria declarare, tùm sanè factus est eorum interpres quæ nullus alioqui ex cœli ac terrarum, siue quarumcunque aliarum à Deo conditarum rerum, intuitu &

confideratione obferuaret. Et hûc referenda funt facrarum literarum innumera pene loca, quæ totidem funt earum rerum explanationes, quæ tot eximiæ Dei creaturæ nobis licèt mutæ teftificantur.

Alterum testimonium Dei fese hominibus ad eorum falutem per Euãgelii promulgationẽ Patribus promiſsi, poſtea verò re ipſa exhibiti patefacientis.

Quoniam autem ifta tam excelfæ atque adeo immenfæ Dei maieftatis patefactio nos non poffet non percellere, atque adeò, omni nobis excufatione adempta, condemnare: ideo alteram rationem ad longè fecretius quoddam arcanum nobis patefaciendũ iniit, promulgationem videlicet reconciliationis gratuitæ, adiuncta illi patefactioni externæ virtute illa fancti fui Spiritus, mentes noftras & illuftrantis, & ad imaginem Dei renouantis. Vtitur autem hic quoque rerum vifibilium minifterio, fed modo à fuperiore aliquantùm diuerfo. Nam quod ad prius illud genus patefactionis attinet, de quo paulò antè diximus, Deus fefe conftituit libri naturæ interpretem: in hoc autem pofteriore, res illas conditas adhibet ad finem multò præftantiorem quam fit earum creatio, defumpto variarum ex illis fimilitudinum genere, quibus magnopere mens noftra ad intelligentiam fublimis & fupernaturalis myfterij noftræ falutis, atque adeò ad Filij Dei, illius falutis auctoris, & omnium quæ hinc dependent notitiam, magnopere iuuatur, analogia videlicet, & arcana rerum illarum corporearum cum fpiritualibus, conuenien-

uenientia. Hoc ita eſſe liquet ex plurimis illis parabolis ac ſimilitudinibus paſſim in Sacris literis, ac præſertim in hiſtoria Euangelica occurrentibus: quæ ſi mentibus noſtris altè inhærerent, nihil profectò in noſtros ſenſus incurreret, quo non ſtatim ad ſanctas de Deo cogitationes, & nos totos ipſi conſecrandos, vel inuiti adduceremur.

Cur Sponſus ſimilitudinem delegerit à floribus deſumptam.

Hoc igitur loco morem illum ſuum retinens Sponſus, id eſt Ieſus Chriſtus, vt ſui præſtantiam quaſi oculis noſtris ſpectandam proponat, vtitur ſimilitudine Roſæ & Lilij conuallium: Roſæ, inquam, præſtātiſſimi generis, quales veriſimile eſt in regione Saronis extitiſſe, cuius fit etiam mentio Eſa.33.9. & 1.Chron.27.29. & Act.9.35. Neque ſanè exiſtimari poteſt aut debet hanc collationem temerè ſibi delegiſſe. Etenim ſi flores propiùs conſideremus, comperiemus vix quidquam eſſe in rerum natura admirabilius, vt cœlitus potiùs demitti quàm è terra prodire, videri poſſint: ſiue illorum tam puram ac ſubtilem materiem, ſiue quo ſint artificio contexti, ſiue pretioſiſſimos illos, ſiue ſuauiſſimos inde prodeuntes odores, ſiue fructus inde naſcentes, & hinc producta infinitæ diuerſitatis ſemina conſideremus. Itaque adeò vel florum minimus ad impios omnes diuinę potētię & ſapiētiæ hoſtes coarguendos ſufficiat: vt meritò Chriſtus Luc. 12. 27. teſtetur omnem Solomonis

ſplendorem æquare Lilij decorem non potuiſſe. Hoc tamen verum eſt flores eſſe minimè diuturnos: ideóque ſæpe in Scripturis miſeram & caducam noſtram conditionem cum floribus citò exareſcentibus conferri, vt Eſa.40.7.Iohan.14 2.& 1.Pet.1.24.& alibi. Sed huiuſmodi ſimilitudines ad eum duntaxat finem ſapienter accommodandæ & dirigendæ ſunt, cuius cauſa proponuntur.

Allegoria Lilii candidißimi & Roſæ rubentis, appoſitiſſima eſt ad huius Sponſi qualitates nobis repreſentandas,

Aio igitur hanc ſimilitudinem à duobus hiſce pulcherrimis & odorātiſſimis floribus deſumptam, aptiſſimam eſſe huic Sponſo, vtpote pulcherrimo & ſpectatiſſimo nobis in duobus iſtis ſpeculis repreſentando. Iſtius enim Lilij nitore nihil eſt neque purius neq; candidius, à conuallibus cognominati, quòd illic fere naſcatur. Et quid tandem, obſecro, conferri cum eius puritate & iuſtitia poteſt, qui fuit ab omni labe intus & foris immunis? qui Sanctus eſt ſanctorum? cuius deniq; vnius iuſtitia & innocentia iram ipſius Dei placauit. Eadem eſt ratio ſimilitudinis à Roſa candida petitæ. Verùm ſi malimus Roſam hîc ſignificari ex rubro candicantem, quem colorem carneum vocamus, expreſsiùs etiam nobis hunc Sponſum repræſentarit: non quidem ipſius naturæ diuinæ inuiſibilis, & nullis externis ſenſibus perceptibilis reſpectu, diſtinctè in ſeſe conſideratæ: ſed quatenus Dei Filius eſt in hac noſtra aſſumpta natura corporea manifeſtatus, id eſt Deus verè homo factus oculis ſpectantium conſpicuus.

Roſeus

Roſeus enim hic color inter omnes præſtantiſsimus, vnicus in rebus his inferioribus venuſtè & temperatè rubētem vultum referat. Quænam eſt igitur tam ſuauis ruboris Roſa? Certè Chriſtianæ religionis myſterium: Dei videlicet Filius ille verus, aſpectabilis factus in carne, iuſtificatus Spiritu, conſpectus ab Angelis, gentibus prædicatus, cui fides habita eſt in mundo, tandem ſurſum acceptus in gloriam, 1. Timoth.3 16: inter multos fratres primogenitus ille Rom.8.29: omnium hominum pulcherrimus, Pſal.45.3: ſummus Sacerdos noſter, Sanctus, omnis vitij & labis expers, ſegregatus à peccatoribus atque ſublimior cœlis factus, Heb.7.26, gloria & honore coronatus, Heb.2.9: nomen denique adeptus quod eſt ſupra omne nomen, Philip.3.8. At quomodo tam altè prouectus? Mortis perpeſsione, mortis inquam crucis Philip.2. 8. En igitur Roſam illam non iam leuiter tinctam, ſed totam illo ſuo ſanguine rubentem, quo ſumus à peccatis noſtris repurgati. Talis erat quum illum virgis conſciſſum, ad populum producens Pilatus, Ecce homo inquit. Talis in crucis patibulo ſuffixus pependit, totus ſanguine ſuo madens, propter ſcelera noſtra percuſſus, ac propter tranſgreſſiones noſtras vulneratus, ac deformis, Eſa. 53.5. Ecquis verò tunc erat huius Roſæ decor? Effloruerat certè, ac tantum non euanuerat, quamuis breui reuicturus, Heb.2.9. vt qui eò vſque deueniſſet, vt vilis vermiculi inſtar vi-

deri posset, Psal.22.7. Verumenimuerò quū pluris sit apud Deum obedientia quâuis victima, 1.Sam.15.22: constet autem nullam vnquam aliam obedientiæ speciem huic obedientiæ parem extitisse, Philip. 28: efficitur tùm verè apud Deum hanc Rosam maximè emicuisse, & fuisse perfecto decore spectatissimam, quamuis sanguine redundantem: sed eo sanguine qui tantum abest, vt quod eo tinctum est commaculet, vt è contrario maculas omnes nostras absterserit. Et hoc ipsum fortasse designauit Dei Spiritus contrà quàm Pilatus & Herodes cogitarunt, quum ille quidem Christum sanguine fœdatum veste purpurea indueret, hic autem illum candida veste per ludibrium amiciret, Luc. 22.7: quæ posterior vestis ad Lilium conuallium alludit. Immò nisi & antè realem illam oblationem, & eo ipso tempore quo verè cruenta oblata fuit, & deinceps ad consummationem vsque seculi hæc Rosa coram Patre adstitisset, & etiamnum hodie adstaret, & nisi illam odoratus esset, & odoraretur Pater ille cœlestis, illius odore longè suauissimo placatus, nulla vnquàm extitisset, extaret, aut esset vnquā extitura Sponsa huius Sponsi, nec vlla nobis gloria & fœlicitas æterna. Nam in quonam Deus ab æterno suam Ecclesiam elegit? Certè in Christo suo, præordinato vt suo tēpore fieret quod factus est, & quæ præstitit præstaret Electorū suorū causa, Eph.2.4. Gal.4.4. Per quem autem placatus

tus est ab initio Deus? In agno illo qui, quod ad efficaciam attinet, ab initio mundi fuit mactatus. Apoc.3.12. In quem respexit Lex illa vetus? In hunc Sponsum, à quo sicut pro nobis implenda fuit, sic certè plenissimè suo tempore fuit completa, Galat.3.23. Quænam verò Legis substantia fuit, & ipsum corpus, cuius vmbra fuerunt legales illæ figuræ? Idem Christus Coloss.2.17. In summa quamuis actus ipse huius cruenti sacrificij, & vnicæ huius semel factæ oblationis iampridem præterierit, & nunc, morte subacta Iesus Christus apud Deum viuat: Rom.6.9. abductísque in captiuitatem omnibus suis hostibus triumphet, Ephes. 6. 8: tamen apud Deum Patrem, in quo nulla sunt momenta temporum, nullæ vicissitudines, nullum planè præteriti, præsentis, neque futuri temporis discrimen, vulnera huius Sponsi, quorum sanguine hæc Rosa maduit, etiamnum hodie quasi stillant, & in æternum stillabunt, ad iræ Dei Patris placamentum. Et quid aliud agimus quotidie, siue verbum Euangelij audientes, siue gratias illi agentes, (præsertim dum illius sacra mysteria celebramus) quàm quòd perpessionũ & mortis illius memoriã renouamus? minimè id quidẽ illũ denuò mactãtes, nec reipsa semel mactatũ offerentes Patri: (semel enim semet obtulit, vt vnicus sui ipsius Sacerdos) sed quasi adhuc pendentem & cruentum offerentes, quatenus ipsius sacrificium

ſemel peractum inter Deum & nos interſerimus, vt fidei & ſpei noſtræ fundamentum. Itaque ſemel ſtatuendum nobis eſt, Deum neque noſtri neque noſtrarum precum vllam vnquam rationem olim fuiſſe vel nunc eſſe habiturum, niſi rubentis illius Roſæ & puriſſimi candentis Lilij interueniente oblatione: quorum florum color, obedientiam, ſatisfactionem & innocentiam Sponſi teſtificans, eſt ſummè Patri gratus: gratior etiam odore, quem legalis ille ſuffitus adumbrauit, vt ſuo loco expoſuimus. Iſta ſunt igitur à nobis in hoc Sponſo conſideranda, vt ad arctiſſimam cum eo coniunctionem appetendam magis ac magis incendamur.

Cur Sponſa, vt & Sponſus cũ Lilio conuallium conferatur.

Nunc autem audiendum nobis eſt quod Sponſus de Sponſa ſua prædicat, vt illi etiam Sponſæ aggregari ſtudeamus, alioqui ab ipſo quoque Sponſo excludendi. *Anima mea* (inquit) *eſt inter fœminas vt Lilium inter Spinas.* Quod ad *Amicæ* appellationem attinet, oſtendimus quàm illa ſit eximia, quum omnẽ benedictionem comprehendat, atque adeo ipſum omnis illius boni fontem demõſtret, nempe Dei planè gratuitum in nos, alioqui natos ipſius hoſtes, amorem Ioan. 3. 16. & Rom. 6. 10. hoc igitur nunc prætermiſſo audiamus cur hæc Sponſa cum Lilio conuallium comparetur, & quorſum adiiciantur hæc verba *inter Spinas* Pij homines, quorum cætus myſticum Chriſti corpus conſtituens Eccleſia vocatur, haud raro ſimiles dicun-

dicuntur arboribus proceris, & omni tempore fructiferis, vt Psal. 1. 3: interdum etiam cum Palma & Cædris libani comparantur Psal. 92. 13: nonnunquam cum vinea exculta & fertilissima Psal. 80. 9. hoc autem in loco Sponsus Ecclesiam cōfert cum Lilio conuallium cui sese quoque similem esse antea dixerat, nimirum vt nos doceat quanta sit inter se & suam Sponsam consensio. En igitur duos Lilij conuallium plantas pulcherrimas & suauissimas. Sed earum quidem, prior est in sese & à sese id quod est: & ita quidem vt nihil quidquam in ea desiderari possit. Posterior, autem, quum in sese sit emortuum & putre quiddam, euasit Lilium: quoniam Lilij cui insita est succum & naturam hausit, contra quàm in communiter vsurpata insitione accidit: in qua surculus qui inseritur naturam suam seruat, stalo verò cui inseritur alteri seruit. Dicuntur itaque fideles fructiferæ arbores, sed hoc illis aqua præstante qua radices eorum assiduè irrigantur. Psal. 1. 3. Palma quoque vocantur & Cedri, sed in Dei domo plantatæ Psal. 9. 13. Dicuntur etiam vinea lōgè & latè propagata: sed quam Dominus ex Aegipto transportarit Psal. 8. 9. & diligentissimè excoluerit Math. 21. 38 Cultura namque siue ager Domini est Ecclesia. 1. Cor. 3. 9. Neque mirum est quòd Lilium hoc loco, vt & ipse antea Sponsus, nuncupetur, quum ipsam quoque Christi appellationem illi tribuat Apostolus 1. Cor. 12. 12. nempe quòd vnum

corpus cum ipſo fiat. Eph. 5, 30. Quînam enim abſurdũ videretur Lilij nomen vtrique, nempe & Sponſæ & Sponſo accommodari, quum illam quoque euadere ſanctam & iuſtam, viri ſui ſanctitate ac iuſtitia, certum ſit? 1. Cor. 1. 30. & propterea odorẽ, Deo ſuauiſſimum ſpargat, 2. Cor. 2. 15 Talis eſt igitur vera Eccleſia ex Dei ſolius benignitate ac gratia: in eo videlicet qui verè factus homo per omnia nobis ſimilis, excepto peccato, vnumquemque fidelem poſtea ſibi conformem reddit: carnem illius in Spiritum mutando vt omnes fiant vnus in ipſo Spiritus, 1. Cor. 6. 17. Quòd ſi hæc eſt Lilium verè odoriferum, efficietur plantam illam eſſe adulterinam, quæ nihil niſi fœtidum & agreſte ſapit, qualis videlicet nata eſt: quantumuis ſeſe vaporare & ſuffire ſtudeat, iis quæ falsò vel ſua vel ſanctorum merita nuncupat Philip. 3. 9. Sed & multò minus etiam Eccleſiæ nomine cenſebitur eorum cætus qui ſcelerata & deteſtanda vita ſeſe reddunt Deo & hominibus abominandos. 1. Cor. 6. 10: quibus Euangeliũ in mortis odorem vertitur. 2. Cor. 2. 16.

Eccleſia in terris nunquam nõ eſt Spinis circuncincta.

Quod autem additur à Sponſò Lilium iſtud inter Spinas ſitum eſſe, docet nos veræ Eccleſiæ ſtatum in terris. Eſt enim illa lucis fulgentis inſtar inter mundi tenebras Philip. 2. 15: quaſi ouicula inter medios lupos Matth. 10. 16: denique veluti eximia pulchritudine nitens planta, inter confertas & denſas ſentes, & inter fœtidas & lethiferas plantas, ſuauiſſi-

uissimum fundens odorem. Neque verò spinæ Lilium istud circunstant duntaxat, verũ etiam sese intrò inserunt, & tum ipsam plantam tum eius flores suffocare conantur. Ad hæc incommoda illud quoque accedit, quòd hæ Spinæ ante vltimum diem nunquam penitus extirpabuntur, vt significatur Zizaniorum parabola Matth. 13. 24. Immò nullus est sanctorum qui Spinarum istarum, quibus obsiti nascuntur, reliquias in corde suo non circunferat, incredulitate fidem suffocare conante: diffidentia spem oppugnante: denique carne aduersus Spiritum insurgente: in quo certamine duris profectò transfigimur aculeis Matth. 13. 22. Gal 5. 17. Rom. 8. 23. hæc est igitur sors corporis Ecclesiæ & singulorum eius membrorum, vt probat perpetua omnium ætatum experientia: qua de re nos admoneri necesse fuit, ne putemus nos esse posse Lilium cuius odore mundus delectetur: sed vt è contrario, subductis omnibus rationibus, statuamus futurum, vt quò magis ad naturam huius Lilij odoratissimi accedemus, eò magis in odium canum & porcorum quibus nihil sapit præter sordes, incurramus, quandoquidem perpetuum est inter Deum ac mundum dissidium Iac. 4. 4.

Hoc vtinam inprimis animaduertant sapientes isti & circunspecti, qui rationem quandam Lucis cum tenebris conciliandæ inuenire se posse sua sagacitate sperant: stultissimè id quidem, quoniam fieri non potest

Fallũtur qui inuenire se posse somniãt rationem cõciliandarum tenebrarum cum luce.

vt duobus tam diſparibus Dominis quiſquã placeat. Si Lilium eſſe cupis, omnino neceſſe eſt inter Dumeta ſic verſeris vt cum illis nunquam te coniungas, niſi cum illis perire ſit tibi conſtitutum. Cæterùm neque vapores inhibere poſſunt ſolis ortum quo dies à nocte diſcernatur: neque nocturnæ tenebræ efficere poſſunt quominus Luna & ſtellæ ſint id quod ſunt: quamuis interdum nebulæ fulgorem ſyderum nobis in inferiore mundi parte conſtitutis adimant. Itaque nos inter mundanas tenebras filios lucis eſſe decet, vt legimus terræ Gozen illuxiſſe Solem quum cætera Ægyptus denſa operiretur caligine Exod.10.13. Filios, inquam, lucis eſſe nos decet, vt ſceleratis quibuſuis etiam renitentibus, innoteſcat luminum Pater, Matth.5.16. & redarguatur à nobis prauus & corruptus mundus Philip.2.15.

Quod ſit piorum officium inter impios.

Eſto igitur & maneat mundus quandiu volet, ager iræ Dei deuotus, pro quo Patrem Chriſtus nõ eſt deprecatus, Ioh.17.9. dumis & ſentibus obſitus, quorum aculeis venenatis cauendum eſt ne lethaliter vulneremur. Inter illas igitur deprehenſi, ne cum illis perſiſtamus, commercium habentes cum infrugiferis operibus 1. Cor. 5. 9. Eph.5.11: ſed ſimus & maneamus arbores frugiferæ, robuſtę Palmę, Cedri Deo gratum & ſuauem odorem fundentes, magis ac magis in dies ad ipſius gloriam florentes. Hanc gratiam, Fratres, ſupplices à Deo noſtro flagitemus: vt illo ſuum

in

in nobis opus quod ipſe incœpit perficiente, vitatis feliciter omnibus huius mundi blanditiis, veram in ipſo vno quietem quæramus & inueniamus: & fidelis Dei ſerui Moſis exemplum ſequuti, pluris faciamus Chriſti opprobrium quàm Ægyptiarum omnium diuitiarum ingentes aceruos Heb. 11. 24 denique vt in hac etiam media mundi camarina collocati, fructus edamus & dulcedine & ſuauitate gratos illi qui nos ex hoc mundo in ſanctam illam domum ſuam tranſtulit. Interim verò noſtræ ſegnitiei & ingratitudinis nobis conſcij, veniam ac clementiſſimi Patris miſericordiam ſequentibus precibus inuocabimus.

Omnipotens Deus &c.



IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA DECIMASEPTIMA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.2. verſ.2.&.3.

2 Qualis eſt Pomus inter Syluarum arbores: talis eſt Dilectus meus inter iuuenes. Eius vmbram expetiui, & (*ſub ea*) ſedi: & (*fuit*) fructus eius palatio meo ſuauiſſimus.

3 Introduxit me in domum conuiuij: Vexillum eius ſuper me eſt Dilectio.

Cur Sponſus quoque comparetur cum Pomo.

Præcedente verſu Sponſus, & ſui ſtatus egregiè gnarus, & conditionis ſuæ Sponſæ apprimè intelligens, teſtatus eſt tum ſuam præſtantiam, tum quem in Sponſa ſua ornatum decentem ac ſibi gratum habeat. Nũc illa viciſſim prædicat quæ bona in tanta ſui Sponſi præſtantia obſeruauerit ſimul & in ſe receperit. Eum itaque confert cum Pomo fructibus ſuauiſſimis onuſta, quam agreſtium plantarum ac planè arbori diſſimilium ſylua circumſideat: in qua ſimilitudine ardua ſanè & recondita myſteria continentur. Primùm igitur, verum quidem eſt ſi vitæ Spiritualis qualis ſit in ſeſe alimonia ſpectetur, vel

vel vnicæ rosæ, vel alterius cuiuslibet suauis floris simplici odore, expressiùs & conuenientiùs illam nobis repræsentari, quàm vlla cibi solidioris materia, veluti Pomi, Pyri, aut huiusmodi generis fructuum substantia. Sed vt certiores fiamus eorum quæ ad æternam illam vitam necessariò requiruntur, fidei nostræ infirmitas postulat vt doceatur ratione quadam nostro captui accommodata. Quoniam igitur homines neutiquam odoratu nutriuntur, sed esu & potu indigent: idcirco Dei Spiritus eundem Sponsum quem paulò antè Rosæ atque Lilio similem dixerat cum Pomo vel eiusmodi generis arbore comparat. Vocabulum enim quo vsus est Solomon sua lingua vulgari, vt & Pomi appellatio apud Latinos, comprehendit vniuersim arbores omnes, quarum fructus cedunt mortaliũ alimento, cuiuscunque generis illæ sint: siue ex acinis, siue ex nucleis nascantur. Haud aliter sub legis pedagogia visum est Deo Sponsum istum & quidquid ex illo percipimus, sacrificiis & oblationibus solidiorum, ac magis, vt ita dicam, corpulentarum creaturarũ, Ecclesiæ suæ representare. Immò etiam idem in nouo fœdere ab ipso factum videmus, aquã in Baptismo, panem & vinum in sacra Domini Cæna nobis ordinante, vt sint earum rerum exteriora signa, quas ipse spiritualiter in nobis efficit, idque vsque ad consummationem huius seculi.

Arbori igitur pomiferæ assimilatur Spon- *Quanta sit*

in mundum inuecta per hominis lapsum compmutatio: & inter hanc Pomum & cæteras arbores quantum intersit.

sus à Sponsa, sed inter nemorum saltus, & alias arbores ipsi prorsus dissimiles plantatæ. Vnde conspicere licet quæ sit conuenientia & cognatio inter Ecclesiam, quæ Rosæ inter spinas enatæ assimilatur, & illius Sponsum cum arbore suaues fructus edente, sed inter nemorum arbores sata, collatum. Cæterùm ante lapsum hominis longè aliter sese res habebant. Omnes quippe res conditæ, & illarū fructus cum Deo creatore conspirabant: nec quidquam erat quod ab ipsa Hominis natura dissideret, idcirco conditi vt hæc inferiora regeret, & in illis secundùm Deum imperaret. Sed spinis & tribulis per hominis peccatum enatis Gen. 3 18: mirum non est tantam immutationem mundi consequutam. Sed est potiùs cur admiremur tantam esse potuisse Domini bonitatem, vt aliquam orbis terrarū particulàm sustineat repurgare, & in qua ipse sese vt arborem ipsius æternæ vitæ feracem repræsentet collocare, sub cuius vmbra certos aliquos diuinitus electos pascat. Apud Danielem (Daniel. 4.20.) legimus quidem potentissimum illum regem Nebucadnezerem cum arbore procera & patula conferri, cuius vmbra maxima pars mundi tegeretur. Sed fuit hæc potestas temporaria duntaxat, & parum diuturna. Sunt enim huiusmodi arbores non tantùm succisioni, sed etiam extirpationi, atque adeò consumptioni obnoxiæ. Sed Pomus illa de qua hic agitur, illum nobis repræsentat cuius regnum est æternum,

num, vt ei promisit Pater à quo est plantata: cæteris agrestibus plantis suo tempore excindendis, ac in ignem æternum coniiciendis. Hic est igitur surculus ille ex Isai trunco proditurus, sub cuius ramis populi orbis terrarum omnes erant quietem inuenturi, Esa. 11.1.& 10. Hæc illa est arbor vitæ, per illam in horto Edem satam adumbrata Gen. 2.9. ex qua quisquis edit non moritur. Apoc. 2.7. Sed obseruemus diligenter quod addit Spõsa. Quorsum enim nobis hanc arborem qua nõ vtamur? Beata sunt vbera quæ suxisti, inquiebat illa muliercula Luc. 11. 27. & beatus vterus in quo gestatus fuisti. Immò, respõdit ei Dominus, beati sunt qui verbum Dei auaudiunt, & illud obseruant. Et hoc illud est quod hîc ait Sponsa, sese vdelicet sub arbore illa consedisse, & ex eius fructu edisse, cuius suauitate sit mirum in modum delectata, quę singula ipsius verba sunt diligenter expendenda.

Vnde oriatur appetitio vescendi huius arboris fructibus opposita illi arbori quæ fuit primis illis nostris parentibus mortifera.

Expetiui, inquit, *eius vmbram.* Est igitur nobis hæc appetitio, quam etiam vulgato prouerbio vocant omnium ciborum condimentum, imprimis necessaria. Sed illa, quæso, an ex nobis est? Minimè profectò vt experientia demonstrat. Tantùm enim abest vt mundus hunc cibum appetat, vt contra vix ex centum hominum myriadibus vnus inueniantur, qui aures ad audiendum, pedes ad ambulandum, manus ad hunc cibum petendum & recipiendum habeat: quamuis iam

olim Sponsus per illum Prophetam suum vociferatus, Adeste (inquiebat) ad aquas quisquis sitit: & quibus deest pecunia, adeste, cõparate, comedite, venite, comparate absque pecunia, & absque prætio vinum & lac 1. Cur expenditis pecuniam pro eo quod cibus non est, & laborem vestrum pro eo quod non satiat? Quin potiùs mihi auscultate vt comedatis bonum & in pinguedine oblectet se anima vestra? Erigite aurem vestram, & ad me venite, audite & viuet anima vestra: feriam enim vobiscum fœdus sempiternum, misericordias Dauidis certissimas. Esa. 55. 1. Sed & ipsemet postea in medio templo stans, & suo ipsius ore inclamans, Si quis sitit (inquit) veniat ad me, & bibat. Qui credit in me flumina aquæ viuæ ex eius ventre promanabunt. Ioh. 7.37: & alibi, Venite (inquit) ad me omnes qui fatigati estis, & onerati, & ego faciam vt requiescatis, Matth. 11.28. Quinetiam quàmplurimi alij ex inuitatis ad hoc epulum, planè illud aspernantur. Alij (quod planè miserrimum est) tantum absunt ab eo vt cibum receptum & mansum concoquant, sicut oportuit, vt illum etiam euomant. Agite igitur, Fratres, quum ita simus ex naturæ nostræ corruptione comparati, vt nihil appetamus nisi quod est nobis noxium vel etiam lethiferum: sedulò Deum precemur vt in nobis cõtrariam appetitionem creet, quæ nos ad huius pulcherrimi simul & suauissimi fructus consi-

considerationem & fruitionem alliciat. Legimus Euam primam generis humani parentem, serpentis veneno afflatam, cupiuisse illo interdicto fructu vesci, qui aspectu pulcher esset, & bonus ad vescendum. Neque sanè in eo fallebatur quod illũ aspectu pulchrũ esse iudicaret: sed, si mentis compos fuisset, nunquam aptum esse ad vescendum existimasset, cuius esum sibi interdictũ esse ex ore ipsius Dei intellexerat. Eadem fraude Satan etiamnum hodie vtitur, cupiditatibus nostris nos adoriens, exteriore specie nos pelliciens, ac tandem in transgressionem vsque præcipites agens: grauiùs sanè quàm olim peccantes. Arbor enim illa quam pulchram esse Eua iudicauit, erat sanè perpulchra, quamuis minimè esculenta. Nos autem non modo pulchritudine & bonitate rerum conditarum abutimur, Euæ exemplum sequuti: verùmetiam ea obruimur mentis caligine, vt sæpius nobis honestiora videantur quæ turpissima sunt, & suauiora videantur quæ sunt amarissima: donec Deus pro immensa benignitate sua, sensus nostros instruat ad veram boni & mali dignotionem Heb. 5. 14. Denique hæc illa arbor est ex cuius fructu quisquis edit, mori non poterit: illi ex diametro repugnans quam attingere citra mortis periculum non licuit.

Quum autẽ huius interdictę arboris degustatio appetitum hac altera vescendi in nobis *Non satis est illam ar-*

borē vt pulchrā spectare & laudare: verùm est sub illius vmbra considendum.

extinxerit, quæ tamen præsentaneum est aduersus mortem remedium: quid potiùs facere nos oportet, quàm vt à Deo efflagitemus vt nos donet vera bonorum istorū fructuū notitia, quæ desiderium in mentibus nostris excitet, sub huius arboris vmbra considendi, quod est vnicè à nobis expetendum: Nam inter commoda quæ nobis arbores suppeditant, istud non est infimum, quòd aduersus æstum, locis præsertim calidioribus & Sole exustis, gratissimum præbeant vmbraculum & saluberrimum. At qualis est ardor, quæso, cum eo conferendus quo totus hic mundus æstuat, & quem in sinu circumfouemus quasi inferorum fornacem? vbi ardet ignis ille nūquam extinguendus? Hoc tamen verum est, infelicis illius suæ conditionis immemores homines (vt diues ille epulo de quo Luc. 18.) aliquod etiam refrigerium in istis mundanis commodis sibi videri sentire, vsque adeò vt nullos habeant magis exosos, quàm illos à quibus ad auram illam temperatissimam retrahuntur. Sed tandem miserrimos illos tanti neglecti boni serò pænitet, quùm ab illo suo in quo sibi tantopere placebant æstu, in ardentissimam & immedicabilem febrim inciderunt. Hæc demum igitur arbor illa est, cuius vnius vmbraculum quietem conscientiis præbet, ideóque summè expetenda: quò nos ipsemet inuitat Matth. 11. 24. His autem quæ diximus adiiciendum est quod ait Sponsa, sese videlicet sub hoc vmbraculo Pomi substitisse,

tiſſe. Quid enim profuerit aliquò venire vt inde mox diſcedas? Huius inconſtantiæ pœnas luunt hodie, non pauci leuiſſimi & volaticides homines, quorum ſpecioſa initia turpiſſimos habent exitus. Dum ſcilicet alij in vtramuis partem claudicant, incerti quò ſe vertant: quod ſui temporis hominibus exprobrat Elias 1. Reg. 18. 24: alij fluctuantes, quouis vento abripiuntur Epheſ. 4. 14. Iac. 1. 6: alij denique retro pedem referunt quales ſunt hodie tot perditiſſimi apoſtatæ, quibus bonum foret nunquam extitiſſe. Hos autem omnes arguit Sponſa, teſtificans quòd ſub eius vmbra conſederit: neque iſtos ſolùm, verumetiam curioſos illos qui ad arborem quidem accedunt, ſed ſpectandi duntaxat cauſa, aut illic conſidentes annotandi: & negotioſos nonnullos qui ab hac quidem vmbra neque diſcedunt, neque recedere cogitant, ſed hûc & illuc diſcurrentes ita perpetuò ſatagunt vt vix vllum inde ſolatium ſolidum percipiant. In hoc certè peccauit Martha tantopere de hoc ipſo hoſpite ſuo opiparè excipiendo ſollicita, vt vero immortalitatis cibo pene neglecto, Mariam ſororem ſuā interea ſedere ad Chriſti pedes, ipſius doctrinæ audiendæ totam vacare, indignaretur. Quid autem illi Dominus? Martha, inquit, ſollicita es de multis. Atqui vna re opus eſt: Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Vtinam verò nos iſta Chriſti verba ſeriò tandem apprehenſa, ſicuti par eſt,

meditemur. Sic enim vera inter nos pietas vigebit, pro iis quæ passim maximo nostro cũ dolore videre cogimur. Hinc enim illa turba otiosorum deambulantium, & de nouis rebus, Atheniensium illorum instar, curiosè inter se rogitantium de quibus Lucas Act. 17. 21. Hinc ganeones mensis totum diem assidentes. Hinc alij in suis recensendis & vendendis totis animis occupatissimi. Alij vndique ad sua debita exigenda vel fœnera potius properantes, tum maximè eo ipso tempore quo nos Dominus ad se audiendum, & ad saluberrimum illud opacum suum frigus captandum tám benignè inuitat: quibus de rebus iam pridem conquerimur, & singulos etiam corripimus. Sed frustra. Nam à filiis demum suis iustificatur, Sapientia Mat. 11. 19.

Non tãtùm captanda est vmbra huius arboris, sed etiam eius fructibus vescendum est, & eorum suauitate fouendum.

Sponsa igitur nostra non sic: immò contrà profitetur sese sub hac vmbra consedisse: & quidem minimè otiosam, sed vt sedens huius arboris fructibus vesceretur, quorũ suauitatem mirum in modum commendat. Cæterùm hæc Dei domus in quam deducta est hæc Sponsa, vnicum videlicet Ecclesiæ perfugium, nõ est certè ædificium aliquod certo quodam spatio circunscriptum, vel instar Basilicæ, cuius tum cõcameratę porticus longua serie columnarum protendantur, tum atria varij ac peregrini marmoris incrustationibus, & auro vel argento refulgeant: neque vbi symphoniacorum inanes concentus, vel organorum soni solas aures demulceant.

Sed

Sed locus ille est in quo purus Dei sermo, cunctis adstantibus & audientibus, personat: adiunctis exhortationibus, consolationibus, admonitionibus, reprehensionibus opportunis, & ad salutem necessariis: vnde nullus inanis, sed optimè vero solidóque cibo pastus digreditur, quod ad illos quidẽ attinet, quorum animabus suauitas illius cibi incomparabilis sapit. Hic enim est cibus ille cuius dulcedine capti Petrus & alij Iesu Christi veri discipuli, cæteris abeuntibus, cum præceptore suo permanẽtes, voce Petri responderũt, Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, Ioh.6.68: vt etiam Psal.19.8 hisce verbis describitur, Præcepta Iehouæ recta sunt, & cor exhilarantia: testimonium Iehouæ verax, illuminans oculos. Timor Iehouæ syncerus, permanens in seculum. Iudicia Iehouæ sunt vera, & pariter iusta, & desiderabiliora quàm aurum vel purgatissimum, & dulciora melle & fauis stillantibus.

Ab hac arbore cur Spõsa in Basilicã epuli deducatur: quæ nobis etiam hodie in Sacramẽtorum ac præsertim sacræ Cœnæ administratione Verbi prædicationi adiuncta repræsentatur.

Ostensura præterea Sponsa quàm liberaliter à suo Sponso non tãtùm cibo, sed etiam potu sit refecta, testatur se ab eo introductã fuisse in penum vinariam: nisi potius ita significari malimus, ipsum locum nuptialibus sumendis epulis destinatum. Est autem hic in primis animaduertendum Sponsam minimè dicere se illuc vltrò profectam, sed à suo Spõso fuisse illuc introductam: nempe vt mentibus nostris istud perpetuò infixũ maneat: quemadmodum à gratia salus nostra initium habet, rectam voluntatem in nobis creante,

ita necesse esse vt eadem gratia voluntatem illam dirigat, alioqui statim aberraturam, & ad ingenium redituram: nobis, si ea destituamur, simulatque pedem mouerimus, turpiter corruituris. Sed vt Sponsus Sponsæ præit, sic Sponsæ partes sunt, præeuntem ducem subsequi. Itaque non satis est priuatim illo fructu vesci, sed ad conuiuium est accedendum. Fratribus, inquam, adiungere se oportet, & coram hominibus palàm præclaram edere confessionem: ad quem finem ab ipso mūdi initio dies septimus fuit à reliquis separatus: & sub Lege tres illi Festi dies solennes instituti. Talia fuerunt etiam initio Christianæ Ecclesiæ conuiuia illa quorum fit mentio in Actis Apostolicis, & 1.Cor.11.20. & Iud.12. coniuncta cum Cœnæ Domini celebratione. Quid igitur fiet nostri seculi Pseudonicodemitis, & iis omnibus, qui hominum metu perculsi, latebras quærunt: & sibi persuadent non esse necessarium huic Epulo, id est sacris cœtibus, interesse? Immò verò vult quidem Dominus, vt ad hanc arborem assidentes, sigillatim pro se quisque verbum ipsius meditetur, & preces concipiat: sed idem etiam requirit, vt in cœtum ipsum ingressi, in communi, hoc cibo vescamur, Matth.10.32: quamobrem etiam peculiari promissione sanciti sunt cōmunes Christianorum cœtus, Matth.18.20. & 24.18. disertè quoque secessiones istiusmodi damnante Apostolo Heb.10.25: quem contemptum in

quàm-

quàmplurimis seuerissimè Dominus vindicauit iam olim, & etiamnum hodie vlciscitur. Sed & hinc discamus oportet, gratiam gratiæ superaddi, bene vtentibus prioribus donis, vt in parabola talentorum docemur, Matth.25.& hoc loco declarat Sponsa, quum áit sese quum apud hanc arborem anteà sederet, eiúsque fructibus auidè vesceretur, postea fuisse interiùs, nempe in Basilicam vsque solennis epuli deductam: vbi copiosiùs fuerit pasta: vsque adeò vt tanta comitate támque beneuola exceptione quasi extra sese abrepta, animo pene deficeret. Denique obseruatione dignissimum est quod breuiter paulò antè attigimus: nos videlicet à Christo non modo cibo sed etiam potu refici: vt certi simus in illo vno quærendũ, & ex illo vno sumendũ quidquid ad alimẽtũ & vitã spiritualẽ requiritur. Nam hoc quoque apertè nobis quasi oculis ipsis vidẽdum ac manibus palpandum tradidit, partim in Pane illo sacrę Cœnæ, vt certo testimonio cõmunicati corporis pro nobis traditi: partim in Vino illo, quod est sanguinis eiusdem preciosissimi, nostræ ablutionis causa effusi, sacramentum: minimè id quidem vt corpus illud & sanguis ille, Christus ipse denique & ipsius beneficia in illa sacra Cœna nostris oculis ostententur, quum non nisi internis animi in cœlum vsque subuecti oculis, cerni possint: sed vt nobis ad spiritualem æternámque vitam in-

de ratione itidem spirituali hauriendam, per fidem communicentur. Idem statuendum est de ordinaria verbi Dei administratione: in qua idem Iesus Christus totus integérque nobis sese offert, fidei nostræ veluti manibus excipiendus.

Quæ & vbi sit hæc Basilica, & quomodo sese in illa gerere deceat.

Quocirca (Fratres in Domino charissimi) memores nos esse decet, hoc ipso, inquam, in loco, & vbicunque congregantur Christum profitentes, (etiamsi duo vel tres duntaxat conuenerint) illic, inquam, esse penum illam vinariam, & huius nuptialis epuli Basilicam, cuius fit mentio Luc. 14. 16. Ecquis est autem vsqueadeò impurus & impudens, vt ad capiendū cibum ab aliquo potentissimo Principe inuitatus, turpe & sordidum quidpiam sciens prudens eò importet? Itaque muneris officiíque nostri foret, ad tubæ Domini sonitum, tinnitum scilicet campanæ, quo ex more ad sacras conciones conuocamur, non modo illuc concurrere, sed etiam aduolare: ídque non temerè, nec incogitanter, sed præeunte vera cordis contritione, & consideratione, tum mortis illius qui nos insigni sua misericordia præuentos inuitat, tum illius incorruptibilis thesauri, cuius nos in illo ipso conuentu participes efficere vult: vt ita affecti, coram ipsius facie animos afferamus dociles, & huius cibi sumendi auitos: denique vt desiderium longè maximum tam pretiosum cibum excipiendi, comedendi, gustandi, concoquendi afferamus: huius tam

præstiosæ

prætiosæ alimoniæ effecta foris & domi, procul & proximè, omnibus corporis & animi actionibus, omnibus sanctis testaturi. Sed quorsum & quibus ista? Mirum certè non est paucissimos istius liberalitatis immensæ fructum nullum percipere: quum plerique illam prorsus aspernentur, alij leuiter & dicis causa illam delibent: paucissimi denique cibum illum concoquant vt eo nutriantur. Res, Eheu, miserabilis, & quæ caro nobis cõstabit, nisi melius nobis caueamus,

Cæterùm quænam est (obsecro) Basilicæ istius epulis consecratæ conuenientia cum fœdissimis illis lustris idolorum, quæ vocant idiotarum, siue plebeiorum hominum, libros? vbi prætiosissimi honoris illius loco, aures quidem vano boatu conplentur, mentes verò mille mendaciorũ veneno inficiuntur? vbi, pietatis pretextu, & quasi animæ piorum in Ecclesia per procuratores cibo vitæ pascantur, non modo priuatorum domus, sed etiam sceptra & coronæ deuorantur? vbi pro vero Iesu Christo, panaceus miseris populis spectandus & adorandus proponitur? vbi denique ne quid ad summum sacrilegium deesset alterum ex Sacramentis sacræ Cænæ Domini penitus sublatum est, alterum in horrendum idolum est trasmutatum? quod si grauissima condemnatione digni sunt, vti sane sunt, qui tantis scelerbius tenẽtur: quid nõ merẽtur qui ad hoc epulũ ritè instructũ, & administratũ, indignè accedũt? *Collatio huius veræ basilicæ cum lustris falsæ Ecclesiæ.*

Descriptio vexilli dilectionis, sub quo quiescit Ecclesia.

Cæterùm leuiter prætereundum non est quod adiicit Sponsa: nempe Spôsi vexillum quo ipsa tegitur, seu ad quod se recipit *Amoris* aut *Beneuolentiæ* nomine esse insigne. Quemadmodum in re militari signis distinguuntur cohortes, & manipuli, & singulis militibus quæ signa sequãtur attributa sunt: sic Amor quo nos Christus prosequitur, vnus ille est quo singuli fideles in vnum corpus, quod estEcclesia, congregati coalescunt: quo alij cum aliis firmissimo charitatis vinculò conglutinantur, quo in omnibus periculis & grauissimis pugnis sustentantur ac proteguntur. Quo enim hominum merito Deus ille Opt. Max. illectus orbis huius machinam in hominum gratiam creauit? Annon sola sua voluntate adductus, creaturam eiusmodi efformare ab æterno constituit, in qua singulare dilectionis & amoris testimonium demonstraret? & quam donis singularibus ornatam eò vsque extolleret, vt in omnes inferiores res creatas imperium ipsi attribueret: atque adeò cui, tanquam sibi solis reseruatis cœlis, in inferiora omnia dominatum concederet? Sic Psalm. 115. 16. Propheta exclamat, Cœlum cœli Domino terram autem dedit filiis hominum. Maximum certè beneficium, imò tantum vt illius magnitudinẽ nemo facilè posit mẽte complecti. Sed tamen quantulũ illud est, quæso, præ eo beneuolẽtiæ testimonio quod in miserrimæ, abiectisimæ, perfidiosisimæque istius

istius creaturæ redemptionis mysterio apparuit? Quis enim humana mente assequatur immēsam illam bonitatem qua effectum est vt æternæ mortis supplicio dignus homo, non modò tamen non interierit, sed culpæ etiam suæ interuentu, ad tantum dignitatis fastigium euehatur, vt supra ipsos Angelos in Filio Dei emineat? Ephes.1.3.& 4. Inde fit vt optimo iure nobis exclamare liceat, (minimè quidem vt id quod malū est laudetur, sed vt omnem illi laudem deferamus qui lucem è tenebris educit,) ô bis térque felicem lapsum qui tam altè nos sublatos euehis! felices tenebras, sine quibus verissima illa lux nunquam fuerat nobis apparitura! Nam futurus quidem erat homo, nisi tanto hoc lapsu ab ingentibus & eximijs illis dotibus excidisset quibus à Deo fuerat exornatus, velut pulcherrima inuisibilis creatoris spectāda omnium oculis imago. Ex lapsu verò quo brutis animātibus similis effectus est, occasionem sumpsit Creator, non tantùm ad illum propiùs accedendi, sed etiam hominis sibi adeò stricto & indiuiduo nexu vniendi, vt Homo & Dei Filius æternus, vnica sint persona, Homo Deus, & Deus Homo. Ecquid verò Deū ad istud tātū opus impulit certè sola ipsius bonitas & dilectio, vt Propheta exclamat, Psal.8.5. & 144.3. Et quis contra sentiat? Qua re denique adactus est Deus Opt. Max. vt, quod in consilio & mente sua æterna sic proposuerat, tam noua, tam inaudita,

tam admiranda ratione perficeret, vt Angeli ipsi in totum hoc mysterium penitiùs intueri auidissimè expetāt: hoc iam olim indicante figura duorum Cherubim qui Propitiatorio, id est, arcæ operculo insistentes, aduersis faciebus in ipsam arcam intuebantur? Exod.25.20, & 1.Petr.1.12. Hoc profectò non aliunde quàm ab eadem illa immensà dilectione promanauit, qua nos in Filio suo gratos habuit, Ephes.1.6. Ioh.3.16. Æternum porrò Dei Filium quid excitauit ad tam miseram istam, & omni sordium genere fœdatam puellam (Ecclesiam videlicet) sibi desponsandam, Ezech. 16.8, & tot illi adulteria condonanda? Ierem. 3.1. Quid amplius? ecquid illum ad Patris subeundam maledictionem, vt pro illa fieret execratio? Gal.3.13. ad semetipsum pro ea morti exponendum? ad peccata illius in corpore suo super lignum, lignum, inquam, crucis perferenda, impulit? 1.Petr.2.24. Philip.2.8. Sola illa nimirum eius Beneuolentia, cuius profunditatem, sublimitatem, latitudinem, longitudinem assequi humanarum non est virium, Ephes.3.18. En fidei nostræ firmum & immotum fundamentum, fiducia videlicet huius summæ Dei erga nos dilectionis. Quînam verò in illum sperare, quînam illum inuocare auderemus nisi Spiritus sancti nos doceutis, & in nostris cordibus tantum Dei erga nos amorem obsignātis testimonio niteremur? Rom.8.15. Gal.4.6. 1.Cor.2.12. Iacob. 1.6. Denique vt rem in pauca conferā, Sponsa verbis

verbis istis testatur sese vnico illo Amore quo Sponsus eam complectitur fretam, & hoc vno Vexillo tectam, ad Deum vt ad asylum suum confugere, ab illo solatium in rebus afflictis petere, illius ope se ab omni metu liberam, & à mundi colluuie discretam. Neque mirum est huic Vexillo nomẽ Amoris attribui, quum longè adhuc significantiùs Deus ipse Dilectio dicatur, cuius ipse sit origo, vt ad nos inde profluat. Est enim Deo velut insitus hominum Amor: eorum quidem quos in Filio suo elegit, iustificauit, sanctificauit, tandem in eodem glorificandos, Rom. 8.28. Hic autem Dei in nos Amor alium in nobis Amorem gignit, quibus datur, vt eum cuius tantus est erga nos amor, vicissim redamemus, quod ex hoc toto Cantico constat. Idcirco adiicit Sponsa se præ istius amoris mutui magnitudine deliquiũ animi passam: quorum verborum explicationem in aliam concionem reiiciemus.

Hoc autem superest, vt hanc doctrinam tam suauem & tam pretiosam minimè asper- *Inuitatio ad hoc epulum* nati, suauissimos ex ea fructus referamus: id est diuinitus in hanc ædem huius epuli quotidie inuitati, exterioribus istis omnibus caducis & planè vanis neglectis, tam opiparo & lauto conuiuio perfruamur: mundi (inquam) huius delitiarũ & nostri ipsius obliti, res istas terrenas præ se nescio quid splẽdoris & voluptatis ferentes, vanissimam esse vanitatem ex altero libro Solomonis discamus:

Vinum illud mentes instaurans in hoc conuiuio bibamus, dulces fructus vitæ æternæ comedamus. Cor denique nostrum supra omnes cœlos attollamus, in quibus à Domino pansis vlnis amplectendi, & sinu ipsius fouendi expectamur: futuri, inquam, cohæredes & consortes regni cœlorum cum eo cuius in nos Amor & hactenus fuit singularis, & est deinceps ad omnem æternitatem duraturus. Quoniam autem hactenus officio nostro neglecto tam pigri, tam negligentes, tam mundo isti dediti, tam nostri studiosi, imò & tam contumaces támque præfracti, támque ingrati fuimus, vt nihil suprà: agite, Fratres, supplici mente, singuli misericordiam Dei nostri verbis istis deprecemur. Domine Deus, &c.

* *
*



IN CANTICVM CANCORVM HOMILIA DECIMAOCTAVA.

Auxlium noſtrum ſit à Domino, &c.

Quod ſequitur extat in Cap.2.verſ.5.6.& 7.

5 Fulcite me phialis: ſtipate me pomis. Nam amore langueo.

6 Læua eius *ſit* ſub capite meo, & dextra eius amplexetur me.

7 Adiuro vos, filiæ Ieruſalei, per Capreas vel Ceruas agri, ne ſuſcitetis, & ne euigilare faciatis amorem hunc meum, donec velit.

SPonſam in Baſilica conuiuij in ſtatu longè optatiſſimo reliquimus: At contrarium nũc ex eius verbis colligendũ videtur, haud aliter loquentis quàm ſi, viribus deficientibus animã ageret. Eſt igitur ex iſtis generis humani agnoſcẽda imbecillitas, qua fit vt mortales neque res ſecũdas neque aduerſas, ſi vel tantillò quàm ferant vires eorum maiores ingruerint, tolerare queant. Idem enim hîc euenit quod in reliquis humanis rebus, vbi ſæpe accidere conſpicimus, vt nimia triſtitia corde coarctato, vel contra nimio aut nimis ſubito gaudio dilatato, homines repentè exanimentur. Ita pleriſque locis ſacræ hiſtoriæ videmus ſanctos illos Patres ad temporis momentum aliquod deliquium

Nemo ne ex integerrimis quidem ſatis capax eſt ſuauitatis epularum huius conuiuii: ſed non eſt propterea abiicienda horum ferculorum appetentia.

passos, si fortè splendidiùs & illustriùs solito, diuinę præsentis Maiestatis signũ ipsis appareret. Sic etiã Apostolus, quum Deus illi ineffabilia patefaceret, ita se abreptũ asseuerat, vt ne nouerit quidem an cum ipso corpore, an verò extra corpus sola mente illa conspexerit, 2. Cor. 12. 2: quod etiam Prophetis accidisse, aut non absimile, quum Dei Spiritu afflarẽtur, ex primi Sam. cap. 19. 24, & aliis plerisque locis apparet. Hæc etiam causa est, cur hoc loco Spõsa, tã lauto támq; splendido excepta conuiuio, & immẽsum in se Sponsi fauorẽ persentiens, & tam Mali istius dulcedine, quàm Potus fragrantia & sapore delinita, penè se exanimari dicat, quòd de repentè tãti beneficij capax esse nequeat: nõ tamen quòd eius cibi appetitum amiserit. Nã è contrario Vinũ istud & hæc Poma sibi præberi requirit, sed ita sibi paulatim subministrata, vt ipsius vires quæ alioquin præ nimia abũdantia penitus defecturæ videbantur, paulatim instaurẽtur ac reficiantur. *Ergo*, inquit, *fulcite me vino illo, & mihi poma substernite quorum odore recreer*: vt moris esse videmus ægros deficiẽtes non cibo aut potu ampliore reficere, sed vini guttulis & odore recreare.

Expostulatio aduersus harum epularum contemptores.

Sed, proh dolor! quid hoc loco aliud eloquar, nisi quòd iam ante multos annos nulla penè ampliùs vt ita dicã in terris Ecclesia esse videtur. Nostro enim, nostro, inquam, tempore, quo Deus per immensam suam misericordiam nõ modò huius conuiuij basilicam instaurauit, sed nos etiã in eã traduxit, & eun

dẽ in ea cibũ, eundémq; potũ, tanto cũ apparatu vt addi ei nihil possit, nobis quotidie prębet: vbi cõspicias nõ dico quos præ tã immẽsæ bonitatis & liberalitatis apprehẽsione vires deficiant, sed qui ad hanc mẽsam assidere, qui, si assederint, cibum hũc depascere, degustare cum appetitu & concoquere dignẽtur? An non cõtrà nobis idem quod Israelitis accidit, quos cibi cœlestis Mannæ statim fastidium cepit, quam tamen ab initio tantopere laudauerãt? Exo.16.16. Num.11.6. Vtinã igitur Dominus in nobis hũc sanctũ appetitum acuat, nostri gustus stuporẽ tollat, efficiat denique vt vera simus hæc ipsius Sponsa.

Quod sit discrimen vini ex puris doliis hausti, & seu vappæ, seu acidi ac etiam veneno infecti vini: &, ex qua arbore decerpantur poma, quæ vires deficientes instaurent.

Est istud præterea obseruatione dignum Sponsam nõ de quolibet vino hic agere, sed *Vinum ex lagenis Sponsi haustum flagitare*. Nã est quoddam vinum mixtum, quale illud fuit quod potandũ Pharisęi populo propinabant. Est & acidũ & vappa, imò & venenatũ: quale illud est quod à meretrice illa super septẽ Mõtes sedẽte propinatũ, Reges & terrę incolas inebriat, Apoc.17.2. & ad insaniã redigit, vt de altera Babylone loquitur Iere.51.7. Quãobrẽ summopere cauendũ est ne hac in parte decipiamur: est enim hæc ætas feracissima, si vnquam alia vlla, istiusmodi cauponũ vinum adulterantiũ, id est Dẽi doctrinam deprauantium & adulterãtium, quã tamen simplicẽ & synceram proponi iubet Dominus, per Apostolũ, testificans, 2.Cor.2.17. & alibi fidelium gregem admonens, vt omnia explorent, &

quod bonũ fuerit, retineant, 1. Theſ. 5. 21. Sunt igitur Beræenſes imitandi qui vt ex Act. cap. 17. 11. liquet, priuſquàm ſibi ab Apoſtolo, licèt fideli Domini miniſtro, vinum propinatum reciperent, diligenter ſcrutati ſunt an benè illi cum vino veterum doliorum aut phialarum, ſcriptis inquam Prophetarum, cõueniret: quod vbi compererunt, tum demum illud exceptum ſumma cum alacritate voluptate permixta biberũt. Ideò dicit Dominus, Matth. 13 52, Omnem Scribam edoctum in regno cœlorum, ſimilem eſſe prouido patrifamiliàs qui profert è theſauro ſuo noua & vetera: quò etiam illud eſt referendum quod Sponſa Cantici huius capite ſeptimo v. 13. de fructibus veteribus & recẽtibus commemorat. Nec eſt minore rurſus diligentia & cautione fugiendus hac in parte Satanæ & miniſtrorum eius aſtus, perſuadere nobis nitentium, Vinum omne vetus ſine diſcrimine recipiendum & laudandum: falsò id quidem. Vetera enim multa vina non minùs quàm noua permixta & adulterata, adde & veneno infecta reperias: quod eſt ſumma diligentia præcauendum. Vt autem vel ex eo nunquam bibamus, vel ſi fortè bibere contigerit illicò euomamus, hic tenẽdus eſt modus. Primùm, vt diligenter animaduertamus an ex veris phialis penus Domini depromptum ſit, quas vocamus ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum ſiue Vetus ac Nouum Teſtamentum, & quicquid aliunde hauſtum fuerit, ſine diſcrimine

mine procul à nobis reiiciamus. Deinde, quoniam cauponum istorum tanta est versutia, vt mero etiam ex ipsis Domini phialis deprompto venenum misceant: rursus hæc est adhibẽda cautio, vt non tãtùm colorem, quem scitissimè fucare norunt, sed etiam saporẽ & gustum diligenter obseruemus antequam vel guttulam inde in ventriculum traiiciamus. Sic enim fiet vt verum an mixtum sit facillimè percipiatur. Dico, inquam, attendendum & scrutandum esse an doctrinæ illi, quam isti obtrudunt, bene & per omnia cum fidei nostræ symbolo conueniat, quandoquidem fidei nostræ capita ex ipsis sacræ Scripturæ fontibus sunt certissima fide deprompta. Quod si factum erit, subitò veráne sit an falsa loci alicuius interpretatio patefiet. Eadem est etiam eius ratio quòd non simpliciter Sponsa optat sibi stratum ex Pomis substerni, sed ex Pomis demum illis, id est, ex vera Pomo collectis, quæ est vitæ arbor, ex qua quicunque comederit, nunquam morietur, sed in æternum viuet. Ioan. 6.51.

Attende porrò Sponsæ tanto beneficio non acquiescentis maius etiam alterum desiderium. Expetit enim à Spõso, vt suũ caput ipsius læua, dextra verò reliquum corpus fulciatur, ídque duabus de causis. Omnis enim illa vis & facultas quam vinum istud, & hæc Poma, (id est prædicatio verbi & administratio Sacramentorum) habent ad nos reficiendos & instaurandos, non aliunde manat

Vis illa quæ vim nutriẽdi cibis istis cõciliat, penes vnum Deum residet: qua in re grauissimè à nonnullis peccatur, tum in simplici

verbi prædicatione, tũ in Sacramẽtis.

quàm ab illa virtute & energia Spiritus sancti, nobis donati; sine cuius vi destitutum exterius istud verbum nihil aliud est, nisi sonus aures feriens, ac minimè penetrans: & Sacramenta ipsa, quidquid in suis scholis garriant Sophistæ, absque illo nihil aliud sunt nisi signa inania, quarum tamen cõtemptus, indignè ad eas res, ad verbum putà & Sacramenta, accedẽtes, reos mortis coram Domino peragit. Magorum enim & incãtatorum est aliquã vim nudæ ac simplici verborũ aut syllabarũ, siue intellectarũ & probatarũ, siue secus, pronũtiationi attribuere: nõ secus atq; etiã non solùm superstitio, sed infanda idolomania, docere signis Sacramentalibus vim quandã ac sanctitatẽ inhærere quæ in nobis operetur, quod ne de Angelis quidẽ dici potest. Tota enim ista vis intrinsecus in nostris animis operandi, ita Deo propria est, vt ad nullũ alium possit traduci, & nobis per verbum & Sacramenta sua Deus tanquã per notas & symbola duntaxat repræsentat ea quæ solus ipse in fideli anima, vnica sua vi & potentia perficit, quod dum ex vulgo petita similitudine, vt ne amplius ad planè magicam hanc incantationem impingamus, notũ facere conor, quæso, attẽdite. Quũ de corporis alimẽto quæritur, quoniam iam inde ab initio sic Deo visum est, vt animalia omnia vitã terrestrẽ & animalẽ, (sicut eam Paulus vocat 1. Cor. 15. 43.) iis omnib⁹ quæ terra produxerit tolerẽt, extra controuersiã est, Dominũ simul

etiam

etiam pani indidiſſe vim quandam quam E-zech.4.16. vocat baculũ panis, id eſt vim naturalem,robur & vires eius qui comederit & concoxerit ſuſtentandi, & vino pariter vim & proprietatem occultam fouendi & exhilarandi modicè illo vtentes Pſalm. 104. 15: quod etiam eſt de cæteris omnibus rebus creatis intelligendum quæ mortalibus v-tendæ fruendę cũ gratiarũ actione datæ ſunt ab illo ſuo Creatore,1.Tim.4.3. Idẽ etiã dictũ eſto de infinitis plantis & creaturis ad variis morbis ferẽda remedia deſtinatis, quibus facilè quiuis animaduertat vim ineſſe àDeo inauditã aduerſus varia morborũ genera, ſibi tamẽ reſeruato iure & poteſtate exerẽdæ aut coercendæ illius facultatis ex ſuo vnius arbitrio:vnde non immeritò panem noſtrũ quotidianum ab illo petimus, panem agnoſcentes vim nutriendi ab eo à quo & originẽ habet accipere,quantã & quòvſq; illã fuerit dimẽſus, ac proinde à ſolo illo tanquam prima omnium cauſa & ortum nos ducere,& in ſolo illo ſubſiſtere: ſed quod ad æternam vitam attinet,ſic eam totam in vno Chriſto vero & ſolo pane vitæ ineſſe agnoſcere nos oportet, vt nullã vnquam rem creatam nec fuiſſe nec futurã eſſe fateamur in qua vel minima ſcintilla huius vis & virtutis in æternam vitam verè viuificantis inhæreat. Quemadmodum enim Chriſtus ſolus quicquid ad ſalutem noſtram requirebatur, adimpleuit, ſic totam vim & facultatem tum qua diſponitur anima hominis ad percipiendum &

apprehendendum quicquid pro nobis effecit, tum qua per fidem sibi hæc salus applicatur in illius solo spiritu residere confitendū est per quem in nos ab illo defluit, qui & ipse est virtus Essentialis Patris & filij, & de quo ideò dixit Christus, De meo accipiet, quod renuntiabit vobis. Io.16.14. Quodnam igitur est Angelorum opus in nostra promouenda salute? Vt superioribus potestatibus, sic iubente & ordinante Domino, resistant, vt videre est multis apud Danielem locis: fideles instar agminis circumcingant: Gen.32.2.Psal.34.8: vt sint denique ministratores spiritus, qui ministerij causa salutis heredibus mittantur. Act. 10.3. Heb. 1. 14. non quòd in sese vim vllam habeant qua nos ad Deum trahant, Ioh.6.44. aut corda nostra lapidea in carnea conuertant. Ezech.36. 26. vel aures ad audiendum tribuant, Psal.40. 7. siue nostrum cor aperiant. Act. 16.14: multò minus qua nos aut sanctificent aut iustificent. Rom.8 30. Istud enim omne Dei patris nostri proprium est, per Spiritum Sanctum suum in Iesu Christo nos sibi gratos facientis. Hominum verò quos ad hoc ipsum opus eligit ac mittit, quæ partes sunt? Vt Christi nomine legatione fungantur, voluntatem eius nobis annuntiantes. 2. Cor. 5.20. vt serant plantent rigent aruum quod illis est colendum traditum: verbum videlicet Domini prædicando, & signa seu symbola Sacramentalia administrando. 1. Cor.3.6. At quis aruum istud natu-

ra

ra ſua petroſum & infæcundum, ad ſemen iſtud excipiendum pręparat & idoneum reddit? quis creſcendi, germen educendi, flores emittendi, fructificandi vim confert? Vnus ille Sol iuſtitiæ, quem ſolum Deus dextra ſua euectum conſtituit principem ac ſeruatorem, vt det reſipiſcentiam Iſraeli & remiſſionem peccatorum. Act. 5. 31. Verbi igitur vſus quis eſt? Vt ea animis hominum per aures repræſentet ad quæ ſignificanda in quouis idiomate adinuenta ſunt verba, nec quidquã amplius: adeò quidem vt quod ad eos attinet quibus idioma illud ignotum fuerit cuius ſonum audiunt, & eos qui idioma quidem intelligunt, ſed id percipiendi quod eorum aures pulſat, diſcernendi & approbandi capaces non ſunt, maioris non ſit momenti vel efficaciæ, quàm ſi mortuo verba fiant. Quænam verò Sacramentorum erit vis? Ea videlicet myſticè oculis exhibendi quæ Sacramentales promiſſiones auribus: & amplius nihil. Quænam igitur eſt aquæ Baptiſmatis in eius adminiſtratione vis & efficacia. Vt teſtetur oculis & cæteris ſenſibus eius qui baptiſatur quum adoleuerit, ſic iis qui crediderint omnia peccata morte & paſſione Chriſti deleri, & eoſdem à corruptione nobis naturaliter inſita, tandem aliquando in vita illa æterna glorificandos, repurgari, vt aqua communi ſordes corporis eluuntur. En quid aqua illa repræſentet, tantùm, aio, repræſentet: tantùm abeſt vt illorum aliquid in nobis

inchoandi, ac multò minus perficiendi vim vllam habeat: Nam eadem etiam ratione Sãcta siue sacra vocatur, non quòd aqua communi sanctior aut purior sit in seipsa, sed quòd, Deo sic ordinante, sancto illi fœderi, cælesti & spirituali nobis repræsentando sit consecrata. Idem prorsus de Sacramentalibus in S. Cœna signis nempe de hoc Pane & hoc vino, vt sacris testibus, sentiendnm: idcirco videlicet à Deo institutis, vt res inuisibiles & quæ sola vi & potestate Spiritus Sancti in IesuChristo intra nos perficiuntur, oculis nostris exhibeant: nempe, quod quemadmodum corporali modo panem & vinũ sumentes succum & alimoniã huius vitæ inde trahimus, & vires nostræ ex illorum vsu augescunt sic iubente & ordinante Deo: ita etiam, Christus Dominus noster, verus Deus & verus Homo, nõ fucata fide, spirituali modo siue mente receptus, sit noster, & nos vicissim illius: adeóque arcto nexu illi vnimur & conglutinamur per spiritualem hanc perceptionem, vt ex eo solo verum succum vitæ spiritualis & æternæ trahamus, & sic tum corpore tum anima, quum vltimus ille optatissimus dies aduenerit, in ipso vitam æternã viuamus. Rursum igitur aio, non modò manifestam esse ac detestandam superstitionem, sed etiam idolomaniam, vim vllam intrinsecam verbis ore prolatis & demurmuratis, licet à Deo ordinatis, aut verbi, Sacramentorùm-ve administris, aut denique signis Sacramentalibus, tribuere. Hoc,

Hoc, vt ad noſtrum contextum redeamus, agnoſcens Sponſa, *manus ambas*, ideſt robur ac vires Sponſi ſui requirit, quibus tum iſto Vino tum his Pomis vtiliter frui poſſit, & ita refocillari. Deinde iſtud ipſum poſtulat, vt probè edocta nihil in nobis perfici poſſe, imò fore vt cibum & potum, ſummo licet appetitu deguſtatum & depaſtum turpiter euomamus, & ita fiat cõditio noſtra vltima priore deterior Luc. 11.26, atque adeò tãdem omnibus viribus deficientibus, in mortem præcipites ruamus, niſi primam gratiam ſecunda, & ſecundam tertia & ſic deinceps comitetur. Itaque ſi in illa vera Eccleſia cenſeri cupimus, cauendum ne ipſi nobis aliquid eſſe videamur, néue in fide nobis etiam liberaliter admenſa, ſimpliciter acquieſcamus, ac ſi ampliore non indigeremus: ſed opus eſt vt perpetuò aliquid amplius appetamus, & quod iam habemus in nobis augeri poſtulantes, ſingulis momentis nouas vires acquiramus: Deinde vt hoc à Deo ſedulò & obnixè petamus ne nos in tentationem inducat, ſed vt altera manu caput noſtrum languidum fulciat, altera verò cor noſtrum & voluntatem deficientem imò & rebellem amplectatur, vt in omnibus animæ & corporis actionibus fortiores effecti, ſtadium nobis propoſitum ita decurramus vt coronam gloriæ nobis præparatam aſſequamur.

Cur Sponſa vtraque Spõſi manu petat ſuſtentari.

Cæterùm iſto Vino & Pomis iſtis refocillata Sponſa, iam nobis quaſi alto ſoporata

Cibus in hoc epulo communi

sumptus, priuata meditatione cōcoquendus est ac digerendus.

somno proponitur, non quidem vt sanctarū deliciarum quibus in hoc conuiuio perfusa est, fruitione priuetur, sicuti videmus naturalem somnum esse quandam mortis imaginem, omni sensu nos priuantem, etsi Deus somno tanquam bono maximo ad imbecilli huius nostri corporis vires alterna requie reficiendas, & ad diurnum laborem instaurandas vtatur: sed per Somnum istum Sponsæ, dulcis illa & tranquilla quies intelligenda est, in qua fidelis anima ab omnibus terrenis curis seiuncta conquiescit: totum suum studium in iis quæ in hoc conuiuio comedit bene concoquendis, & in suam substantiam conuertendis, id est, in iis meditandis quæ in Dei Ecclesia & corporeis & mentis etiam auribus percepit: tum verbum summa attentione audiendo, tum Sacramenta participādo: non secus ac cibo corporeo benè pastus aliquis, corporis actionibus intermissis, dat se quieti vt benè concoctus cibus in eius substantiam & naturam conuertatur. Ista ergo quies, meditatio illa est cuius meminit Propheta Psal. 1. 2. & 16. 7. 9. & cuius præstantissima nobis exempla in sacris canticis proponuntur, putà in Cantico Annæ matris Samuel 1. Sam. 2. 1. Dauidis 2. Sam. 7. 18. Zachariæ, Virginis Mariæ & Simeonis apud Lucam 1. & 2. cap.

Satan & ipsius serui toti in eo sunt vt hanc conco-

Tantùm igitur abest vt hic Somnus sanctis loquendi facultatem adimat vt è contrario, ipsorum os maximè aperiat, non vt ægrorum somnia

ſomnia occinant, ſed vt diuina myſteria, velut in cælos rapti, diuinitus eloquantur, quemadmodum infrà cap. 8. videbimus. Illud ipſum eſt quod diuo Petro accidiſſe legimus quum in trasformatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, tantæ gloriæ apparitione fuit obſtupefactus. Marc. 9. 6. Cæterùm, ſicut homines quietem & pacem iſtam dare Ioan. 14, 27, ſic nec illam abrumpere poſſunt. Nam ſæpe quidem, fateor, illam omnibus viribus interturbare & prorſus abolere nituntur: ſæpe ipſis ad hoc perficiendum multæ operæ præſto ſunt, imò nos ipſi ſæpe aduerſum nos non deſumus. Sed aio nihilominus in illorum poteſtate ſitum non eſſe, vt illam Eccleſiæ quietem poſſint abrumpere niſi quando & quòvſque Deo viſum fuerit. Iſtud nos docet Sponſus Hieroſolymitanas obteſtans tam expreſſa adiuratione, *Ne amicæ ſomnum & quietem interrumpant, ſed requieſcere ſinant, donec illa velit.* Vbi primùm aduertendum eſt perpetuam eius prouidentiam de quo canẽs Propheta Pſal. 121. 3. Cuſtos Iſraelis (inquit) nunquam dormit, ac ne dormitat quidem. Iſtud ergo ſit vnicum nobis perfugium: hic vnus ſit nobis aſylum, vt verè dicamus cum Dauide, Cubabo & obdormiam, & euigilabo, quia Iehoua ſuſtentat me. Pſal. 3. 6. ídque non tunc ſolùm quum inuito Satana & omnibus ipſius miniſtris, quietam & tranquillã vitam degimus; (quod beneficium nobis, nobis, inquam, in hac Eccleſia ab hinc annos

ctionem & digeſtionem impediant: ſed Sponſus eorum cohibet, conatus prout ipſi viſum eſt.

pene quinquaginta, summa Dei clementia & misericordia, concessum est: & tanta quidem copia, vt meritò cum Dauide nobis gloriari liceat, Dominum cælestibus cibis abundè mensam nostram opiparè adornatam, ipsis videntibus veritatis hostibus, instruere.) sed etiam tum maximè quum nos Satan maioribus procellis & tempestatibus actos mergere conatur, ita vt cum eodem Dauide meritò exclamemus, In adyto ipsius tentorij ingruente tempestate delitescam. Istis etiam verbis Dominus Ecclesiam suam per Prophetam solatur, Eia (inquit) popule mi, ingredere in tua cubicula, occlude super te ostia tua, absconde te ad temporis momentum, dum pertranseat indignatio. Vnus igitur Dominus suæ Ecclesiæ tranquillam pacem & vitam donat, solus eandem, prout expedit, conseruat.

Necesse est summopere vt Deus in primis coerceat intestinos Ecclesiæ turbatores.

Sed quásnam, esse Hierosolymitanas istas dicemus? Eas esse nonnulli volunt Virgines huius Sponsæ comites, ac si Reginæ cuiuspiã Virgines Dominam suam excitare prohibeãtur. Sed istiusmodi certè personis hæc obtestatio parum conuenerit, ad eos potiùs spectans quos certissimum sit quietem & tranquillitatem Sponsæ pro viribus alioqui fuisse nisi prohiberentur, turbaturos. Sponsus igitur per Hierosolymitanas istas intelligit easdem illas quas superiùs cap. 1. 6, hæc Sponsa non Sorores suas, sed suæ matris filias appellauit, eos, videlicet, qui sunt quidẽ in Ecclesia,

ſed de Eccleſia nõ ſunt. Ita etiam Paulus maximum diſcrimen inter externam & internã circunſionem ſtatuit Rom. 2. 28. & filios Abrahæ eſſe negat eos omnes qui ex ſemine Abrahæ ſint oriundi. Rom. 9. 7. Iſti ſunt igitur quos hic Sponſus obteſtatur tanquam propinquiores atque ideò magis metuendos Eccleſiæ hoſtes ac perturbatores: quod non fruſtra fieri quotidiana experientia demonſtrat. Quis enim hac tempeſtate Dei regno maximè reluctatur? quis maximè illud remoratur? quis denique Eccleſię pacem & tranquillitatem interpellare nititur? Iudæos ſanè ac Turcas in minimis aduerſariis eſſe habendos dixeris, ſi eorum qui ſe Catholicos, imò & Eccleſiæ columnas eſſe prædicant rabiem, & aliquot nefarios apoſtatas ac Schiſmaticos, è nobis egreſſos, quòd re vera ex nobis non eſſent, 1. Ioh. 2. 19. inſpexerimus. Quid verò interea Dominus? Furorem illorum, ſicut hîc docemur, quando & quatenus expedit cohibet & frænat.

Deo ſub ſeruiũt res omnes conditæ; ad exercenda ſeuera ſua iudicia aduerſus Eccleſiæ ametur turbatores.

Et quod ad *Capreas* vel *Ceruas* attinet, per quas iſtas Hieroſolymitanas obteſtatur, præterquàm quòd iſta loquendi formula eſt huius Cantici propria, in quò paſtores velut in agris inter ſe colloquentes introducuntur, Domino & eius ſeruis iſtud nouum non eſt, vt res creatas in teſtimonium aduerſum homines aduocent, veluti Cœlum & terram Deut. 32. 1. boues & aſinos, Eſa. 1. 2. Grues, ciconias & hirundines, Ier. 8. 7. montes etiam ip-

ſos mundi fundamenta Mich.6.1. quum reuera ex omnibus rebus creatis nulla ſit neq; in cœlis, neque in inferis, neque in media mundi regione conſtituta, quæ vindictam aduerſus inobedientes & rebelles à Domino non expetat, Rom.8.12: & qua Dominus, quoties ſic illi viſum eſt, ad ſua exequendâ iudicia non vtatur. Huius rei teſtes idonei ſunto, immanes illæ feræ quarum fit mentio 1. Reg.13. 25. & 2. Reg.17.25. ipſæ etiam ranæ & culices, Dei aduerſus Aegyptios carnifices, ita vt horrendum ſit in viuentis Dei manus incidere, Heb.10. 31. Hoc illud eſt quod hîc Sponſus perturbatoribus Eccleſię ſuę, ideſt vnctorum Domini Pſal. 105 15. & eorum qui Sponſi huius amore flagrant, hoſtibus minatur. En amorem, en blanditias Sponſi ſuam ad ſe Spōſam allicientis, O miſeros igitur, ô térq; quatérque infelices, qui tam amicis vocibus nec mouentur, nec duci ſe patiuntur, hoc præſertim ſeculo, quo Filius nobis, non vt ſeruis, ſed vt familiariſſimis ſuis, totum Patris arcanum patefecit, Ioh. 15. 15. & immenſum illum ac ineffabilem erga nos amorem, ſanguinis ſui pro nobis quaſi repetita effuſione, ſanciuit & ratum effecit.

A meditatione ad actionē progrediendum: qua in re [illegible] ſunt hallucinati

At quorſum hęc verba, *Do[illegible]ec ſe velit excitari.* Contrarium enim Petri fuiſſe votum in Domini transfigurationis hiſtoria conſtat Matth.17.4: perpetuò videlicet in illo monte permanendi cum iis quos in tanta gloria conſpexerat. Agnoſco igitur & lubęns concedo,

cedo, ipso Dauide Psal. 63.6, & 7. teste, istius- *falsum Monachismum amplexi.*
modi meditationem &, vt ita dicam, recessum animæ fidelis, rebus omnibus terrenis esse anteponendum. Sed quoniam singula Ecclesiæ membra non sibi solùm, sed etiam in vsum reliqui corporis totius aluntur: dico non esse huic meditationi perpetuò vacandum, sed ad actionem esse reuocandam: ita vt singuli, in sua quisque vocatione, noctu & interdiu, operā suam ad totius Ecclesię corporis ædificationem conferant. Hinc liquet eorū qui vitam vniuersam meditando & contemplando extra cæterorum hominum consortium vsque adeò huic vitæ renuntiarunt, vt nec sibi, nec aliis vsui fuerint, non leuem fuisse, ne quid grauiùs dicam, errorem & culpam. Nam contra, legimus Christum ipsum, verum & vnicum Christianæ vitæ exéplar, sæpe quidem in secretiorem locum sub noctem meditationi & precibus vacaturum recessisse, vt tam suaui de qua hic agitur requie frueretur, sed ita dies totos eundo, redeundo, docendo, tantóque ardore & studio miracula edendo consumpsisse: vt cibi sæpe eum caperet obliuio Mar. 3. 20. Ita Paulum dubitantem vides vtrum eligat, an hinc, quod expetebat, emigrare, an verò diutius hîc commorari, Phil. 1. 22: vt tum publicè, tum priuatim, & domatim, summa cura summóque studio docendis fidelibus Christi membris inseruiret. En igitur cur Sponsus suam Sponsam quiescere quidem patiatur, &

vt ita dicam, alto se sopori ad satietatem vsque dare: nullo somnum eius interturbaturo: donec ipse voluerit eam excitari. Vnius enim est Sponsi illam excitare, sicut vicissim Sponsa diuturniore frui somno non desiderat quàm illi Sponsus concesserit.

Conclusio & vsus superioris tractationis.

Itaque ex pulcherrimo isto loco, & singulari doctrina pleno, discamus in solo & vnico Deo perennem beatitudiuem & summum bonum quærendum, sacrum eius verbum dies noctésque meditari ab eius prouidentia & patrocinio toti pendere, vsque dum in illam felicitatem æterni regni colligamur, in quo matrimonium istud sanctum & æternũ est penitus tandem consummandum. Quapropter Deum Opt. Max. vt nobis hanc gratiam largiatur & ore & corde singuli mecum verbis istis precantor. Domine Deus &c.



IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA DECIMANONA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.2. verſ.8.9.10.

8 Vox (*eſt*) dilecti mei. Ecce ipſe venit ſaliens ſuper montes, ſubſiliens, ſuper colles.

9 Similis eſt dilectus meus Capreæ, & Hinnullo ceruorum:En,ipſe adſtat poſt parietem noſtrum, proſpiciens è cancellis, oſtendens ſeſe per cancellos.

10 Loquutus eſt dilectus meus, & dixit mihi, Surge amica mea,Formoſa mea,& veni.

SPonſam in meditationis ſuæ ſolatio veluti extra ſe poſitam reliquimus, nunc eandem à Sponſo excitatam, nec tamen eam iſta expergefactione turbaturo, ſed veluti ex voluptate in voluptatem aliam traducturo,intueamur.Idem enim hic euenit quod in corporeo & naturali ſomno,quo ſi quis vſus fuerit modico & temperato, inſtauratur, & quodammodo vitam reſumit : contrà ſi immodico,ſegneſcit & tardior efficitur,& tandem inde vitioſum corporis habitũ contra-

Tres grauiſſimi errores admiſſi in vita quam contemplatiuam appellant.

hit: ita etiam Spirituali isto somno anima apud se ipsam collecta summa voluptate fruitur, si quas à Deo dotes accepit meditetur, & in conclaui suo Matth. 6.6. diu & interdiu, Dauidis in plurimis psalmis exemplum secuta, incubuerit. At si hæc meditatio in vitam contemplatiuam, quam falsò dicunt vitam Angelicam trasformetur ac desinat, duplici errore istiusmodi contemplatricis vitę admiratores impellit, & tandem in exitium trahit. Ita enim primùm à vero Christiani hominis officio disceditur, in ea re sito vt proximo suo quisque ex vocatione sua pro viribus inseruiat. Nam istud certe ab iis qui sic ab omni hominum consortio secedunt, & animum ad peculiares & priuatas actiones penitus applicant, præstari non potest: quum tamen ex Christi mandato id omne proximorum ædificationi debeamus quod in rerum seu diuinarum seu humanarum cognitione sumus à Deo consequuti. Ad hoc accedit, quòd istiusmodi perpetuis meditationibus plus æquo intenti, præsertim si victus ratio parcior & strictior accesserit, tandem paucis exceptis aut nullis, in melancholiæ morbum incidunt. Tandem verò istiusmodi phãtasias & opiniones longè deterius malum pedetentim, vt vmbra corpus, sequitur, non modò videlicet damnanda illa Meriti, sed etiã Perfectionis opinio: quam ita se tandem attigisse isti gloriantur, vt dignos sese existimẽt qui longè supra omnes cœlos ipsos euehãtur.

Hypo-

Hypocrisin omitto quæ Paupertatem ementita, & Precum amicta pallio, & Religionis nomine velata, illis tandem è suis lustris prodeuntibus, & pagos ac vrbes sordibus inquinatissimis ac fædissimis complentibus, ingentes diuitias & opes cumulauit. Huius rei testes idonei sunto nugæ illæ & phantasmata quæ tum in vitis (quas Legendas dicunt) istiusmodi venerandorum patrum conspicua sunt, tum in scriptis quorundam doctorum Contemplatiuorum: Et vt paucis dicam vnde prodierint hæc monstra, testantur tot errores quibus vniuersum orbem & præsertim Christianum fex ista & sentina infecit: idque tanta cum audacia & impudentia, vt ipsi Papæ nequis amplius Monachorum ordo innouaretur prohibere coacti sint: cuius rei fidem facit Lateranense Concilium ad hoc ipsum sanciendum sub Innocentio Papa tertio coactum anno Domini 1215. En tamen nihilominus nouum Locustarum genus Capucinorum videlicet, & eorum qui intolerabili sacrilegio societatis Iesu, id est Ecclesiæ totius appellationem sibi vendicāt, qui annis ab hinc plus minus quadraginta, ex abyssi puteo prodeuntes tam paruo spatio terrarum orbem formicarum in star compleuerūt, dignum profecto qui ab istis impuris insectis voretur & erodatur, & vniuersum orbem nihil minus sanè meritum multitudine sua opprimentium & depopulantium.

Sola Sponsi vox gignit in nobis desyderium incedendi in nostræ vocationis via.

Sed age, ex hac cloaca emergentes, ad Sponsam reuertamur, quæ à suo Sponso excitata, ad Christianæ vitę partem alteram inuitatur, id est ad alteram cum Sponso conuersationis speciem, & eorum quæ meditando didicerat vsum & praxin. Nam quid aliud est, Surgere, & Sponsum versus gressum dirigere, quàm vitæ cursum ad normã Dei mandatorum, pro suæ vocationis ratione instituere? Verbum tuum, (inquit, Propheta, 115. 119.105) lucerna est meis pedibus, & lumen semitæ meæ. Ideò diuina monent nos oracula, vt in Domini semitis ambulemus, & suos discipulos olim hortabatur Christus, vt quãdiu luce potiebantur, in ea incederent. At quomodo ingressuri sunt, quibus pedes nulli sunt? nempe per eum qui cæcis dat oculos & incuruatos erigit, Psal.146.8: à quo doceri se Dei statuta idem rogabat Propheta. Hanc ob causam Sponsi sui voce, nõ autem à seipsa, excitatam se Sponsa profitetur. Nam, obsecro, si quid precemur vt oportet non nouimus, Rom. 8.26. quomodo à nobis ipsis & velle & facere habituri sumus? Phil.2.13. Vox enim hæc est audienda, & corde excipienda per Dei gratiam, cuius vnius est cor ad attendendũ aperire, Act.16.14. Id ipsum hìc Sponsa testatur, ita se verã esse Ecclesiam ex Christi verbis demonstrans, oues suas vocem Pastoris, at non peregrini audire asseuerantis, Ioan.10.3.& 5. Denique, vt rem in pauca conferam, tanta est hominum segnities, vt nisi prior

prior ille nos ſopitos excitaturus acceſſerit, & in nobis ſequendi ſui deſiderium inflammarit, & (quod longè adhuc maius eſt) niſi priorem illam gratiam, id eſt ſequendi deſiderium, noua gratia, perficiendi videlicet & implendi illius deſiderij facultate cumularit, ne illius quidem meminerimus vnquã: tantùm abeſt, vt priores ad illum ſimus venturi, vt ita in nobis Prophetæ dictum adimpleatur, Eſa.65.1. Curaui me ab iis inuentũ à quibus minimè requirebar.

Applicatio huius doctrinæ ad Eccleſiam Geneuenſem.

Quò verò ad huius doctrinæ confirmationem recurremus? potius quàm ad nos, qui in hũc locũ, partim indigenæ, partim ex pleriſque nationibus, ab Oriente, Meridie & Septentrione coacti cõuenimus? Num enim auſi fuerint indigenæ prædicare à ſe prioribus Chriſtum iſtum Sponſum, quæſitum & inuentum? An non contra prior ad illos acceſſit? An non eum illos ingenuè agnoſcere & fateri conuenit Sponſi huius planè admirando aduentu, ſeſe in auream hanc libertatem tum temporalem, tum maximè ſpiritualem aſſertos & vindicatos: in qua maximo cum omnium gentium ſtupore, ſub illius auſpiciis, & Vexillo conſeruẽtur? Quòd ad nos autem attinet, qui ex quatuor totius orbis cardinibus hûc appulimus, ſi attenta mente quiſque noſtrum conſiderauerit, ex qua nos abyſſo, quando, quibus mediis extraxerit, an non meritò nobis erit in hæc verba erũpendum, Tibi ſoli Domine, gloria, non nobis,

Psal.115. Sed,proh dolor! quid miseris illis fiet, qui quum Dei mandatum audiuerint,& in vineam Domini ituros se dixerint, atque adeò reuera profecti sint,nihilominus tamen in surdos & prauos operarios euaserunt? illis nimirum,nisi seriò resipuerint hæc parata est sententia, Abite, operarij iniquitatis,Ego vos non noui,Matth.7.23.

Inenarrabilis solicitudo huius Sponsi in quærenda & excitanda sua Sponsa.

Porrò, si quòd gratis Sponsam excitans, illam quod sit in mariti ædes inductæ officium edocet, tantum est beneficium, vt illud mente consequi nequeamus,quid de inaudita sedulitate quam in hoc efficiendo adhibet, dicturi sumus? *Transilit enim montes, & saltitat supra colles, similis Capreæ, vel hinnulo Ceruorum.* Ecquæ verò mens humana tanto meditando beneficio par fuerit? Sponte sua oues aberrarũt: insequitur sedulus pastor,cui non colles,non torrentes, non montes, non valles obstant, quominus omnia saltu transiliat, & errantem ouem repertam in suum gregem reducat,Luc.15 4. At quas oues? Peruicaces & rebelles, & lupum istius Pastoris odio requirentes. Quis verò est iste Pastor? Cui nullis ouibus opus est, quarum nec lana vestitur, nec carne vescitur, vtpote quæ de suo nihil præter sordes afferre pastori suo possint,quas sordes nihilominus requirit, vbique terrarum Sponsus, quamuis neque iis indigeat, neque si qua re indigeat vllũ ab iis expectare possit emolumentum. Nam quid obstat quominus quod hîc de Sponsi seduli-

tate in Sponsa suauiter quiescente excitanda dicitur, de alio etiam somno quàm de quo hactenus meminimus intelligatur? Etenim, vt rem paucis cōplectar, nisi Deus opē suam acceleret, quis dubitat quin simus millies perituri priùs quàm cum Propheta exclamemus, Deus accurre ad liberandum me: Iehoua, propera ad opitulandum mihi, Psalm. 70.1. Non immeritò itaque nobis stuporem ac veternum nostrū per Prophetam exprobrat Dominus his verbis. Locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audiuistis, & vocaui vos, & non respondistis. Ier.7.13.& 11.7.

Conparatio huius solicitudinis cum nostra segnitie.

Hac autem expostulatione de quibus potiùs quàm de nobis ipsis quæritur Dominus, quos ab hinc annis quinquaginta frustrà monere & hortari non desinit? Quum enim omnes iampridem vigilare oportuerit Apostoli exhortationem sequutos, Ephes.5.14. Eheu, quàm multi tam alto somno sepulti iacēt, vt nec Dei iudiciis, nec fidelium Christi seruorum crebris monitis & adhortationibus locum vllum relinquant? Et tamen si Sponsa Domini non tantùm haberi, sed esse volumus, omnino est quod hoc loco docemur præstandum, vt videlicet, Sponso loquēte dicamus, *En Sponsi vocem*, & nostris lāpadibus instructi obuiam illi occurramus, sicut in Virginum parabola docemur, Matt. 25. imò celeri pede curramus, vt tandem in nuptiarum ædes ab illo introducamur priùs

quàm iratus iurarit, Si vnquam isti promissæ quietis hæreditatem cernant. Psalm. 95. 11.

Qui sunt primi Montes illi altissimi quibus nititur Satan Sponsam à sui Sponsi cõgressu prohibere, quos omnes tamẽ Sponsus inexplicabili celeritate transiliit.

Vt verò nos segnitiei ac veterni nostri magis pudeat, propiùs hanc similitudinem attendamus qua Sponsus hic noster *Capreæ* vel *Hinnulo* confertur, miræ celeritatis ac pernicitatis animantibus, si præsertim vocem qua vsus est Salomon, non de capreolo, sed de Ibice intelligamus, quod est animal tantæ velocitatis & audaciæ in desultandis rupibus, vt illas peruolare potiùs quàm transilire videatur. Hic igitur Sponsus Sponsam suam petens montes & colles transilire dicitur. Quid autem aliud, obsecro, sunt isti montes, quàm quod inter Deum & nos est interuallum, quo Deus ipse, si posset, ad nos propiùs accedere prohiberetur? Sunt porrò montes isti duplices. Primùm enim per Satanam eiúsque ministros & satellites non stat, quominus Sponsus & Sponsa nunquam alter in alterius conspectum veniant. Nam quam tandem sæuitiem & immanitatem nõ exercuerunt, quas fraudes quas technas & dolos non struxerunt, vt istud coniugium dissoluerent? Istud ita esse sacræ omnes historiæ vtique testantur. Sed ne longiùs exempla repetamus, quid non moliti sunt nostro tempore Reges & Imperatores ab illa meretrice Romana fascinati, & sub iugum missi? quod genus inauditæ & immanis sæuitiæ & crudelitatis omiserunt? & quid aliud quotidie mundus machinatur? Relegantur omnes superiorum

riorum temporum & antiquarum persecutionum aduersus Ecclesiam motarum historiæ, Nulla similis reperietur, illi quam est Ecclesia nostris temporibus experta. Hausit ignis, aqua, mare, aër, terra, vltimos animam exhalãtium fratrum nostrorũ halitus. Nullo nõ horrẽdi supplicij genere in illos innocentes sæuitũ est. Neque excruciandis innocẽtissimis fratribus, sunt duntaxat delassatæ carnificum manus: sed inuitata, incitata, adacta plebs est ad placidorum & innoxiorum sanguine, nullo seruato sexus, ætatis, ordinis discrimine, & omni diuino & humano iure violato, cruentãdas manus, & huius horrendæ carnificinę ciuinis facta est licentia, non alicuius vel dissidij vel belli tempore, sed in media publicæ paris securitate. Quas verò technas, Deus bone! quos dolos non commenti sunt, quas insidias non struxerũt? Sed omnia hæc tam multa & tanti momenti obstacula cælo clausum Sponsum non retinuerunt, immò ne remorata quidem sunt. Adfuit enim suis semper omnibus superatis montibus & impedimentis. Nec sunt vlla tam atroce támue sæua tempestate sui colluctati, quin eos, etsi prorsus deseruisse videbatur, adiuuerit, & manu sua alísque protexerit, felicíque exitu miseriam ipsorum, clauserit, siue illos quos admirabiliter è cruẽtis manibus hostium eripuit spectemus: siue quos tãto dignatus est honore, vt vitam apud eum inuenerint, cuius apud homines

iacturam fecerunt: ipsorum autem hostibus & persecutoribus funestum & exitiosum finem attulerit, aliis quidem mox iusta & terribili pœna affectis, alios autem vt triste spectaculum suorum spectandos proponens iudiciorum, quamuis tolerans, (quod multos fallit) tandem intus diu à conscientia sua excruciatos desperationi tradens, vt horrenda morte pereant, sicut scelerate vixerunt: alios quosdam etiam seruans, vt sint illius summæ patientiæ testes, qua Deus etiam sceleratissimos ad resipiscentiam adducit, vt in ipso Paulo apparuit, alioqui tantam & tam diuturnam patientiam pœnæ grauitate compensaturus, Rom. 2. 3. At irrisorum quibus hoc seculo redundat mundus quispiam dixerit tardè ista euentura. Contrà, aio, si quid sit tarditas sine Sophistica consideres, Tardare non esse simpliciter diu subsistere, sed seriùs quàm par sit aduenire. Exempli gratia. Num Sol propterea retardare anni tempora dicetur, quòd nó nisi duodecim mensibus ad idem suum punctum redit? Ab insanis fortasse qui altiùs quàm ipse Deus suo iudicio sapiant: at non à prudentibus, quibus hoc est satis compertum, ea sapientia cœlorum motus & anni tempora Deum téperasse, vt in ea nihil possit desiderari, vtpote quæ vniuerso mundo gloriam & Maiestatem Dei prædicet, Psalm. 19. & alibi, Ecquis verò ita est audax, vt dicat Dominum qui anni tempora tum malis tum bonis

bonis temperauit, prout Genes.8.22. docemur, nullum tempus domui suę regēdæ præfixisse. Istud igitur ratum & fixum esto quod ab Apostolo Petro 2.Pet.3.9. docemur, Dominum nunquam tardare, sed in ipso necessitatis articulo omnibus superatis & procul amotis impedimento adesse suis consueuisse. Is enim vnus est, à quo tempus est conditum, quod omne prout necesse est metitur & cuius administrationi nemo iustiùs obloquatur, quam si contendat Solem, aut die iam medio aut iam occidētem, oriri tunc demum debuisse.

Alii aspernimi montes peccatorum nostrorum à Sp nso superati.

Cæterum ista de quibus hactenus egimus, non sunt præcipua impedimenta Domini accessum prohibentia. Quis enim ignorat, nullum dolum, nullam esse vim quæ Dominum vel ad momentum cohibeat? Sed si nosse volumus quibus altissimis & horridissimis Montibus à Deo disiungamur, En paucis aperiam. Peccata, flagitia, immensa facinora, illa sunt quibus à Deo verè separamur. Esa. 59.2. Nec est quòd nobis hac in parte indulgeamus: nam proculdubiò peccata illa nostra, sclera, flagitia, & facinora iam inde à tot seculis alia aliis imposita, in Mōtes altissimos euaserunt. Quid verò ab omni æuo præstitit Dominus? Annon suorum electorum misertus Montes istos omnes transiliit? Quis & quàm horridus Mons fuit Adæ peccatum? quàm immensa rupes fuit inter Deum & homines interiecta confusio illa quæ diluuium

mundo peperit? Et ſi vlteriùs perrexerimus, & tempus illud quod ſub Lege fuit inſpexerimus, quid aliud comperiemus, quàm quod Daniel in eximia illa ſua precatione, Dan.9.4. diſertis verbis cõfitetur? Quid verò tunc tẽporis à Sponſo eſt præſtitum? Vix tanto lapſu corruerunt Adam & Eua (quorum lumbis continebantur quotquot fuerunt vel futuri ſunt Dei Filij in Sponſam allegendi dum Electorum numerus impleatur) quin omnibus ſuperatis montibus præſens laturus auxilium accurrerit. Nunc, Nonne eadẽ illa nocte qua completi ſunt anni illi quadraginta Deus ex Ægypto ſuum populũ, ad eius liberationem cœlo ſimul & ſolo commotis, eduxit? Annon idem prorſus in captiuitate Babylonica euenit, in qua ſeptuageſimo exeunte anno præſto fuit populo ſuo Dominus? Eſt enim Dominus Deus noſter non ex parte tantùm, ſed vbique & ſemper verax. Si premimur, En illum omnibus armis inſtructum quibus vim hoſtium repellat, & procul à nobis arceat. Ad iram prouocatus, & pœnas de nobis ſumpturus, aſſumpto quidem verbere accedit, ſed ſuum figmentum nouit, ſæpe ſic illi indulgens, vt vix vellicãdo illud attingat. Sin exarſit in iram, & in ſuos eſt ſeriò animaduerſurus, ſic tamen ſuos præuenit, vt remedium vulneri præponat, ſic Eſa.26.20. ipſe ſuum Iſraëlem compellans, Vade popule mi, (inquit) ingredere in cubicula tua (illa eſt captiuitas Babylonica) oſtia tua ſuper te reclude,

de, ad temporis momentum illic dum furoris mei indignatio præterierit, delitesce. Sed longè præstantius & longè maius attendite Spôsi beneficium, Vbi auctum est peccatum, ibi superabundauit gratia, Rom. 5. 20. Quantum verò istud est quod nostro seculo, & in nostram gratiam perfecit, & quotidie adhuc perficit? Omnibus, inquam horis, omnibus momentis, annon istis collibus ac montibus superatis, ad nos accurrit?

Quoniam denique ipsi ad suos accurrenti, in media via obstabat horrenda illa Dei iustissimè aduersus mortales irati maledictio, qualem hic sese Sponsus præstitit? O immensam bonitatem, ô infinitam charitatem! Ipse vnus in suo corpore Montem istum peccatorum super lignum crucis sustulit, 1. Pet. 2. 24: ipse vnus in profundam illam abyssum maledictionis Dei aduersus peccatores in eorum vindictam armati pro nobis sese totum immersit, Gal. 3. 13: adeò vt exclamarit, Mi Deus, Deus mi, cur dereliquisti me? Matth. 27. 16. Ipse vnus licet mortuus, mortem ipsam in ipsa vsque domus ipsius penetralia, id est in sepulchrum persecutus, de illa pro suis triumphum solus reportauit, Oseæ 13. 14. 1. Cor. 15. 55. sibíque tandem per medios hostes viam faciés, ad miseram istam & languentem Sponsam accurrit, quam è densissimis tenebris in admirabilem suam lucem euocatam, 1. Petr. 2. 9. ex inferis tandem supra cœlos ipsos euexit. En quam vera comperiantur quæ de sui Sponsi nunquam

Sponsus ad nos seruandos accurrẽs sustulit etiã in humeros suos immensum illud maledictionis Dei Patris onus, quo iacebamus oppreßi.

ſatis prædicanda velocitate Sponſa hic prædicat, à quo excitatur, regitur, & quum maximè vrget neceſſitas, liberata metu omni ſoluitur.

Diſcrimen veteris & noui fœderis ſimilitudine murim & cancellorum nobis repræſentatum.

Sed ne iſtud quidem leuiter eſt prætereundum quod adiicit Sponſa, Sponſum videlicet *poſt murum ſtetiſſe*, ſéque duntaxat *per cancellos* videndum præbuiſſe, quibus verbis diſcrimen inter Vetus & Nouum fœdus oſtenditur. Etſi enim extra omnem controuerſiam eſt, nullum vnquam alium iam inde ab omni æuo fuiſſe præter hunc vnicæ Sponſæ, quæ eſt Eccleſia, Sponſum, Mediatorem inter Deum & homines, & Chriſtum, quod ad effectum attinet, iam inde à mundi primordio paſſum, Apocal. 13 8. ac proinde non aliam eſſe patrum ac noſtram fidem, Heb. 11: ratione tamen modi & menſura qua fuit hæc ſalutis ſcientiã diuinitus patefacta, duo fœdera numerantur: Vnum vetus quod deſiit, eo iure inſtitutum, vt ad realem vſque Seruatoris aduentum, & plenam exhibitionem alterius nempe noui fœderis quod per Salutis doctrinam id eſt Euãgelium impletum, perduraret. In vetere igitur fœdere, Dominus multis vicibus multiſque modis locutus eſt, non diuerſam doctrinam aut ſubſtantiam proponens, ſed alio modo & alia menſura Patriarchis ante Legem, & ſub Lege rurſus aliter per vmbras & figuras Legis, quarum corpus erat Chriſtus, Hebr. 11. & 10. 1. Coloſ. 2. 17. 1. Cor. 10. 4. & 11. Gal. 4. 24. Sed in temporum pleni-

plenitudine Deus per Filium suum vnigenitum loquutus est, qui Frater noster effectus, reipsa nobis exhibuit & adimpleuit, quæ Patres per Ceremonialis Legis vmbras eminus conspicabantur, Heb.11.13. Sub illo igitur vetere legali fœdere Sponsus ad suam Sponsam accessit, non sic tamen vt eam oris sui osculis, altero huius matrimonij expressiore pignore sit deosculatus, sed adhuc post murum istum stans, & Sponsam sic affatus, En adsum tui non oblitus, sed suo tempore promissa adimpleturus, & quæcunque tempestates ingruerint, nunquam tibi defuturus: cuius rei nobis historia sacra, ante Christi aduentum conscripta plenissimam fidem facit. Itaque per hunc murum in primis intelligamus oportet quod Veteri fœderi deerat, si cum Nouo comparetur, ídque duplici etiam respectu. Nam præterquam quòd effectum fidei veterum Patrum ab eo pendebat quod erat reipsa per incarnatum Christum nostris secuturis demum temporibus præstandum & exhibendum, vt absque nobis non cõsummarentur, ita docente Apostolo, Heb.11.40. istud etiam mysterium ipsis per varios tantùm Legales ritus adumbrabatur, quos Montis instar transilire oportuit eos qui propiùs ad hanc Sponsam accedere cupiebant. Præterea, quod diuinitus planè ab Apostolo tota epistola ad Galatas explicatur, quo tempore nondum erat reipsa adimpleta omnis iustitiæ impletio, & nostrorum pec-

catorum expiatio, etsi Deo & oculis credentium illud beneficium erat præsens, Hebr. 11. 1. densissimus tamen adhuc inter Sponsum & Sponsam veluti murus extabat. Denique Deus vnico Israelē sibi in peculium delecto, reliquas omnes Nationes abiecerat, siue id quod est præcipuum spectes, fœdus videlicet salutis, siue quæ ad Israëlis Rempublicam pertinebāt, à quibus summotas fuisse reliquas gentes docet Apostolus, Ephes. 2. 12. Erat autem hic intergerinus paries duraturus donec eo diruto Iacobi Testamētum impleretur, quo Messias, id est Sponsus iste Gentium expectatio nuncupatur: Genes. 49 10. qualis etiam à Simeone, Prophetico spiritu impulso, tota sacra consentiente Scriptura, prædicatur, Luc. 2. 32 Mirum igitur non est Sponsam status sui præsentis, & ad Sponsi incarnationem vsque duraturi, habita ratione, murum istum commemorare. Attendamus *Cancellorum* quoque appellationem, quo vocabulo significatur non fuisse tam solida huius muri materies, quin foris adstans Sponsus ab interiore parte cerneretur: neque hoc loco murum illum significari quo à Domino separātur impij, sed qui fenestratus & veluti cancellis apertus fuerit. Tale fuit vetus cum Abrahamo ictum fœdus, & deinceps Mosis Ministerio additis innumeris Ceremoniis & figuris auctum, sic tamen vt per eas nihilomi-

lominus penetrantes Patres diem Domini ſint contemplati, & cum ſumma voluptate intuiti. Iohan. 8. 56. Et ſanè extra omnem controuerſiam hoc eſt, Solomonem à quo templum ædificatum eſt, hac loquendi formula vſum, muros illos reſpicientem, id eſt aulæa & cancellos quibus non tantùm infima plebs ab atrio Sacerdotum, ſed etiam ipſum atrium Sacerdotum à Sancto Sanctorum dirimebatur: quod velum à ſummo vſque ad imum in morte Domini diſciſſum fuit, Matth. 27 51. vt diruta macerie quæ Iſraëliticum populum à reliquis gentibus dirimebat, & qua ſtante nondum impletas eſſe promiſſiones, ac proinde populo meliorem expectandam eſſe conditionem ſignificabatur, omnes Nationes in Abrahami familiam adſcitæ, benedictionem in ipſo adipiſcerentur, iuxta promiſſiones ipſi Abrahæ factas, Fore vt in eo omnes terræ nationes benedicerentur, prout Paulus in Epiſtolis ad Galat. & Epheſ. fuſiſſimè doctrinam iſtam perſequitur.

Sponſus itaque dicitur ſeſe exhibuiſſe ſpectandum, & ipſam etiam Sponſam allocutus. Nam verus Chriſtus non eſt mutum idolum, neque ligneus lapideúſue aut inpanatus crucifixus, nec Deus in penu recluſus, nunquam in hominum conſpectum, niſi circumferatur, venturus, aut à tineis muribúſue arroſus, opem ſibimetipſi aduerſus illorum iniuriam minimè laturus: ſed

Sponſus iſte nunquam fuit mutus: & quantus hac in re ſit error falſæ Eccleſiæ.

verus est ille Deus, iam tunc per Legis figuras & per os Sacerdotum officio suo defungentium populum suum alloquens, Matth.2 7. per Leuitas & Legis doctores per singula Sabbata in Synagogis, Matth.23 2. Act.13.27. & 15. 21. per Prophetas quoque in compitis passim tum verbis tum scriptis, Esa. 40. 6. Zach.1.24. Ierem.36.2. 1. Pet.1.11. Denique iam tunc Sapientia vocem suam in plateis exaudire fecit per os eius à quo est istud Cāticum decantatum, idem etiam reliquis eius scriptis confirmantibus, Prouer.1.20. At nequaquam per imagines siue Idola quę tādem illi libros idiotarum dixerūt, ad eos videlicet nihil nisi falsum docendos, & vt Prophetę monent, ad eorum adoratores in Idola transformandos, Psal.115.8. & 135 18. quod sic euenisse & quotidie euenire, satis idoneo & locupleti Idololatrarum testimonio confirmatur. Vera igitur & sola Ecclesia ea est quæ de se hoc verè profiteri potest, *Dilectus meus est me alloquutus*, quod nunquam de se prædicasset nisi arrectis auribus attentè illum loquentem audiuisset, & religiosè ipsi adhæsisset, nihil illius dictis neque detrahens, neque adiiciens, nec etiam in iis immutans. Falsò enim hoc nomine adulterina Ecclesia gloriatur, quòd sit eam Spōsus allocutus, quam tamen si roges, ecquid Spōsus sit loquutus, tum sese dolus summa cum impudentia iunctus facillimè prodit. Nam plebei quidem se in hæresin incidisse arbitrantur, si fortè in verbum Domini

Domini communi & materna lingua interpretatum inciderint. Et quòd ad eos attinet quibus tota eſt hæc cura commiſſa, an, obſecro, multis è millibus vnum reperias qui vel ſemel cura hæc incubuerit, vt ſacras Scripturas euolueret, imò à limine ſalutaret? Reliqui ſunt neſcio qui mendicantes, quorum alij donec illis ora, velut iniecta quam captant offa, occludatur, garrire ſoliti ſunt: alij clauſtra ſua ſeu luſtra commendare, & ita ſimul omnes rem ſuam facere conſueuerunt. Vox autem Spõſi vbi interea? Aut nuſquã eſt, aut cum vlulatu, ſuffitu, & geſticulationibus, centones ex variis hinc inde diſcerptis ſcripturæ locis conſuti, peregrina lingua, certis anni temporibus, ad eorũ guſtum quos tales nugæ iuuant compoſiti, & prophaniſſimis additionibus adulterati recitantur. O modis omnibus miſerum & deplorandum ſtatum! Sed talibus certè Prophetis dignus eſt mundus.

Cæterùm paulò antè dixi vocem Sponſi minimè ſufficere, niſi altiùs audita radices in nobis agat, & ad vſum applicetur. Quid autem Sponſus clamat? *Surge amica mea.* Vera ergo Eccleſia ea non eſt quæ terrenis rebus inhæret, & ita ſibi ſapit vt ſibi quidpiam vel in ſolidum: vel in parte tribuat: vel, Phariſæi illius exemplo, merita ſua cum Domini gratia permiſceat, Luc. 18. 11. multò verò minus quæ ab aliis mutuatur aut redimit falsò vocata merita quæ nunquam extiterunt: ſed

Vox Sponſi nihil nos iuuat, niſi audiatur, & illa audita expergefiamus.

sola illa quæ totam suam iustitiam & vitam in sola gratis parta dilectione quærit, Philip. 3. 9.

Cur hæc Sponsa vocetur formosa: & eius cum Sponsa fucata collatio.

Eandem vocat Sponsus, *Formosam suam*: idque optimo iure. Sola enim hæc Sponsa vel ex illa quam à Sponso desumit pulchritudine & forma conspicua est: ac proinde adulteræ illi, quam hominum figmenta, & inuentiones deturpant, vt docet Appstolus, Coloss. 2. 2 longè absimilis. Multò minùs veram dixeris Ecclesiam, hypocritas dealbatis sepulchris simillimos, extrinsecus quidem speciosos, interiùs autem fœtore & immunditia refertos. Matth. 23. 27. Christianos (inquam) nomine tenus reformatos, sed vitiis inquinatos: qui Papam quidem vnà cum eius figmentis & hypocriticis Ceremoniis ac superstitionibus exuerint, Christum verò & sincerum eius cum charitate cultum non induerint: qui aurea quidem, & lapidea vel lignea idola deturbarint, at non intrinseca & maximè omnium metuenda, quibus noctes diésque toti inseruiunt, auaritiam dico, luxum, & reliqua istiusmodi, Coloss. 3. 5. Philip. 3. 19.

Vera Sponsa sicut à suo Sponso vocatur, sic ad nullum aliũ sese conuertit.

Adiicit Sponsus Sponsam acclamans, & *Veni*, ad me videlicet, non ad vllum alium siue in cœlum intueare, siue in terram. Nullum enim ad latus aut riualem patior. (Quid autem faciunt aliud qui nouam Cœli Reginam adorant.) Immò, ne inferiorem quidem

dem inter me & te Mediatorem: multò verò minus superiorem tulerim. Hoc ipsum autem summa cum huius Sponsi contumelia factitari ab istis Mariæ Virginis cultoribus satis supérque demonstrant boatus isti quos in antris suis Idololatricis edunt, Roga Patrem, Iube natum, Iure Matris impera? Est enim Sponsus iste vnicus inter Deum & homines Mediator, siue Redemptionem siue Intercessionem spectemus, licet superstites hac vita sancti pro se & fratribus non inanes preces fundant. Et ita sensit ac docuit omnis Ecclesia Prophetica & Apostolica iam inde à mundi initio, vsque ad huius vniuersalis defectionis tempus, quæ sensim pietatis obentu vires accepit.

Sed forsan quærat aliquis, quînam hæc inter se cohæreant, vt qui Sponsam excitatum venit, eam ad se venire iubeat. In promptu causa est. Nec enim vnquam accessuri sunt ad Christum homines, eius vocem siue audituri, siue ad vsum applicaturi, nisi quemadmodum prior ipse nos amauit, sic etiam prior nos ad se sequendum trahat. Nam si ad nos accederet, vt nobiscum in hoc mundo mansurus, esset regnum eius mundanum. At ipse contra crebris admonitionibus & adhortationibus, hoc agit, vt nos ab istis terrenis rebus abstractos, in cœlum ad se transferat, Colos. 3. 1.

Prior Sponsus ad nos accedat oportet vt ad ipsum veniamus.

Sponsus nūquam Sponsam suam vocat vt in terris cum ea permansurus, sed illā semper in cælum ad se accersiuit. Et quantus sit eorum error qui Christi corpus in terris quærunt.

Ecquid igitur Sponsus agebat per veteres Prophetias & Legis ceremonias nisi quòd sic homines compellabat, Venite ad me, adeste, ne terrenis istis rebus caducis inhærete: sed in eum intenti estote qui est ipsemet ad vos suo tempore venturus quod quum nec ab hypocritis nec ab ignaris esset animaduersum, vt qui suæ salutis spem in ipso templo & sacrificiis collocarent, meritò passim à Prophetis reprehenduntur & acriter obiurgantur. Immò, (quod est etiam atque etiā animaduertendum) ne tum quidem Sponsus quum ipsemet in terris sese videndū & palpandum in carne præbuisset, (quod meritò vocat Apostolus ingens mysterium secretum Ephes.5.32.) suos voluit diutiùs in illa sui corporis præsentia hærere: sed contrà, Confert vobis (inquit) vt ego abeam. Nam Pater maior me est, Ioh.16, 17. Hoc est quādiu me corpore præsentem abiectum conspicietis, & humana omnia in me cernetis, futurum est, vt mente vestra nunquam assequamini quorsum venerim, & quam auctoritatem ac potentiam à Patre habeam, cuius possessionem tunc demum inibo quum in cælestem gloriam vnà cum Patre meo fruēdam ingrediar: & alibi, Proficiscor (ait) paraturus vobis locū in domo Patris mei Ioh. 14. 2. Vbínam verò illam domum, quum Deus sit vbique? Sanè vbique esse agnoscimus, vt est Deus infinitus. At in solis sui sanctis ac proinde in sola sua Ecclesia dicimus eum inhabitare, quum

de

de ſolo ſuo populo dicat, Habitabo in medio eorum. Ezech. 43. 7. & 9. Epheſ. 3. 17. Immò tantùm abeſt vt Sponſus iſte in mundo habitet, vt contrà Apoſtolus ex mũdo migrare ſummo ardore expetat vt Chriſti præſentia fruatur, Phil. 1.23. alibi etiam teſtatus nos quandiu hic repimus, procul ab ipſo peregrinantes abeſſe. 2. Cor. 5.1. ac proinde cum ſuſpiriis reditum eius auidiſimè expetere, non vt hic diùtius hæreamus, ſed vt ad illũ ſurſum rapiamur, & in requie illa ſempiterna, ad quam prior conſcendit, inde ad nos ſupra cælos efferendos rediturus, cum eo in æternum regnemus. 1. Theſſ. 4. 17. nihil præterea curioſè de illius gloriæ ratione & modo inquirentes. Quod igitur ſeſe nobiſcum ad mundi conſummationem vſque fore dixit, Matth. 26. 20. de corporis eius præſentia nequaquam intelligi poteſt, neque debet, (quũ verè & re ipſa ſit à nobis ſurſum in cælum receptus, & inde vltimo demum die iudicij venturus, Act. 1. 11:) ſed de ſpirituali eius in cordibus noſtris habitatione, quatenus videlicet illa & potentia diuina ſuam Eccleſiam regit & fouet tantiſper dum pugnæ exitus & læta victoria tãdem appareat. Nam alioquin, ſi hîc in terris reali ſui corporis præſentia nobiſcum verſaretur, neque hinc verè diceretur exceſſiſſe, neque etiam huc rediturus, & nobis cum Petro obſtupefacto, ac quid diceret olim ignorante, dicẽdum eſſet, Bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic taber-

nacula, Luc. 9. 33. Et ſanè mirum eſt eos qui & ipſi verſantur & alios fouent in hoc tã craſſo errore, quo ſalutis noſtræ fundamenta, putà fidei noſtræ articuli quibus domini noſtri Ieſu Chriſti vera Incarnatio, Aſcenſus in cælos & futurus ex cælis reditus funditus conuelluntur, non animaduertere quod ipſimet in Miſſa ſua clamitant, nempe, *Surſum corda*, quod dictu foret abſurdiſſimum, ſi Chriſti corpus in eius quem noſtris oculis cernimus homuncionis ſacrificuli manibus verſaretur, & in illis eſſet quærendum.

Hæc vocula Veni, eſt noſtræ adipiſcendæ ſalutis epitome.

Itaque, vt rem totam in pauca conferam, hac exigua vocula, *Veni*, tota ſalutis noſtræ inuenturæ ratio continetur, in his duobus ſita, vt quandiu fragilem hanc & caducam vitam agimus, altiùs ad meliorem aſſurgamus: ad quam vt perueniamus, omnibus iſtis blanditiis & illecebris quibus irretiti homines decipiuntur renuntiemus, & Pauli præceptum ſecuti 1. Cor. 7. 31. & Gal. 6. 14. ſic præſente mundo vtamur, vt & non abutamur, & ita noſtrûm quiſque in eo ſtatu & vocatione quam à Domino ſortitus eſt recto pede incedens, ad Sponſum noſtrum, mandatis eius obſequuti, pergamus, nulla nos tegentes excuſatione, vt ſolent hypocritæ de quibus Dominus agit. Luc. 14. 18. Hi ſunt enim qui ſuauiſſimã illam Sponſi vocem non audient, *Venite, dilecti patris mei*, ſed horrendo illo tonitru proſternentur nunquam erigendi, Abite maledicti in ignem æternum. Faxit verò

rò Dominus Opt. Max. vt tam ſuauem támq; ſalutarem vocem læti tandem aliquando audiamus, & ab illius terribilis & audiendæ periculo penitus liberemur: quod vt idem ille nobis donet, ſic vnanimes ab ipſo poſtulabimus, Omnipotens æterne Deus.



IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA VICESIMA.

Auxlium nostrum sit à Domino,&c.

*Quod sequitur extat in Cap.2.vers.*11.12.13.

11 Nam ecce, hyems transiit, pluuia præteriit, abiit.

12 Florentia conspiciuntur in terra, tempus cantilenarum (*auicularum*) aduenit: turturis vox audita est in regione nostra.

13 Ficus ipsa protulit grossulos suos, & vites ipsæ prima vua edunt odorem.

Vt perturbata sit in hoc mundo per hominis lapsum omnis illa harmonia cæli & omnium elementorũ.

SI primus ille noster parens à Dei conditoris sui mandatis nunquam recessisset, ea perstitisset inter cælum & terram mutua temperatura & harmonia, vt non modò nullam ab illis læsionem, nullum incommodum, nullam mutationem fuerit homo passurus, sed etiam per illa fuerit in ea vita quam Paulus 1. Cor. 15. 45. animalem vocat tandiu conseruandus, & quandiu Domino visum esset permansurus. At quum homo tã turpi támque fœdo lapsu sese polluerit, meritò illum Dominus morti subiecit Rom.5. 12. ac proinde totam eorum intemperiem, tum quæ in homine ipso insunt, tum quę extrin-

trinsecus accedunt, secum lapsus illæ inuexit. In his porrò non vltimum locum obtinent tempestatum mutationes, quæ quum secum immensa frigora, violentos æstus, siccitates & humiditates trahant, nobis præconum instar peccatum hominis exprobrant, immò sunt iusti Dei iudicij meritò hominibus infensi non iniqui exequutores. Nihilominus tamen hîc miram, immò immensam Dei bonitatem admirari nos oportet, qui istam intemperiem (de qua Moses loquitur, quum Genes. 3. 17. Deum dicit propter hominis peccatum terrę maledixisse) ita temperarit vt per illam mūdus foueatur, & quadripartitis illis temporum commutationibus sibi succedentibus continuetur: quam etiam ob caussam Genes. 8. 23. inter alia beneficia quæ ex speciali gratia Deus in homines post diluuiū contulit, istud præcipuè recēsetur, quòd Veris iucunditate frigoris asperitas, non secus ac si mortem vita fugaret, terminetur, & Autumni temperatura immodicus ęstatis ardor temperetur, prout Sol lucis & caloris arbiter propiùs ad nos vel procul à nobis recedit. Admirādum sanè, immò summi & immensi artificis opus immensum & incomprehensibile.

Porrò sicut mundus iste aspectabilis & ad interitum vergens, tot tantisque mutationibus, annorum, temporum, mensium, atque dierum est obnoxius ita quoque, & quidem multò magis mundus ille spiritualis, etsi ad *Spiritualem mundum, idest Ecclesiam, suas quadripartitas habere*

tempestates, ipsius Sole vel accedente, vel recedente, quas occulta Dei prouidentia regat & moderetur.

immortalitatem comparatus, illis commutationibus subiicitur, vt res ipsa demonstrat; non quidem circa duo illa puncta, quæ Polos Astrologi nominant, rotatus, sed quòd axe Prouidentiæ diuinæ insertus feratur, occulta plerunque & nobis inscrutabili gubernatione, & certis quibusdã motibus actus, qui minimè possunt in sensus nostros incurrere, nisi quatenus aliqua nobis priuatim & peculiari gratia patefacere dignatur. Mundum verò illum intelligo cuius tollit peccata agnus ille immaculatus Ioh. 1. 29. propter quem Deus vnigenitum illum filium suum misit in hunc mundum Ioh. 3. 16: illi alteri mundo prorsus oppositum pro quo se Christus orare negat Ioh. 17. 9. & à quo etiam separamur. Ioh. 17. 16. Iste denique mundus Ecclesia est cuius hic sit mentio, quæ, quandiu in his terris agit, ver suum, æstatem suã, autumnum suum & hyemem suam experitur. Sed has illius temporum commutationes, non astrorum cursus, sed vt ante dixi, peculiaris eius qui cælos terrámque condidit Prouidentiæ motus regit & temperat, vt & earum inde ducatur initium, & ibi finis sit, vnde voluerit Dominus, quando, & qua ratione visum illi fuerit. Nihilominus tamen quum ex hominibus constet Ecclesia, ex carne & ossibus compositis, itidem vt ceteri homines, humanæ conditioni, non eatenus eximuntur, vt elementaris huius mũdi varia incommoda, æstum dico, frigus, & quæ ex istis oriun-

oriuntur, putà, sterilatem, famem, pestem & alia id genus non itidem experiatur, & quidem sæpe multò plura quàm alij vlli mortales patiatur incommoda, sicut ista fusissimè Psal. 73. Propheta persequitur. Verùm, non esse de Ecclesiæ temporibus iudicandum ex naturali ista rerum dispositione dico, quum sæpissimè istud præter rerum humanarum naturam accidat, vt illa tunc sui veris amœnitate ac iucunditate fruatur, quum cæteri mortales cum frigoris asperitate luctantur: & contrà vehementiùs hyemis suæ frigore perstringatur, quum cæteris mortalibus omnia quasi vere nouo arrident. Habet enim illa Solem suum seorsim, cuius ad eam benignus accessus, non vrenti ardore vehemens, sed grato calore viuificus, tum illi gratum ver aduehit, quo non tantum commodam sementem faciat, sed etiam germinet, & flores educat: tum æstatem temperatam vt fructum ferat: tum lætum autumnum quo fructus maturi colligatur: hyemem denique ad fructuum collectorum fruitionẽ & nouam sementem faciendam accommodatam. Contrà verò quò longiùs ab ea Sol eius recedit, vel lucem suam, calorémve suum, vt ferunt eius necessitates, non impartitur, eò maiorẽ etiam videas rerum omnium perturbationẽ. Nullus enim tunc sationi, nullus messi, nullus vindemiæ locus est, sed vbique sterilitas, vbique fames, vbique lues tristissima, hyemis denique vbiq. tristis facies inhorrescit.

Nullus ibi decor, nullus viror conſpicitur etſi totius reliqui orbis incolæ ſumma cum pace & lætitia rerum omnium terrenarum abundantia perfruantur. Sol iſte, Sponſus eſt, Sol, inquam, iuſtitię, in cuius alis radiat ſanitas Malach. 4.2. planta illa ex alto prodiens, Luc. 1. 78. Lux ſplendeſcens iis quos vmbra mortis premit, Eſa. 9. 2. ſuam Ieruſalem illuminans. Eſa. 60. 2. Quoniam igitur mundus iſte ſpiritualis à ſuo Sole, eo quem ipſe ſtabiliuit ordine regitur, (pura videlicet verbi eius prædicatione, & ſuorum Sacramẽtorum adminiſtratione, Spiritu S. per illa efficaciter in electis agente, prout vel propiùs Sol iſte ad mundum ſuum accedit, vel longiùs ab illo recedit,) inde neceſſariò conſequitur, non eſſe ex mundi iſtius inferioris ſtatu læto vel proſpero, de Eccleſiæ ſerenitate, commoda vel aduerſa conditione, ſed ex ſacri huius miniſterij vi & efficacia, in hominibus vel feliciter aliquid operante, vel contrà nihil efficiente; iudicandum: ſiue ad tempus Verbum iſtud eclipſin aliquam patiatur, ſiue etiam, quantumuis terram irradiet, in hominibus tamen tenebras luci præferentibus, illius omnino fructus nullus, vel ſaltem perexiguus appareat. Nonnunquam tamen etiam contingit, quoties Deo ſic viſum eſt, vt Sol Eccleſiæ cum mundi iſtius Sole coëat, ita vt quodammodo inter ſe coniurẽt, & ita Deus modis omnibus ſuæ Eccleſiæ indulgeat: vtróque etiam contrà nonnunquam ſimul receden-

cedente, ita vt calamitosissimæ Ecclesiæ durissimam ac penè lethalem hyemem, iste recessus creet.

Huiusmodi temporũ diuersorũ ac etiam contrariorũ exẽpla passim in tota scriptura occurrunt, & hoc nostro seculo nimis nota sunt. Paucis tamen insignioribus contentus, ad quæ etiam non immeritò fortasse Solomonem respexisse dixeris, rem totam hanc expediam. Tempora, igitur Iosue & seculi illius gubernatorum & Magistratuum (siqua vnquam fuerunt felicia Ecclesiæ tempora) dico fuisse serenissima & felicissima, quũ tunc Israëliticus populus in terram promissam ab ipso Domino introductus, verum & officiosum Deo cultũ tribueret; cuius extat Ios. 24. 35. luculentum testimonium. Quæ deinde secuta sunt Iudicum ad Samuelem vsque tempora, talia sanè fuerunt, vt si qua ipsis serena Lux affulsit, eam annus turbarum & procellarum plenus exceperit. Qualis verò & quàm horrida illa hyems fuit, quo tempore capta fœderis arca, euersaque Silo, rebus omnibus afflictis & prostratis, tristis & confusa rerum vbique facies apparuit? Postea verò discussit quidem Deus atras illas tempestates, misso Samuele suo, qui Prophetarũ etiam scholas instaurauit: sed vis ista Lux oculis ecclesiæ affulserat, quum ecce à Saule horrendæ illæ inuectæ tenebræ, longè lateque grassantes, ipsis etiam sacris cæsis sacerdotibus, veneficis, & incantatoribus in integrum restitutis,

Istorum temporũ exempla.

& quum ipſe populus ſine duce, tanquam ſine capite trũcus iacens, hoſtium ſuorum eſſet ludibrio & deſpectui, omnia vehementer perturbarũt. Hanc tantam caliginem diſcuſſit Dominus. Deinde poſt ſęuiſſimas tempeſtates in ſolio ſtabilito: cuius demum tempore cœperunt iſtæ tempeſtates ponere, & tranquillitatis lætus dies apparere, qui ad plenum ſuum Meridiem Solomonis demũ temporibus peruenit. Huic enim Dominus iſtud ex ſingulari gratia conceſſit, vt ipſi templum magnificentiſſimo apparatu intus & foris adornatum ædificaret: & Eccleſia, quandiu ipſe regnauit, alta pace, cũ temporalium rerum omnium vbere & abundanti benedictione, in longos annos frueretur. Hanc autem felicem rerum in meliùs commutationẽ hic videtur Spõſus oculis Sponſæ ſuæ proponere, quam à ſomno excitatam ad illius pacis fruitionem alliciat. Eandem eſſe noſtrorum temporum annis ab hinc ſeptuaginta rationem poſſumus & debemus agnoſcere, quibus Dominus pro immenſa ſua bonitate fugauit diſſipauítq; ex maxima orbis parte funeſtas tenebras horrẽdæ illius idolomaniæ, qua meretrix Romana, tanta cum ſpiritus erroris efficacia, totum orbem faſcinarat, vt etiamnum hodie maxima eorũ pars qui ſibi nomen Catholicorum & Chriſtianorum vindicant, illius faſcino demẽtata detineatur. Redditum itaque & denuò è cælo demiſſum fuit mundo ver illud benignum,

num, nostro seculo hinc quidem à Domino excitatis ad sacrosanctum suum ministerium insignibus illis luminibus, inde verò præstãtibus Heroibus in Magistratuum solio collocatis, qui instar optimorum illorum Regũ, (Ezechiã dico, Iosiã & reliquos istis similes) viriliter & animosè nouos istos Baalim & Astaroth profligarunt, ac penitùs destruxerũt.

Qua ratione Spõsus fugatis æstatis ardore, & hyemis asperitate Sponsam suam ad veris fruitionem inuitet.

Quid porrò aliud fecerũt insignia illa Ecclesiæ lumina: & in quam magis curam & solicitudinem incubuerunt, quàm vt Sponsam excitatam & ad Sponsi obsequium præparatam Sponso sisterent, eámque in amœnissima viridaria plena solidarum delitiarũ, quarum Prophet. Psal. 22. & 36. meminit, deductam comitarentur? Et à nobis ipsorum successoribus, quid aliud quotidie vestris auribus, ipsius Sponsi nomine inculcatum auditis, quàm, Adeste: Expergiscimini: hyems preteriit: clara dies illuxit: ecce tempus adest acceptũ: ecce tempus salutis? 2. Cor. 6. 2. Sed, proh dolor! surdis & alto veterno sopitis frustra canitur: Vobis, inquam, quibus, quia longa requie prorsus torpentibus, & crebras monitiones nostras aspernantibus, metuendum sanè est ne breui, longè aliis nuntiis, à vestro torpore excitemini. Interim magnificam descriptionem istius amenissimæ tempestatis cuius meminit Dauid Psal. 118. 24. perpendamus, vt qui aures habent, audiant quid hîc noster Sponsus dicat, & ad eius vocem excitati, reficiantur & refocillentur.

Vernæ tranquillitatis Ecclesiæ descriptio.

Hyems, inquit Sponsus, *transiit, pluuia præteriit, abiit*. Satis hoc est cuiuis notum, hyemem, præterquàm quod frigora, & nubibus obuelati aëris obscuritas, hominibus cœli lucisque vsum eripiūt, esse instar mortis qua mundus ipse interire videatur. Ecclesia verò contra est regnum lucis Ioh.5 6.& 1.Thessal. 5.5. & quum Iesus Christus sit ipsa vita, Ioh. 11.25. imò vitam in se ipso habeat Iohan 5.26. inde sequitur solam Ecclesiam habere vitā, mundo in morte prostrato: & idcircò non immeritò cum sylua crebris arboribus decora, non illis quidem emortuis & aridis, móxque in ignem abiiciendis, Matt.3.10 sed virentibus, florentibus & crebro fructu, Psal. 1. 3. in ipsa etiam extrema senecta onustis, Ps.92. 14. comparari. Additur autem eius rei ratio Psal.1. 4: quòd nimirum secus lenes aquarum riuos plantatæ sint. At quales aquas? Aquas, inquam, in vitam æternam salientes Ioh.4.14. non autem puteales illas ex terrarū antris emanātes, sed quales, inquit Sponsus, ego do, è supernis scaturientes, & quas Sol iste nequaquam ex terræ cauernis attrahit, sed quæ ab eodem Sponso ebullientes in terras distillant: quamobrem etiam dicitur Ecclesia ex rore istius auroræ nasci, Psal.110. 3. regenita videlicet aqua supernè effusa quæ Dei Spiritus est. Ioh.3.5 Multò minus igitur aquam aliquam palustrem aut è limoso lacu haustam intellige, sed purissimam & limpidissimam Iere.2.13. non ab hominibus effossam,

ſam,ſed cælitùs à Domino demiſſam, ad quã potandam ſuos Dominus inuitat Eſa. 55. 1. Quæ ſi nos omnia ritè perpenderimus,ex iis cognoſcemus qua ratione verã Eccleſiam à falſa,viuentem à mortua diſcernamus, Apocalyp.3.1: verum Dei verbum è cælo in Prophetas & Apoſtolos effuſum vt illud in mundum ſpargerent,Epheſ.2.20.Apoc.22.2.à falſo & ab hominum manante cerebro, variíſve ipſorum commentis adulterato, Eſ. 29.13. &Coloſ.2.22:ac proinde verum & ſyncerum Chriſtianum,tam à ſuperſtitioſo quàm fucato & hypocrita diſtinguamus.

Quibus floribus Eccleſia ſuo tempore decoretur.

Quæ de floribus ſubiicit Sponſus, quibus tanquam tapetibus inſtrata terra decoratur, eôdem quo ſuperiora ſunt referenda, vt per eos Spiritus ſancti in Eccleſia fructificantis efficacia denotetur, Deo ſeruorum ſuorum laboribus,prout vult,benedicente, vt ita Domini aruũ totũ ſit floribus ſtratum: & quidẽ tãtum odorem ſpirantibus vt ipſum cœlum pertingant,Deo grati:ſed in Chriſto Ieſu, ſicut docet Apoſtolus 2.Cor.2.15. non autẽ in ſeipſis,nequis hîc ſibi neſcio quę merita confingat,ex illa florũ, quos hortus noſter, licet ſupernè benedictus, protulerit, quantumuis pulchrorum ſuauitate & fragrantia: tantùm abeſt vt is ager quem peſtilentes venti ex ipſis terrarum antris erumpentes vndique perflant, eos flores de quibus hîc agimus procreet, licet illa fœtida hominibus ſua mirari ſolitis, bene & ſuauiter oleant, ſibi perſua-

dentibus nimirum suorum somniorum sordes, tum vetustas tum recentes, ipsi Deo suauissimum odorem effundere. Hi sunt demũ flores quos Deus ipse in aruo suo serit, 1. Cor. 3.9. eorum vsus ministerio, quibus plantandi & rigandi onus imposuit. 1. Cor. 3. 16. quam etiam ob causam Paulus Philippenses suam coronam vocat, Philipp. 4.1.

Deus suauissimis floribus agrũ Ecclesiæ suæ per sacros suos conserit agricolas.

Quis porrò alius nisi vnus Dominus floribus istis agrum suum conserit, cælitùs illis instillans per pretiosissimum suum verbum, eo quem ipse præscripsit ordine administratum? Esa. 5. 2. sub Lege quidem in templi & illius apparatus omnis structura: & in illo instructissimo ordinatissimóque Sacerdotũ ac Leuitarum exercitu, ea magnificentia insigni quæ nobis velut in tabella, 1. Reg. & 1. Paralyp. spectanda proponitur. His adde Solomonis Sapientiam in extremas vsque orbis terras diffusam & refulgentem, cui præterea fuit adiũcta terrenorum omnium bonorum tam abundans copia, vt propterea Dei populum reliquæ gentes etiam procul remotæ (teste Sabæorum Regina) suspicerent. Et tamen florum istorum excellentiam, nullam vel sanè perexiguam fuisse fatendum est, si conferatur cum Euangelici ministerij Margarita, Matth. 13. 46. Hoc autem quum ab initio Dominus Apostolis & Euangelistis commisisset, illi vt fidissimi & diligentissimi plantatores & satores, 1. Cor. 3. 6. huius mundi aruum quam diligentissimè exco-

excoluerunt & expurgarunt, vt verè tunc fuerit in nouum Paradisum transformatum, & ipsorum tempore non modò crebris floribus fuerit decoratū, sed etiam præstantissimis quibúsque super cœlestibus thesauris locupletatum, qui primum sine mensura in caput nostrú effusi, ab ipso deinde liberalissimè, imò profusissimè in suos Apostolos die Pentecostes, & deinceps in alios redundarunt, id quod Apost. facta illorum enumeratione ostendit, 1. Cor. 2. maximè verò Ephes. 4. 11. quum de vocationibus merè Ecclesiasticis loquitur, quæ sunt Ecclesiæ decentissima ornamenta. Hæc autem tanta noui fœderis beneficia non est quidem terrenarum opum affluentia consequuta, sicut olim quùm Solomonis templum & regnum stetit, sed alia tantò pretiosiora quantò caducis præstant merè Spiritualia & incorruptibilia: inter quæ ipsa Crux veluti flos præcipuus supereminet, indicans Ecclesiam non esse ex hoc mundo: sed mundo quidem exosam, & à mundo affligi solitam, capitíque suo quem mundus est persecutus conformem, Iohan. 17. 14. & 16. sed cui sicut in cruce conformatur, sic etiam tandem aliquando in gloria vera & sempiterna conformis euadat, Rom. 8. 28. & 2. Timoth. 2. 1.

Comparatio florū istorū cū Pseudo-ecclesiæ fuco.

Veræ itaque notæ Ecclesiæ Christianæ non sunt campanilia, non altæ turres, non alia operosa & sumptuosa ædificia, non tiara, non lituus aureus argenteúsve, non aureus

pannus, non gemmæ, non margaritæ, non cruces aureæ vel gemmeæ: quorũ omnium fuit olim vsus, vt mundi essent rudimenta, & eorum figuræ quorum Christus est verum corpus & substantia, Colos. 2.8 & 17. & Heb. 10.1 quæ nunc autem sint meretricis illius ornamenta de qua Iohannes Apocalyp. 17.4. Verum itaque & proprium suum ornamentum habet Ecclesia, quòd ad Deum attinet, sacri ministerij institutũ ordinem & cultum suæ puritati restitutum: quòd ad se verò, certitudinem intelligentiæ, siue πληροφορίαν mysterij nostræ salutis. Col. 2.2, & à Spiritu sancto editos fructus, quos pluribus recenset Apostolus, Gal. 5.22: flores, inquam, Deo, ex pura puta ipsius misericordia gratos & acceptos.

Querela super raritate istorum florũ in omnibus Christianorũ statibus.

At quemadmodum quòd attinet ad illa quæ ex Dei bonitate recepimus, cogimur singularem ipsius gratiam agnoscere & prędicare, Eheu, quàm multa sese hic nobis offerũt, quod ad nos ipsos contrà attinet, deiectionis argumenta, & coram ipsius facie nos accusandi? Vbi enim apud nos, obsecro, fructus istos reperias? Quòd si qui extant, (nec enim vnquam Dei verbum inane est & sine aliquo effectu. Esa. 55.11.) an tam multi sunt, vt ex ipsis vel flosculum componere, & Spóso nostro odorandum exhibere possimus? Vix ego quidem illud in hac veritatis cathedra sedẽs ausim affirmare. Nam enim istiusmodi flores multos nobis mercatorum tabernæ

bernæ suppeditarint? Minimè gentiũ, quum istiusmodi hominibus nihil nisi lucrum sapiat. Num ergo id compensabunt fora iuri dicundo huc & illuc in orbe Christiano dispersa? Vah! vt incuriam omittam, Deo tam ingratam: vt prætercam personarum acceptionem tantopere Deo fœtidam: quis in ista litium, clamorum, & rixarum patria, in qua falsitas longè latéque peruagatur, vbi venalis est fides, vbi dira vindictæ libido, & ex alienis litibus commodorum propriorũ turpis captatio, & vafrum aucupium apertè grassantur, vel vnicum inueniat suauis odoris flosculum? Istis ergo relictis ad opifices & mechanicos trãseamus. Quid illic autem reperiemus? in vnis omne fraudis genus: in aliis, ac præsertim in peritissimis quibusque artificibus, ignauiam, etiã in iis qui in diem vitam trahunt. Testantur hæc nobis vrbis compita, & celebriora extra vrbem loca, ludentium otiosorum pedibus attrita. Testantur quoque caupones quibus lõgè quæstuosissima est istorũ desidia. Testes sunt etiam lachrymæ & gemitus, miserarum vxorum vapulantium, & liberorum fame pereuntium eiulatus. Sed fortassis, istis relictis, apud honestiores & opulentiores ciues, quos alunt annui reditus, odoratum aliquod sertum nãciscemur. Multò verò minus. Vestibulum enim illorum est, *Adfer*: ingressus reperies statim, *Accipe*, progressus interius occurret, *Diffidentia & inexplebilis Auaritia.* Conueni-

cum ipso, si potes, transige. Tota enim est illi domus administratio commissa. Et, vt nihil ibi geratur gratis, ipsis laniis à miseris oniculis agendæ sunt gratiæ, à quibus incruento vulnere sunt iugulatæ. Sed vxores fortasse quum corollis & flosculis delectentur, flores quos quærimus nobis suppeditauerit. Nihil minus. Vnum est omnium studium, qualis herus, talis hera. Imò amplius quiddam inuenias in mulieribus quod culpes, vanum videlicet luxum, à vertice ad talos:, quem neque positæ à Magistratu leges, nec toties à nobis Pastoribus inculcatæ monitiones & increpationes: non ipsæ denique Dei animaduersiones cohibere possunt. Ecquem verò tandem vos quidem peccandi, nos verò comminandi finem faciemus?

Cantica quibus Christianorũ templa persona nãt, impudicis illis & impuris poetarum carminibus & mundanis cantionibus opposita.

Addit Sponsus, *Tempus adesse cantillantium auium, & esse vocem Turturis exauditam.* Quas verò nobis hic cantiones narrat? Certè non impura illa & obscœna poëmata, (tantę quidem spurcitiæ plena, vt nullam vnquam cuiusuis fœdissimi lupanaris putidissimam cloacã tantũ fœtorẽ euomere potuisse credam) quæ tamen aliunde summo nostro dolore hûc vsque importantur. Non etiam inanes voces, lingua, tum ipsi cantori, tum auditori peregrina & incognita, in aërem iactatas, 1. Cor. 14. 15. Non infames illos idololatricos hymnos, siue, quas barbarè vocant sur-

ſurdis ſuis idolis magno boatu à cultoribus idololatricis decantatas, 1. Reg. 18. 16. Non illos ex ſacris literis temerè decerptos & malè conſutos centones, quibus garrula modulatione demulceri ſtultorum aures ſolent. Nō denique ineptas illas futiléſque cātiunculas, quibus meſſis, aut vindemiarum tempore, aër ipſe totus perſonat. Sed eas hic cantiones memorat, quas ipſe ſuos Dominus docet, & inſpirat ipſorum cordibus, oríque indit, Pſ. 40. 4. quales ſunt Pſalmi, immò & hoc ipſum Canticum, à Spiritu ſancto dictatum In hac igitur harmonia ipſe Sponſus Canticum præcinit, & eo Sponſam inuitat, vt ſecum illa paribus modis modulatos concentus obſeruet.

Ecquam verò aliam Sponſi vocem, & inuitationem eſſe dixerimus, quàm ſacroſanctum illud Dei verbum quo vniuerſus orbis perſonuit, & quò diuinitus Deus ſuam Eccleſiam excantauit, primùm per prophetas, deinde ſuo tēpore ſua ipſiuſmet voce, mox per Apoſtolos, deniq. per Paſtores & Doctores, qui etiamnum fidelem hodie ipſi operam in hoc miniſterio impendunt? Ego ſum Deus tuus, tuíque ſeminis, cecinit ille Abrahamo, Gen. 17. 7. Et, in ſemine tuo benedicētur omnes nationes terræ, Gen. 26. 4. quē diem Domini ipſe Abrahamus vidit & gauiſus eſt, Ioh. 8. 56, Surge, (dixit Dominus per Eſaiam) Ieruſalem, & eſto lucida, quādoquidem aduenit lux tua, & gloria Iehouæ ſuper te orta

Cantus Sponſi inuitantis Sponſam.

est. 60. 1. Gaudium magnum quod erit toti populo vobis annúciamus, dixère quondam Pastoribus Angeli, Luc. 2. 14. Ipse verò Sponsus ore sanctissimo suo, Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis, & ego vos reficiam, Matth. 11. 28. Quid item Apostolus? Gaudete in Domino semper, rursum inquam gaudete Phil. 4. 4. Ne verò Cruce, perpetua & indiuidua Euangelij comite, gaudium illud perturbari posse putemus, sic per Petrum Apostolum loquitur, Immò in eo quod consortes estis afflictionum Christi, gaudete, 1. Petr. 4. 13. Id enim Petrus à Præceptore suo didicerat, Matth. 5. 12.

Cantus Sponsæ concinentis Sposo suo. En igitur tempus de quo Spósus agit hoc loco: En illam vocem turturis parem suam aduocantis, qui vicissim illi respondere pari affectu non cunctatur, quemadmodum ex sanctorum canticis omnibus videre est, quò nos etiam inuitant quodammodo ipsæ auiculæ, appetente suorum amorum tempore, ad quas ob hanc ipsam causam non sine graui obiurgatione reuocamur Ierem. cap. 8. 7. Sed illud etiam est hoc loco animaduersione dignissimum; quum de cantionibus agitur quas in Ecclesia exaudiri oportere diximus, nō haberi potissimam vocis rationem, (etsi eorum quæ corde credimus ore confessio fiat ad salutem) sed hoc primum requiri, vt illud intus sentiamus quod foras proferimus, & idem sit cordis & oris concentus: ne nos illud Prophetæ perstringat,

Popu-

Populus iste me ore suo & labiis honorat, cor autem eius à me procul abest, Esa.29.13. Et Propheta Psalm.50.16. Tene verò (inquit) enarrare decreta mea, & assumere fœdus meum in ore tuo? Quamobrem etiam alibi idem Propheta non simpliciter dicit laude dignum esse Deum, sed addit laudationem eius decere rectos, Ps.33.1. Deinde, fidelē totum esse oportet vt ita loquar, ex oribus & linguis compositum, & nihil cogitare dicere, facere, in sese denique nihil habere quod non testetur eius gloriam, cuius ipse, est nouum opificium ad eius gloriam conditum, Ephes.1.12. & 1.Cor.10.31. Sin minus, quale sit verum illud tempus ignoramus, Domini enim terra, terra est, sacris cantibus personans Psalm.118.15.

Dulcissimos etiã fructus in horto Spõsæ cum floribus inueniri.

Idcirco Sponsus vt reliquas veris notas indicet, addit, *Ficum protulisse grossos suos & vites racemos edidisse*, vt ita doceat verè piis in Ecclesia Dei, non solùm hanc à Deo gratiam concedi, vt velint, quod est floris instar, sed etiam vt faciant, quod est fructus, effectum videlicet voluntatis, Philipp.2.3. Ephes.2.2.

Differẽtia inter horti quẽ Sponsus excolit fructus, & virtutes quas Morales vocant.

Selegit autem sibi Sponsus ad hanc similitudinem duas fructuum suauissimorum species, vt nos doceat quanta sit dissimilitudo inter illa virtutum simulachra quas Morales vocant, & quales in non regeneratis apparent, in quibus Deus quadantenus naturale vitium frænat (quas omnes nullius esse grati

gustus nec saporis, vel ex eo liquidò constat; quòd quicquid sine fide fit, peccatum est, Rom.14.3. & extra Christũ nihil ad salutem Deo placere potest) & opera filiorum Dei, quos Spiritus regenerationis in ipsis habitans regit, Rom.8.9. quam etiam ob causam dicitur fides quæ sine operibus est, esse mortua Iacob.2.26.

Aruum Ecclesiæ non denuò cõseri post præteritã hyemẽ sed iam inde ab initio consitum permãsisse, & permanere: & quantum decipiantur qui Nouum pro Vetere & contra Vetus pro Nouo accipiunt.

Nec istud etiã est leuiter prætereũdũ. Spõsum de Sponsa non agere tanquã de plãta recens enata, sed tanquã de agro incuria colonorũ inculto, quod sit postea diligẽti cultura purgatum, & frugibus ferendis rursus aptatum. Veram enim Dei Ecclesiam falsa illâ longè esse antiquiorem vel ex eo quiuis deprehendat, quòd nemo nescit priorem esse mendacio veritatem, & prius esse integrum quàm corruptum. Sic priùs est Adam ad Dei imaginem creatus, quàm à peccato deformatus. Post lapsum autem Adamo & Eua salutis promissiones amplexis (nam alioqui nullam tunc in mundo Ecclesiam fuisse diceremus) cœpit esse Ecclesia quæ Dei ciuitas est, priùs quàm Satanica illa à Caino & eius similibus ortum habens adhuc extaret. Verùm quoniam iam pridem multi Antiquitatem iactitant, cuius obtentu plurimos fallunt, ex quorum ignorantia maximum quæstum faciunt: inde accidit, vt qui nec ipsi docti sunt, nec se ab aliis doceri patiuntur, Nouum pro Vetere, & contra Vetus sæpe pro Nouo accipiant. Istius farinæ iam olim fue-

fuerunt ij quos Petrus 2.Pet.3.4. ſuo iam tem pore, quum Apoſtoli ſecundum illum filij Dei aduentum ſumma grauitate non reſipiſcentibus denuntiarent, quem adhuc hodie futurum expectamus, teſtatur ſolitos fuiſſe cum riſu & ſannis minas iſtas excipere, quòd omnia, ſicut erant primorum patrum temporibus, ita dicerent permanere: quos redarguens Petrus, Immò, inquit, ſcire vos oportuit, mũdum non eſſe talem ab initio creatum qualis nunc eſt, & Deum prioris mundi corruptionem graui & horribili iudicio vindicaſſe. Non aliter etiam Iudæi quum abducerentur captiui in Ieremiam reiiciebant omnium iſtarũ calamitatum ſuarum cauſam, & quaſi eſſet ipſe illius deſolationis auctor præteritum tempus illi exprobrabant, quo & patres ſuos antequam concionari inciperet feliciter vixiſſe, & ſibi omnia proſperè ſucceſſiſſe prædicabãt, quũ Reginæ cœli libamẽta offerrẽt, Ier.44.17. Et, quò non hominũ audacia progreditur, quum ipſum Chriſtum concionantem audientes dixerint, Quæ doctrina noua hæc? Marc.1.27: quibus cõtrà Chriſtus reſpondens, Scrutamini (inquit) Scripturas, nam illæ de me teſtantur, Ioh.5.39. Reginæ autem cœli nomine illis hominibus Solem fuiſſe deſignatum conſtat ex lingua Hebraica. Iam verò noſtrum iſtud ſeculũ quid habet ab illo diſſimile, niſi quòd Reginam cœli, non Solem quidem adorat, ſed eius loco Virginem Ma-

riam ſtatuit, quaſi nos in cœlis Reginam aliquam matrem agnoſcere oporteat. Reginam aio matrem. Nemo enim negat aliquam eſſe Reginam, ſed huius Regis Sponſam videlicet iam nunc ex parte cœlos tenentem, ex parte verò adhuc in terris certantem: Eccleſiam nempe, Chriſti ſui Sponſi cohæredem, & à Propheta Pſalm. 45.10. Reginæ nomine inſignitam: non tamen vt adoretur: quod abſit vt vnquam Eccleſiæ veræ in mentem venerit, nedum vt beatiſſima illa Virgo, vna ex præcipuis huius Sponſæ membris ſibi vnquam vindicarit, aut etiam appetierit, quæ vni Chriſto Filio ipſius ſimul & Domino propriè & in ſolidum conueniunt, aut iis blaſphemiis (ſi modò illos exaudiret) delectetur, quibus, ab iſtis ſcilicet eius cultoribus, ornatur, quum Mediatrix noſtra, mater miſericordiæ, vita noſtra, ſpes noſtra, magnis clamoribus vocatur, atque adeò Filio ſuo iubetur imperare, qua blaſphema voce quid dici poſſit horribilius? Et tamen iſta reprehẽdere, vel leuiter damnare, maius apud iſtos, qui ſe Catholicam Eccleſiam eſſe volunt, ſcelus habetur, quàm ſiquis millies Deum abiuraſſet. Ecce enim (inquiunt miſerè decepti homines) nũquam Mariæ inuocatione caruit Eccleſia Chriſtiana, nec vllum fuit tempus quo ſancti cœlites iſtis honoribus non colerentur. Immò ridiculè ſibi vltrò perſuadent, quàm plurimi omni tempore Miſſis fuiſſe litatum, & nunquam

quam nō extitiſſe Papam vices ſcilicet Chriſti in terris gerentem. Ergo, inquiunt, quale iſtud eſt nouum Euangelium? Vbi gentium erat ante annos quinquaginta veſtra Eccleſia? Sunt autem iſti miſeri ad hunc cōtextum noſtrum reuocandi, vt nos cum Sponſo reſpondentes audiant, illam ipſam eſſe vineam, quæ ex Ægypto tranſplantata, in manus non colonorum ſed perfidorum prædonum animas negotiantium inciderit: quibus iam per ipſius Dominum erepta, longè melioribus aliis colenda & inſtauranda traditur: fuiſſe hanc vineam à feris depaſtam, ſed nunc à Domino reſtitui, cui & ſepem circundet, & in qua torcular ædificet, Pſalm.80.15. Matth.21.33. Noſtras ficus eſſe illas ipſas antiquas ficus, quæ quum incuria colonorum obſoleuiſſent, nunc opportuna cultura reuireſcunt, & ficus edūt, quemadmodū & vites racemos producunt. Talis etiam fuit olim Eccleſiæ conditio poſt Saulis tempeſtates, cui inſtaurandæ quum Dauid variis remediis incubuiſſet, non tamen hoc efficere potuit, vt ſuæ puritati Ceremonialem cultum penitus redderet, & Domino templum ædificaret: quod quum filius eius Solomon perfeciſſet, iſtam inſtaurationem hoc loco comparat cum agro cuius ficus onuſtæ ſint groſſis, & vites multis vuarum rudimentis graues, quæ magnam vberrimæ vindemiæ ſpem faciant.

Et quid amplius? Groſſos iſtas & racemos *Groſſos iſta*

& nascentes racemos ad maturitatẽ peruenire.

adhuc duntaxat inchoatos, ad maturitatem excrescere oportet, sicut infans non in eum finem lactatur, vt semper ab vbere matris pendeat, sed vt tandem à lacte depulsus, & solidiore cibo vsus, adolescat, 1.Cor.3.2. Denique in Christo regeniti sumus, vt in ipso sensim crescamus in virum perfectum ad mensuram staturæ adulti Christi, Eph.4.13: & stadium ingressi sumus, non vt in medio curriculo cursum abrumpamus, sed vt decertemus donec coronam vitæ apprehenderimus, 1.Timoth.6.12.

Grauis exhortatio ex superioribus maxime verò ex ficus aridæ, cui Dominus maledixerat, similitudine deducta.

Hæc itaque sunt nostri muneris & officij, ne similes infelici illi ficui simus, quæ miseræ Iudæorum gentis proximumq; excidium designauit: cuius meminit Euangelista, Matth. 21.19. narrans Dominum quum ad eam accessisset, & in ea nullas ficus, sed sola folia repperisset, ipsi maledixisse, licèt tum nõ aduenisset ficuum legendarum tẽpus. Cúrnam id verò? Nempe vt hoc signo Dominus Iudæis denũtiaret quę damnatio illis immineret, quoniam tempus gratiæ quod ignauiter contempserant præteriisset, quemadmodum ipsos præmonuerat, Luc.13.6. Ideò discipulos suos fidelis magister admonẽs, Sicut, (inquit) nostis adesse æstatem quum ficus germinat, sic quum videritis signa aduentus mei, scitote me prope iam & ad fores adesse, Matth. 24.32. Ad hæc verò quid de nostris temporibus sentiemus? felicissimis illis, si modò visitationem illam ex alto nosse-

noſſemus, Luc.1.68. & 78. & 19.44. Sed quæ tamen infeliciſſima nobis reddit indomita mundi durities & contumacia, Eſa.5. 24? An non enim hoc ipſo noſtro ſeculo vicœpit Dominus iacentem & deſertam vineam ſuam redintegrare, & ficus ſuas ablaqueare? Nonne noſtra memoria ficus iſtæ groſſos, & vineæ botros produxerunt? Sic eſt profectò: imò & aliquid amplius auſim dicere, nempe, quæ Dei laus eſt, ficus iſtas & vineam Domini, non tantùm groſſos vel rudimenta racemorũ, ſed plurimas pulcherrimas & optimas ficus & maturiſſimas vuas produxiſſe. Sed proh dolor! Præterquàm quòd tempeſtates, & grando, quas peccata noſtra inuexerunt, arbores & vites excuſſas grauiter afflixerunt, adeò vt vineæ Dominus vindemiam ſuã maturare ſit coactus, quis eſt hodiernus miſerè iacentis iſtius agri ſtatus? quot enim ficus? quot vites à radicibus ſuis reuulſas? quot etiam groſſos, quot racemos diffluxiſſe conſpicimus? Et quam nobis ſpem melioris ſtatus facit in poſterum iuuentus? Sanè perexiguam, vt illud potiùs adueniſſe tempus videatur de quo loquens Eſa.5.2. Dominus, Expectabam (inquit) à vinea mea vuas & ecce labruſcas protulit: Quid igitur aliud ſupereſt, niſi vt arida amputata ſarmenta, & congeſta in faſciculos, in ignem abiiciantur? Matth.3.10. & Ioh.15.6. Nam, obſecro, adeò ne cæcutimus, vt non animaduertamus quid Orienti, quid Occidenti, quid Meridiei &

Septentrioni acciderit, & in dies adhuc accidat? an vſque adeò obſurduimus, vt necdum audiamus ingẽtes ſecurium ictus, quarum crebris ictibus domus Domini inſignia laquearia confringuntur? Pſal.74.5: necdum ad noſtras aures immanis Leonis rugitus, & inflati maris fremitus peruenit? Eſa.5. 29. Quod ſi Dominus naturalibus ramis non pepercit, an ſylueſtribus & inſititiis parciturum eum eſſe arbitramur? Rom.11.21. Vnum igitur iſtud reliquum eſt, vt aures ad audiendum à Domino petamus, & ſupplicibus eum votis precemur, vt nobis Spiritum conuerſionis largiatur, & nobis Eccleſiæ reliquiis, quas etiam nõ hodie tam admirabili patientia ad pœnitentiam præſtolatur, magis magíſque benedicat: nos, inquam, tueatur & conſeruet, vt tandem aliquando veros Iuſtitiæ & Charitatis fructus, ipſi gratós, ad nominis ipſius gloriam & noſtram ſalutem proferamus. Amen.

IN



IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA VICESIMA PRIMA.

Auxlium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.2.verſ.13.14.

13 Surge,amica mea: formoſa mea, & veni:

14 Columba mea (*quæ es*) in rimis rupis illius, in latibulis aſcenſionis: oſtende mihi vultum tuum:fac vt audiam vocem tuam. Vox enim tua ſuauis eſt:& vultus tuus venuſtus.

QVæ extremo verſiculo decimotertio continentur, ea paulò antè fuerunt explicata quum verſiculum decimum interpretaremur: hîc verò non ſine cauſa repetuntur.Docet enim huiuſmodi repetitio, dignum iſtud eſſe quòd attentiùs à nobis & ſæpius expendatur: & nos erudire quotidiana experientia debet, quanta ſit hominum naturalis tarditas & quanto poſt regenerationis quoque beneficium veterno laboremus : quum alij medium iter abrumpant : alij , quos ſublimè volare oportuit, vix humi repere poſſint : alij denique ad carceres, vnde curſum inceperant, reuoluantur. Itaque nobis maximè opus eſt aſſiduis admonitionibus & ſtimulis: Deo, qui nos vnica voce miſericordi ſua excitare

Inuitatio Sponſi ad Sponſam excitandam toties iterata, oſtendit quantus ſit alacriorum etiam torpor naturalis: qui tunc demum emendari poteſt quum Spōſi vox exauditur.

poteſt, hac in re, vt & in cæteris omnibus, admirabili erga nos patientia vtente, &, vt ad ſe nos euehat, auribus noſtris perpetuò inſonante, quemadmodum graui cum exprobratione clamauit olim ſeſe annos quadraginta tolerauiſſe antiqui populi mores corruptiſſimos Act. 13. 18. & Pſal. 95. 10: qua de re conqueritur etiam Ezech. 22. 30: quod & ſimilitudo vineæ apud Matthæum 21. 23. luculentiſſimè demonſtrat. Sed quid opus eſt vt exempla tam longè accerſamus. Quid enim aliud egit Dominus annis ab hinc ampliùs ſexaginta, ex quo ſacroſanctũ os ſuum aperuit? Quid verò aliud agit quotidie? Annon exclamat, Surgite, ſurgite, ſurgite? Eph. 5. 14. Quis vero exaudit? quis expergíſcitur? quis aggreditur viam? Contrà, pleroſque Dei verbum ſannis excipere quis non videt? obgannientes alii tacere ipſum iubent: alij genere omni crudelitatis ipſum abigunt. Auari, ambitioſi, mœchi, helluones, voluptuarij confertim reſpõſantes: eſt aliud (inquiũt) quod agamus: Sinite vt rationes pecuniæ ſubducamus: noſtris commodis operam demus: hac vita fruamur: receptis moribus vt cæteri viuamus: id eſt, vt paucis dicam omnia, Sinite vt ipſi nos demus ad inferos pręcipites, quod nullo tuo damno fiet. Quod ſi quis vnus eſt inter multos qui Deo vocanti reſpondeat, Ibo Domine, ferè fit vt eum egregiè imitetur cuius fit mentio Matt. 21. 30. Quis verò tandẽ iſtorũ finis erit? nempe qui

describitur Psal. 95. 11. vbi, Iuraui (inquit Dominus) in ira mea si introibunt in requiẽ meam: & quod Dominus Sophon. 1.12. Erit (inquit) tempore illo, scrutabor Hierosolymam, adhibitis lucernis, vt animaduertam in istos homines incrassatos in fœcibus suis, dicẽtes apud se, Nõ benefacit Iehoua, neque malefacit. O infelicẽ miserámq; conditionẽ! Itaque vos per Deũ obtestor, Fratres, vt maiorẽ salutis nostræ curã habeamus. Satis superque sint præterita, 1. Petri 4.3: Ne quod superest, iram Dei capitibus nostris accumulemus in diẽ iræ, Rom. 2.5: & quoniã nobis adhuc istud, *Surge*, ingeminat, patrem nostrum Abrahamũ imitemur, qui simulatque Deus illi præcepit vt egrederetur Heb. 11.8. egressus est: necnon Matthæum, qui apud suam mensam deprehensus audita voce illa Domini, Sequere me, ne numerata quidem vel collecta pecunia, immò neglectis omnibus, euestigiò vocantem sequutus est, Matth. 9. 9. Cæterùm, vel his solis Sponsi Sponsam suam expergefacientis verbis, ánnon oportuit ipsos quoque pigerrimos quosuis excitatos, ad respondendũ & accurrendum incitari? Quàm enim magnificum est amicam dici optimi maximíque illius Dei filij, qui nos seipso chariores habuit, vt qui suæ nos vitæ prætio à morte redemerit Ioh. 10.15. 1. Petr. 1. 19. sibíque etiam cohæredes effecerit Rom. 8. 17? Quę verò pulchritudo cum ea gloria quę nos expectat conferri potest? 2. Cor. 14. 17.

1.Cor.2,4: & chius etiã nunc habemus arrhabonẽ, 2. Cor. 5. 15. videlicet cognitionẽ profunditatum Dei, 1. Cor. 2.10. & opus sanctificationis, quam vt in nobis inchoauit, ita etiã sanctissima benignitate sua plenissimè ad finem vsque perducturus est, 1. Ioh. 3. 10. Valeat igitur mundus à quo seiuncti sumus. Valeat offa illa Esaui, cuius gratia benedictionem repudiauit, quam postea nunquam adeptus est, Gen. 25. 32. Heb. 12. 16. Valeat imago, inquã, illa deceptrix, quæ instar somnij euanescit, vt idem Solomon in Ecclesiaste suo vberrimè nos docet, atque adeò Apostolus, 1. Cor. 7. 31. Quò nos igitur euocat? Ad se, ad se, inquam: ad lucem illam gloriæ, 1. Petr. 2. 9: ad hæreditatem quæ corrumpi non potest, 1. Petr. 1. 4: ad regnum illud quod est nobis apparatum ante iacta mundi fundamenta Matth. 25. 34. Quisnam igitur adeò infelix fuerit vt hic velit iacere diutiùs: & non potius cum Dauide conquerens dicat, O longam molestámque inter Kedarenos & Mesecitos commorationem! Psal. 120. 5. & cum Paulo, Cupio dissolui & esse cum Christo Philip. 1. 23. & , O me miserum, quis me liberabit à corpore isto mortis? Rom. 7. 14. Neque hîc excusanda est nostra naturalis surditas. Nos enim ad se vocãs Dominus, nobis etiam aures ad audiendum tribuit: quum vt veniamus præcipit, nobis quoque largitur pedes: quum vt in se intueamur imperat, nobis oculos præbet Psal. 40. 7. & 146. 8. Et hæc causa est cur dulcissima illa

formosa

formosæ suæ appellatione vtatur, nempe vt nos doceat præberi ab ipso nobis, licet ipsius inimicis, quidquid à nobis efflagitat, nempe vt pro modulo Spiritus ipsius & velimus, & Faciamus, Sed quemadmodum primus ille generis humani parens nondum deprauatus, verùm ea præditus natura quam à creatore habebat integerrimam, sponte sua, sese illa mentis atque intelligentiæ luce & puritate voluntatis exuit: ita eius ferè omnis posteritas, eadem improbitate, quæ nunc est ipsi facta naturalis, tum medicum tum medicinam auersatur.

Sed audiamus quo sermone Sponsus vti pergat, suam Sponsam quæritans. *Columba mea*, inquit, *degens in fissuris istius petræ, in latibulis ascensus.* Vah, quæ & quanta hîc latent mysteria! quæ vtinam Deus ipse nos edoceat. Paulò ante diximus ita nobis hoc in loco exhiberi ac describi Ecclesiam, vt quamuis ope & præsidio Sponsi nunquã destituatur, modo tamẽ eius desiderio languescat, modo ipso fruetur, sed vt in Sponsalibus: idque interdum propiùs, interdum longiùs: interdum Sponsum vicissim quærens, interdum à Spõso quæsita: quas circunstantias necesse est omnino vt probe obseruemus, ne nos fucatæ illius Ecclesiæ larua incautos decipiat: qualem videlicet sibi nonnulli confingunt, quibus hoc in animo sedet, semper ab Ecclesia Catholica splendorem illũ suum inuiolatũ retineri, quos tum historiæ sacræ series, tum

Sponsa timore frequenter percellitur adeò vt coacta locum hostibus cedat: Columba nihilominus semper manet, illibatámque sanctitatem custodit.

ea quæ poſtea conſequuta ſunt ad hodiernũ vſque diem, fortiſſimè refellunt. Stulti certè homines, ac cum papilionibus planè conparandi, qui ardentis ellychinij ſplendore pellecti alas ipſi ſibi exurunt: aut etiã cum auiculis, quæ luce flammæ capiuntur, quam Solem eſſe exiſtimant. Iſta igitur falſiſſima & in primis cauenda eſt opinio, in qua libenter homines acquieſcunt, vt qui ſibi Euangelium tranquillum pacatúmque, & Eccleſiam holoſerico præfulgentem exoptent: quum ſpinis demum coronatus in cruce Sponſus triumpharit, nec ratio pati poſſit vt alio atque Sponſus veſtitu ac cultu viſenda Sponſa incedat. Itaque ſupra verſiculo vndecimo, Spóſum de hyeme cum Sponſa colloquentem audiuimus, & ver amœniſſimum ipſi prenũtiantem. Eam ergo nunc affatur, veluti columbarum more prius perterritam, & extra periſterotrophium, in editi alicuius ſcopuli cauernis commorantem. Hac autem in re digniſſimum eſt in primis quod in eiuſmodi temporum articulis annotetur, eos videlicet qui verè ſunt fideles natiuam columbarum indolem exhibere: neque fraudi fraudem, ſed malitioſis mundi artibus natiuam genuinámque ſimplicitatem, patientiam ſuperbiæ opponere, Luc. 16. 18. & quæcunque tandem occurrat periculi facies nunquam puræ & rectæ conſcientiæ, quemadmodum Dauid toties tum verbis tum reipſa teſtatus eſt, oblitos: Deo viciſſim illis mirè optulante

Pſal.

Psal.125.3. & 1.Cor.10.13. dum, quoad eius fieri potest, furori hostium cedunt & Dei manum in silentio & patientia expectant. Luc. 21. 19. Hæc illa igitur Columba est quæ in cauernis commorata, exacta tempestate sæuissima, inuitatur à Sponso, vt in amœnam planitiem descendat.

Exempla secessus Ecclesiæ sub vetere fœdere.

Non alia fuit afflictæ & humilis Ecclesiæ conditio, quum sæpenumero, tum Iudicum temporibus, ac præsertim Heli pontificis Maximi, arca ipsa fœderis in hostium potestatem redacta, deploratissimóque rerum omnium statu. Samuelis autem ætate, spatiũ quidem respirãdi nacta est, sub initium regni Saulis. Sed mox & in primis, exorta in Dauidem persequutione crudelissima, & cæde sacerdotum patrata, & post interfectum Saulem, inter Dauidem & Iphibosetum ciuili flagrante bello, vbi quęso delituerunt pusillę fidelium copiæ, ipso Deo longè latéque Iudæam totam castigante? quænam tum erat illius peristerotrophij conditio & facies? quæ tabernaculi? quæ totius diuini cultus? quum æquata solo esset Silo? arca fœderis in priuata domo viseretur, nempe Abinadabi, 1. Sam. 6. 22. à tabernaculo seiuncta quod in Nobe custodiebatur, 1. Sam. 21.1. & inde Gabaonem posteà fuit asportatum? 2. Chron. 1.3. Nec prius desiit hæc separatio, quàm ipse Solomon (huius Sponsi figura) pulcherrimum illud templum tanquam columbarium erexit, ad quod hæc Sponsa nunc euocatur.

catur. Nec dubium eſt quin huc iſte referri debeat contextus, præſertim ſacra hiſtoria duobus in locis 1. Sam. 6. 22.&.2.Sam.6.3.diſertè commemorante domum Abinadabi, vnde arcam Dauid hieroſolyma deduxit, in colle ſitam fuiſſe: quod & ipſe fortaſſe Solomon expreſſè ſignificatum voluit, ſcopuli concaui mentione facta, vbi dum hæc ſæuiret tempeſtas, hæc Sponſa delituerit. Nihil tamẽ impedit quominus hæc allegoria longiùs etiam trahatur. Etenim hoc ipſo regnante Solomone, idolis ab eo paſſim collocatis, ánnon è ſuo columbario rurſus penè omnino exturbata fuit hæc Columba? Quid verò accidit poſtea? Hic enim nobis ſpectanda proponitur Eccleſiæ conditio, qualis non ſemel aut bis, non ter quaterúe extitit, ſed qualis eſſe plerunque conſueuit: ſemper tamen, ſuo tempore, in planitiem à ſuo Sponſo euocata. Mortuo igitur Solomone, ad idololatriam conuerſis decem tribubus, quot columbaria, ſynagogæ videlicet proſtratæ, Ieroboami vitulos recepêre? Cuiuſmodi tunc fuga fuit Leuitarum & piorum omnium ad hieroſolymitani templi rupem gregatim conuolantium? 2.Chro.11.14. Et qualis, obſecro, tunc ille ipſius templi nidus fuit, à Roboamo ad Sedechiam vſque, ſub pleriſque Iudæ regibus? Nidus certè prophanus, & idolorum ſtercore infamis, quemadmodum & ipſa teſtatur hiſtoria, & ſigillatim luculenter narratur Ezech.16. Ecquid tunc igitur aliud agere piorum reliquiæ

reliquiæ potuerunt, quàm, columbarum instar, in ſuis latibulis gemere? Non abſimili ratione prophetæ in deſerta refugerant ſub Elia & Elizæo 2. Reg. 4. 38. Imò fuerunt etiam iſta illorum latibula grauiter ab impia Iezabele affecta, & penè funditus deleta, vſque adeò vt centum prophetas in duobus antris latitantes, quidam, pietate ſingulari præditus, pane & aqua pauerit 1. Reg. 18. 13. Ipſe quinetiã Elias in eas anguſtias eſt redactus, vt in vaſtiſſimo deſerto à coruis 1. Reg. 17. 6, & Angeli miniſterio aleretur. 1. Reg. 19. 6. Triſtiſſimis verò captiuitatis temporibus miſera hęc Colũba horrẽdo triplici turbine ſeptentrionali, tam procul, templo demum & vrbe ſolo æquatis, ánnon tunc fuit in ſuis latebris velut impreſſo ſigillo occultata? Sic enim hac de re loquitur Eſaias 26. 20. Et vbi rurſus verſata eſt Ducem Matathiam ſub Antiochi tyrannidę ſequuta? 1. Mach. 2. 17.

Exempla eiuſdem receſſus ſub nouo fædere: initio facto ab ipſo Chriſto.

Quid autem deinceps? Incipiamus ab ipſo Chriſto, id eſt ab hoc Sponſo de quo hic agitur. Annon ipſe vixdum in lucem editus, pene toto orbe terrarum eiectus eſt? Vbi natus? in ſtabulo, deſtinato pecudibus domicilio, ſiquidem illius matri nullum patuit hoſpitium Luc. 2. 17. Quid? annon inde in Ægypti latebras illum transferre oportuit? Matt. 2. 14. Vbi educatus? in paupere fabri domo Marc. 6 3. in oppido Nazareth petræ impoſito Luc. 4. 29 loco tam nihili habito, vt quęratur an inde boni quicquam oriri poſſet

Ioan.1.46. Hinc profligatus quò se contulit? in rupē vrbis Capernaum, Luc.4.31. & 10.15. vbi ne locum quidē habuit in quo caput reclinaret, Luc,9.58. Ad extremū, quónā abreptus est crucifigendus? in mōte Caluariæ: vbi post mortem est conditus? in excisæ rupis spelunca Luc. 23.53. Ita hic ipse sponsus in terris agens non destitit velut à scopulo in scopulum volitare, donec tandē in cœlum euolarit. Hoc idem iter ingressa est præeuntibus Apostolis prima illa verè Apostolica Ecclesia in mundo peregrinans 2. Cor. 6. 5. Heb. 11. 38: quæ conditio ad extremū vsque diem perdurabit, Ioanne teste Apoc. 12.14.

Vultur Romanus hanc Columbam expulit ex planitie, ex qua cepit nostro tempore Sponsus illam euocare.

Nec aliam sortem vetus Ecclesia post Apostolorum excessum experta est, & quidem Romana in primis, ad Siluestrum vsque Romanum Episcopum, magno imperante Constantino, quum hæc colūba, quæ in cryptis & speluncis tot annis delituerat, sic capta est verna planitiei amœnitate, vt dum ibi non tantùm quiescit, verùm etiam soporatur, rapax interea genus auium columbarū speciem ementitum, illecebris adulationum & præstigiarum, Romanam Aquilam vsque adeo demētauit, vt ad extremū Vultur quidē Romanus ipsi aquilæ coronam re ipsa eripuerit, quam capiti suo triplicem imposuit, ipsius Aquilæ pennis ornatus, & ipsius vrbis primariæ occupato solio, eò vsque nunc euectus, vt quod imperij Romani superest vel extrema pati vel bestiam adorare cogatur.

Itaque

Itaque imago illa imperij Romani,(scortum illud nimirum septem Romanis collibus insidens) eius cuius ipsa est imago naturam & ingenium retinens, eodem sibi scopo proposito, pro viribus in eo tota est vt colūbaria subuertat, &, iniectis in ipsas illarum latebras ignibus, ferro & flamma pauidas columbulas perdat, sicut semper factitauit & adhuc factitat. Quid autē ad hæc Dominus? nempe hyemis tempora semper circunscripsit, quemadmodum perpetua seculorum omnium experientia comprobauit. Quinetiam subitò quantas libuit tempestates & procellas cohibuit, vt legimus Psal. 65. 8. & vt reipsa Christus suis discipulis demonstrauit. Matth. 8.26. Hæc autē à me (Fratres) potissimum nostri causa dicuntur, qui regionē incolimus quam meritò quispiam nidū appellare possit, editis montium fastigiis affixum: in quem Dominus tot pauidas refugiētes columbas exciperet, nidum profectò singulari &, omnium populorum admiratione dignissimum, diuina bonitate ac misericordia contra omnes Satanæ ipsiúsque mancipiorum insidias adhuc conseruatum: cuius liberationis Deus faxit vt perpetuò memores esse nos & verbis & reipsa testemur.

Columba sic exagitata nō descendit, sed sursum auolat vbi tutū habet receptum.

Cæterùm hoc etiam obseruatione dignum est, Columbam istam nō dici à Sponso ad rupes, sed ad rupem refugisse: nimirum vt rupem quandam certam hic significari intelligamus. Eorum enim demum est qui ab hoc

ſeculo dependent, in aduerſis huc illuc incertos animi vagari: quemadmodum ſuperſtitioſis vſuuenit, vt ſanctum quiſque ſuum, & quaſi domeſticam habeat ſacrorum religionem. Quos verò Deus pro filiis agnoſcit vnicam habent petram in qua ſecuri acquieſcunt, quę Dauidi ſolennis eſt ac trita in pſalmis loquendi formula. Contrà verò infideles, & quibus Deus infenſus eſt, ſerò tandem ſe falli ira Dei ipſos perſequente, ſentient, illo tandem indignationis die dicturi montibus, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à conſpectu eius qui inſidet throno Apoc.6.15. Ita ſeſe quondã in cauernis abdiderunt quinque illi Chananæi reges, vt, qua digni erant, mercedem reciperent Ioſu.10.16. Petra autem iſta ſiue rupes non eſt certè vel Petrus ille vnus ex duodecim, quantumuis ex audaci & imprudente, per Dei gratiam, fortiſſimus & conſtantiſſimus tandem euaſerit: ac multò minus vrbs illa ſepticollis, noua Babylon à Iohanne toties in Apocalypſi, & ab ipſo Petro, vt veteres volunt interpretes 1. Pet. 5.13. appellata: nec etiam illa Antichriſtiana cathedra, Petri nomen ementita. Sed vnicum illud fundamentum quo Eccleſia nititur, 1. Cor.3.11. ab ipſo Patre poſitum Eſa.28.16. licèt Prophetarum & Apoſtolorum, non autem vnius Petri miniſterio collocatum Eph.2.20. Apoc. 21.14. Deus igitur ille qui ſurſum eſt, nobis per vnicum illum mediatorem reconciliatus, & noſter ille ſeruator ad dexteram

patris

patris ſedens, & Spiritus ille Sanctus nos docens clamare Abba Pater, vnicum eſt piorum perfugium: qui quandiu in his terris permanent cum aſperrimis tempeſtatibus luctantes, quietem non alibi inueniunt quam in Sanctorum cœtu: inter quos ſuo Spiritu habitans Sponſus iſte inuenitur, etiam ſi duo vel tres duntaxat in ipſius nomine conuenerint. Ibi verò hæc Sponſa, in veræ Sionis arce collocata, terras infra ſe iacentes & Satanam ſub pedibus conculcatum cernens, quãtumuis mundus ipſam ſtudeat deprimere, ſemper ſurſum caput erigit, non quidem per ſuperbiam vt ille Phariſæus Luc. 18. 14. verùm ſancta fiducia, quam ipſi gratuitò largitur Dominus, & qua ſanctè confidens, ſuos omnes aduerſarios, omniáque impedimenta certa cum ſpe victoriæ laceſſit. Rom. 8. 30. Heb. 4, 16. Quin & occaſionem arripit ex ipſis hoſtium conatibus ſeſe ad Deum magis ac magis erigẽdi Rom. 5. 3. quod & ipſa Sponſi verba demonſtrant, vt qui non in deſcenſu ſed in aſcenſu collocet rupem illam ſuæ Sponſæ perfugium, quamuis diuerſo reſpectu, qua parte in montes aſcenditur, etiam deſcendatur.

Sed audiamus quid præterea Sponſus efflagitet, *Oſtende mihi vultum*, inquit, *tuum, Fac vt audiam vocem tuam*, id eſt, Fac vt te videam & audiã. Quid hoc autem rei eſt? an qui omnia videt & cognoſcit Dominus: qui cogitationes antequam in mentem venerint, per-

Sponſæ ex hac rupe vbi tamdiu occultata & muta latuit euocatæ officium eſt ſeſe clarè

Sponso spectandam praebere.

ſcrutatus nouit: qui verba intelligit nondum ex ore emiſſa Pſal. 139. 4: qui ſolus corda rimatur Ier. 11.20: qui peculiariter hanc intuetur Columbam Pſ.34.6, an illam aliquãdo in cſõpectu non habet? Nequaquam profectò. Sed hac in re Dominus facit quod præſtantes ſolent artifices, qui quum opus aliquod præſtantiſſimum ediderunt, quamuis ipſi illius effectores optimè intelligant quânam illud ratione & ex qua materia ſit cõpactum, gratiſſima tamen operis cõtemplatione gaudent, & eius admiratione delectantur. Itaque Dominus, quum initio mundum creaſſet, contemplatus ipſe dicitur ſuum opus, &, quoniam bonum illud eſſe vidit, ei benedixiſſe. Nullum autem ſub cœlo extat præſtanſtius Dei opus (illo excepto cui datus eſt Spiritus abſque menſura) quàm hæc Sponſa, vtpote quam regenitam ad imaginem filij ſui conformet, in quo etiam concorporata naturam ſpiritualem ſortitur: vtpote quæ non ſit illius opus aliquod ſenſus & motus expers: ſed cuius cordi inſpirat ipſe quid credere oporteat, & cuius ling. æ dictat quæ loqui oporteat Phil. 1. 19. Pſal. 40. 4. Eſa. 57. 19. Eſa. 51. 17. quod myſterium excellentiſſimum copioſè Apoſtolus Rom. 6. 7. 8. Eph. 5 30. Col. 3. & aliis pluribus in locis explicat.

Exortatio ad huius doctrinæ vſum.

Hic ergo ab inducta Sponſæ perſona, quæ vniuerſam fideliũ aggregationem deſignat, fideles ſinguli quibus hoc datum eſt, vt & bene velint & bene faciant, benignè compellantur,

lantur, vt ſeſe, Sponſo oſtendere, & ipſum verbis audeant conuenire: ideſt vt interiùs & exteriùs Chriſto exhibeant illorum beneficiorũ effecta, quibus in hunc vſum eos affecit. Hoc etiã ſub legali figura deſignatũ eſt, præcipiente Deo vt omnes maſculi ter quotãnis apud ipſius ædem conuenirent: quaſi Deus qui vbique eſt, atque omnia contemplatur, ita cum illis ageret, Vos eſtis tota regione diſperſi in compluribus ſynagogis. Itaque ſeorſum abeſtis à me qui hanc mihi ſedem collocaui: & quum velim conſpectu veſtro & veſtra voce frui, iubeo vt Vos patresfamiliâs ter quotannis me domi inuiſatis, & mihi clientelari fide præſtita, mecum cibum hilariter capiatis. Quis verò tantam bonitatem admiratus in iſtas voces non erumpat? Tibi parum eſt Domine, quòd me tot beneficiis cumularis, me, inquam, iſtis indigniſſimum, imò digniſſimum quem execreris, niſi etiam (meæ tarditatis non inſcius, ac proinde futurum vt niſi gratiæ gratiam adiungas, & tui agnoſcendi voluntatem intra me excites, miſerrimus ego torpeſcens, quæcunque in me contuliſſes beneficia effluere mihi patiar) tu me excitatum inuites vt coram te compaream, tibique ea ipſa exhibeam quæ in me congeſſiſti: & quæ, tertio quodam beneficio, quaſi te non indigna dignaris approbare: illa nimirum conſiderans, non quatenus à me contaminatiſſimo promanant, ſed quatenus illa vt nouæ creationis tuæ opus agnoſcis.

Quod hic ergo dicit Sponſus, idem eſt atque illud quod habetur Pſal. 50.23. Nam, inquiebat Dauid Pſal. 116.12, Quid viciſſim offeram Deo pro tot tantíſque beneficiis præter gratiarum actionem, præeunte cordis agnitione & ſubſequente oris confeſſione, conſtantem? Neque verò nos huc illuc vagari oportet, quod hieroſolymitanis erronibus illis accidit, Chriſtum etiamnum hodie in ſepulchro ridiculè quæritantibus: ſed quum is vbique ſuis adſit, & terra omnis nunc illi ſanctificata ſit 1. Cor. 10.26. ideo quibuſcunque in locis vexillum erexerit, oportet vt puras manus attollentes, nos ei videndos audiendóſque præbeamus 1. Timot. 3.8. hic enim agitur de comparitione & inuocatione publica, cuius etiam gratia Sponſus è rupe Sponſam, velut è deſerto in platitiem, verna reuecta amœnitate, euocauit, vt annis ab hinc ſexaginta peculiari ipſius benignitate mundo contigit. Quid nos interea? Tot buccinatoribus excitatis promulgauit Dominus annum illum gratioſum qui nobis verus eſt Iubilæus: orbi etiam reſtituto illo decore de quo loquitur Eſaias 61.2. & Luc. 4.19. Immò (fratres) hoc ipſo in loco iampridem his ipſis penè verbis nos compellauit & compellat, Columba mea, egredere è deſerto, oſtende mihi faciem tuam, fac vt illam tuam mihi gratam vocem ex audiam.

Reprehenſio tum ſegnitiei Sed, Eheu, quanta facta eſt rerum mutatio! Zelus enim initio magnus extitit, cócurrentibus

tibus etiam procul turmatim plurimis, & Christianorum officio fungentibus, vt de iis traditur qui duce Iosue Chananæam sunt ingressi, & de illius Reip. Israëliticæ præfectis Iosf.24.3. Priores autem illi nunc in suum illum portũ appulsi, videri sanè possunt quicquid erat inter nos zeli, solidæque virtutis secum asportasse. Seruorum suorum ministerio vociferari non desinit Sponsus, Venite ad me, vestram mihi vocem audiendam præbete. Ad hæc verba multi auribus carent: multi quid dicatur audiunt, sed non percipiunt, immò despiciunt: multi quoque, præsertim dum cœtus solemnes coguntur, & publica concipitur inuocatio, spatiantur, cõuiuiis & ludis tempus terunt, mercium rationibus subducendis vacant, in compitis ac vestibulis ædium fabulantur. Nõnulli cœtui quidem intersunt, num verò vt sua vox à Sponso exaudiatur? Id est, vt attentè Sponsi oratione audita, & inuocatione Pastoris comprobata, illud Amen Christianorum corde & ore succinant? 1.Corinth.14 16. Minimè profectò. Nam res ipsa istud loqueretur. At è contrariò, alij quidem Psalmos modulantur, sed ore duntaxat, corde procul ab iis quæ cantillant remoto. Esa.29.13, Alij in cœtum veniunt vt obdormiscant molliùs: Alij neque os neque aures aperire dignantur: Quod siquis roget vnde istud nouerimus, respondeo partim ista me ex hoc ipso pulpito oculis meis cernere: partim autem nosse ex iis

tum ingrati animi quorundam.

carnis fructibus, quos recenset Apostolus, Gal.5.19. Et hûc necesse est vt vos reuocem contemptores & hypocritæ, proposita vobis, nisi resipueritis, ea mercede, de qua Deus ipse loquens, Esa.57.16. Ego iudicabo (inquit) iustitiam tuam, & facta tua, quæ non profutura sunt tibi: & rursum Psal.50.21. Hæc te faciente (inquit) quoniam agebam surdum, cogitas me prorsus esse similem tui, Arguam te & ordine obiiciam ista oculis tuis. O quam horribilis res est incidere in manus Dei viuentis & irati. Itaque (Fratres) obtestor per ipsius Dei nomen: resipiscamus dum licet; consideremus quanta sit, & quàm infinita hæc Dei nostri bonitas, qui nos perterritas suas columbas è latibulis deserti: & ferarum crudelissimarum lustris: ex illius denique immanissimi Leonis vnguibus eripuit, & vt coram ipso comparere possimus, tam potenter nos conseruat. Properemus, inquam, ad illum (Fratres) vera freti resipiscentia, & illud cordis contriti sacrificium offerentes, Psal. 51 19. & 19 32. vt data nobis ab illo venia, in numero frugiferarum arborum habiti, gratuitis ipsius beneficiis magis ac magis ad ipsius nominis gloriam cumulemur. Omnipotens Deus, &c.

IN

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA VICESIMASECVNDA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.2.verſ.15.16.17.

15 Capite nobis vulpes,vulpes paruas, quæ perdunt vineas, dum vineæ noſtræ germinant.

16 Amicus meus eſt meus, & ego ſum illius,paſcentis*(ſuos)* inter Lilia.

17 Donec ſpuiret dies, & fugiant vmbræ,reuertere,ſimilis eſto Capreę, & hinnulo Ceruorum, ſuper montes anfractuoſos,

Sponſi vinea obnoxia eſt vulpium vaſtationi.

EX iis quæ nobis explananda ſunt,apparet Columbam ad inuitantem Sponſum euolaſſe,à quo benignè ſuſcepta eſt, quemadmodum ſuo loco videbimus: quod & hiſtoria ipſa indicat, omnibus videlicet tribubus tandem ad Chriſtum Domini coactis, nempe ad Dauidem,exinde verò ad Solomonem, qui ambo Sponſum hunc noſtrum adumbrarunt. Cæterùm ne ſibi Sponſa videretur illa compellatione & ſuo ad Sponſum acceſſu ad quietem perueniſſe, ſuis omnibus numeris abſolutam, opportunè monetur

hanc vineam ſuperioribus ereptam procellis, non tamen omni periculo vacare: quibus tamen monitis nequaquam vtitur Sponſus, vt illam perterrefaciat, ſed potiùs, vt eam mirificè conſoletur. Nec enim dicit fore, vt vulpes vineam deprædentur: ſed eſſe potius intercipiēdas: quaſi diceret, Adſunt quidem vulpes & vulpeculæ, noſtram vineam vaſtaturæ: ſed de capiendis illis conſtitui. Vt autem ad noſtram vtilitatem hæc omnia reuocemus, in primis obſeruandum eſt, eos grauiſſimè labi, qui ſe viſuros opinantur ita cōpoſitam Eccleſiam, vt internis aut externis, aut vtriſque ſimul exercitiis careat: quæ opinio ſeculorum omnium experientia conuicta eſt.

Exempla huius deuaſtationis tum ſub Vetere, tum ſub Nouo fœdere.

Hìc ergo primùm annotemus, hoc in loco nequaquam mentionem fieri Leonum & Tigrium, à quibus conſtat aperta vi Eccleſiam oppugnari: quales Iſraelitarum temporibus Edumæi, Moabitæ, Ammonitæ, ac tandem Chaldæi atque Babylonij extiterunt. Chriſtianæ autem Eccleſiæ vaſtatores fuerūt Romani & Sarraceni, ac deinceps hodie ſunt Perſarum & Turcarum gentes. Nulla hic fit, inquit, illorum mentio, ſed eorum qui quum verſentur in ſinu vineæ, vulpecularū inſtar, vindemiam alioqui futuram deuaſtant, quibus beſtiis hæc vinea, licèt optimè conſita & exculta, nunquam caruit. Tales fuère dum in terris Moſes ageret, Coré, Dathan, & Abyran, qui ſicut ſcriptum eſt Num.16. quum in

in hac media vinea honestissimo loco versarentur, illam malitiosè diruere funditus conati sunt? eo prætextu quòd totus ille populus esset fundus Domini, conantes confusionem horrendam, qualem hodie Anabaptistæ cogitant, abrogato Mosis & Aaronis ministerio, inuehere. Tales quoque fuerunt Pseudoprophetæ plurimi falsam quietem Israeli spondentes, de visionibus etiam diuinis gloriantes, quemadmodum sigillatim exemplo tristissimo Sedechiæ contra Micheam liquet, 1. Reg. 22. & Hananiæ aduersus Ieremiam vers. 28: cui sceleri operam in primis accommodarunt, quibus hoc præsertim munus impositum erat, vt vineã Domini vulpeculis istis liberarent: Sacerdotes nimirũ, vt omnis sacra historia abundè testatur. Quales auté fuêre vulpes Pharisæi, Scribæ, Saducæi, Essæi, Herodiani, aliíque, toties ausi tam malitiosè támque fraudulenter ipsummet vineæ Dominum tentare? Dominum, inquam, illum vineæ qui vt eam vastatam instauraret, è cœlo descenderat: & quorum tandem improbitate coactus, ereptam illis potente manu vineam, aliò, vt erat comminatus, transtulit? Ose. 2. 23. cuius comminationis executio, Ephes. 2. 11. copiose describitur. Quæ deinde consequuta sunt tempora, egregios quidem ac felices nacta sunt harum vulpium venatores, qui hanc quoque vineam diligenter atque laboriosè consitam & excultam tenuerunt, eò vsque

excrescentem, vt ab Oriente ad Occidentem fuerit propagata: sed horum temporum historia nihilominus declarat, plus illis semper fuisse negotij aduersum vulpes istas, quemadmodum etiam magnus ille Pastor prædixerat, Mat. 7. 15. licèt nomine rapacium luporum illos significans, quàm contra reliquos omnes aduersarios, quibuscum externo internóue bello decertandum apertè fuit. Hæ sunt enim vulpes illæ quæ Mosen cum Christo coniungere nitebantur, quarum perniciosissimus error patefactus est ac damnatus Act. 15: contra quos etiam Paulũ diutissimè acerriméque dimicare oportuit. Istos turmatim sequutæ omnis generis hæreticorum comæ: aliis diuinitatem, aliis humanitatem huiusce Domini vineę oppugnantibus: aliis, vtraque illa concessa, Christi personam diuidentibus: aliis (horresco referens,) monstrum quoddam eius loco, qui neque Deus, neque Homo sit, conflantibus: aliis suũ illi Mediatoris officium abrogantibus: aliis multipliciter nostræ fidei capita oppugnantibus: aliis denique mille erroribus non tantum falsis, sed etiam monstrosissimis, Christianam pietatem adulterantibus.

Vulpes istæ quinam tandem euadãt in Lupos & Leones, gregibus nõ parcentes, ac seipsos etiam mutuò deuorantes.

Sed inter cæteras, vulpes illæ inprimis, quæ nonnullis fidelibus Ecclesiæ Romanæ pastoribus successerunt, authoritate vrbis Romæ subnixi, quam nascentis Ecclesiæ temporibus hic Sponsus singularibus donis fuerat dignatus, tam insigniter vulpinam astutiam

ſtutiam exercuerunt, vt paulatim, atque adeò (quod mirum eſt,) dum etiam pro virili vulpes alias ex hac vinea eiiciunt, tyrannidẽ ipſi ſibi in illam vſurparint: & exuta pelle vulpina, quam tamen, quoties ipſis libuit, repetierunt, leoninam apertè induerint & vnguibus exertis greges adorti, fœdum in modum dilaniarint. Certum enim eſt iſtud axioma in hoc quidẽ argumẽto, vulpeculas iſtas ſi adoleſcere ſinantur, in Leones & Tigres mox degenerare, de quibus loquitur Mich.3 5. Hoc ſatis ſupérq; teſtatur præſens orbis Chriſtiani ſtatus calamitoſiſſimus: & confirmãt etiã Paparũ vitæ, ab ipſorũ etiã amanuẽſibus conſcriptæ: inter quos monſtrũ illud hominis emicat Bonifacius octauus: aduerſariorum quoque teſtimonio dictus, vt Vulpecula ingreſſus, vt Leo regnaſſe, vt canis mortuus. [illegible]a vero diſſerẽs (Fratres) de iſtorũ moribus obſcæniſſimis non ago, quarum pœnas à Deo efflagitat ipſa rerum omnium conditarum vniuerſitas: ſed precipuè ad falſam illam & execrandam ipſorum dodoctrinam reſpicio. Nulla eſt hæreſis, quæ quidem ad officiũ Domini noſtri Ieſu Chriſti pertineat, (qua veritate ſublata, quæcunque de ipſius perſona & Chriſtianorũ ſymbolo nobiſcum fatentur, ad nihil aliud proſunt quàm vt ijs tanquam fuco ad tegendas ſuas falſitates illito, Satanam illum patre n ſuum imitati, abutantur, quem Dominus tacere iuſſit Luc.4.34.) quæ in iſtarum vul-

pium ſcholis cõcepta, non tandem ibi ſit edita, & quæ etiamnum hodie foueatur & enutriatur in iſtarum Vulpium luſtris, vel luporũ potiùs: quos iure vocauerim ingentis illius Romani monſtri vngues & dentes, qui, ſeruata ſibi ſceptrorum & coronarum præda, facile quoduis illos quod ad doctrinam attinet audere ſinens, cuius nimirum curam à ſe abiectam illis ſtrenuis vt inde prædam captent, eius deprauatoribus & interpolatoribus futuris, commendauit. Tales ſunt, inter ceteros, quatuor illi mẽdicantium prædonum ordines, quos initio ſcola Pariſiẽſis dixit, & ſcripſit locuſtas illas eſſe ex Abyſſi puteo emergentes, & in Apocalypſi Ioannis cõmemoratas. Sed quo loco ſunt omnes iſtę vulpes quantumuis in lupos euaſerint habendę, præ infelicibus & contaminatiſſims iſtis, quę ſacrũ nomẽ Ieſu omnibus Chriſtianis commune (tam enim idem eſt Chriſtianus atque Ieſuita, vt idem eſt Chriſtus qui Ieſus) auſi ſibi vendicare, ſuas illas ſordes, quas ſeſe gratis & liberaliter, largiri dicunt, tam carè iis diuendunt quibus iſtæ merces ſapiunt, vt quadraginta plus minus annis vberiorem prædã in cauernas ſuas inde coegerint, quàm vulpes aliæ lupíque omnes, qui etiam mira temporis opportunitate ſunt vſi, quingentûm annorum ſpatio accruare potuerint. Teſtes ſunt reliqui mendicantes monachi, quibus nihil penè præter cucullatum verticem & caudam pendulam

dulam, nouum iſtud monſtrorum genus reliquit, quorum. iſti offa deuorata grandes, pingues & nitidi haud aliter nunc cernuntur, quàm ſerpentes, aiunt phyſici, aliis deuoratis ſerpentibus in dracones euadunt.

Cæterum omiſſis iſtis qui nunc perſequutiones flabellorum inſtar accendunt & ipſimet aperta ſæuitia in Domini gregem graſſantur, quantumlibet zelum religionis prætexant, videmus, quod etiam diligenter eſt nobis obſeruandum, ſimulatque vineam ſuã Dominus cæpit hoc noſtro tempore reſpicere, Anábaptiſticas & Libertinas vulpes à Satana emiſſas irrepſiſſe, varij inter ſe generis, in quibus fœdiſſimi & maximè infames hæretici ab inferis ſunt reuocati, quos tamen non pudet, perfectionem Angelicam obtendere. Alia ex parte Arriani, belli ſcilicet vnitatis naturæ diuinæ patroni, rurſum emerſerũt: Alij, veriti ne Chriſti humanitas cœlo captiua teneatur, vel cum Neſtorianis, perſona Chriſti diſcerpatur, niſi, vt aiunt, eam credamus realiter & ſua eſſentia vbiq; eſſe, ac pręſertim in terris cum illo pane & illo vino ſacroſanctæ cœnæ Symbolis: neue horũ Sacramentorũ vis & efficacia pereat, niſi ore quoque & dentibus ipſis realis caro Chriſti mãducetur, & eſſentialis eius ſanguis hauriatur, tum alteram filij Dei naturam, nempe humanam, in Marcionis ſpectrum à cõſequẽti transformant, tum prorſus repugnantia in Chriſtianam religionem inuehunt. Alij etiã

Exempla vulpiũ quæ vineam Domini inſtaurari noſtris temporibus cæptam inuaſerunt.

orti ſunt, gloriæ humanitatis Chriſti, tum acres ſcilicet defenſores, vt in naturis quidem duabus ſegregandis, Neſtoriani: Eutychiani verò in eſſentialibus proprietatibus confundendis, euaſerint. Denique, neſcio an vlla vetus ſit hæreſis quam non in mediam Eccleſiam Satan interpolatam reducere conetur: neque noua vlla, quæ quidem excogitari poſſit, quam ipſe non fabricetur, vt hanc vineam denuò non ita pridem inſtaurari cœptam opprimat, ne ſuos vnquam fructus ad maturitatem perducat.

Harum vulpium prehenſio Paſtoribus ac Senioribus inprimis eſt commiſſa.

Quid autem hic opus eſt facto? certè quod Sponſus ipſe noſter & vineæ Dominus præcipiens, *Prehendite*, inquit, *vulpes & vulpeculas quæ perdunt vineas.* Quos autem alloquitur? eos nimirum quibus huius colendæ vineæ munus impoſuit, vt ſint, tũ in fodiendo, tum in omnibus quibus lædi poteſt vinea auerruncandis, ſummè diligentes ac induſtrij: diuina propterea poteſtate ipſis, vt Dei miniſtris attributa, partim commentitiam doctrinam vera oppoſita veritate redarguendi, partim etiam à reliquo ſano corpore putria membra reſecandi. Etſi enim illi quoque membra ſunt Eccleſiæ, quam hoc in loco generaliter Sponſæ perſona figurat: peculiaris tamen ſui muneris habita ratione, quo iubentur cauere ne quid detrimenti Eccleſia capiat ipſis commiſſa, à corpore reliquo diſtinguuntur, qua etiam de cauſa illis ſpeciatim præcipitur, vt iſtas vulpes venẽtur.

Huiuſ-

Huiuſcemodi quondam fuêre & hodie ſunt, & erunt ad conſummationem vſque mundi, eximij doctores illi, quorum Sponſus opera vſus eſt, ſanctæ voluntati ſuæ patefaciendæ, quapropter etiam os ipſius appellantur: nempè quod illos afflante ſancto Spiritu ſint loquuti, 2.Pet.1.22.ideóque ſigillatim in ſacris illis Scripturis homines Dei, Videntes, Prophetæ, Speculatores, Architecti domus Dei,Paſtores,Doctores,Legati à Deo,Amici Sponſi, Proxenetæ nuptiarum Chriſti atque Eccleſię,vineę Domini Cuſtodes,Diſpēſatores myſteriorum Dei appellati, cognomentis certè & titulis tam apud Deum magnificis,quàm apud homines vilibus ac deſpectis: ſed qui tantùm ſecum pondus trahant, vt ſi ſummo iure Dominus cum ſeruis ſuis agat, nullus ei perferendo par eſſe poſſit, 2.Cor.2. 16.Itaque munus iſtud Apoſtolus non dignitatem ſed Opus appellat,contrà quàm illi ſolent, qui præclaram illam nobis, Apoſtaticam certè,nō Apoſtolicam hierarchiam ſunt fabricati,1.Timoth.3.1. Opus autem ſiue miniſterium iſtud interdum generalibus vocabulis Vigilandi & Paſcendi deſignatur:interdū diſtinctiùs declaratur precādi & etiā habendi Sermonis munere.Act.6.4.Aliquando etiam functione docendi verbi definitur, refellendi,inſtituendi,corrigendi, 2.Timoth.3. 16. necnon plantandi rigandíque, 1.Cor.3.6. His autem duabus vocibus tota iſta functio continetur, nempe vt attenta perpetuáque

prouidētia, bonū promoueatur, malum profligetur: quod tum demum fit, quum dextra sinistráque prout opus est, vibrato verbi Diuini gladio, gregi toti atque singulis ouibus, recte Verbum Veritatis secatur ac dispensatur, quemadmodum scriptum est, Act. 21. 31. & 2. Timo. 2. 15. Ergo hoc in loco Sponsus, *Agitedum* (inquit) *ô vineæ meæ custodes*, ac coloni, diligenter venandis pessimis istiusmodi feris incumbite, neque prius desistite ab hoc labore quam ab illis vineam liberaueritis. At qua tandèm ratione? nempe rite expansis quibus intercipiantur Diuini verbi retibus, quo etiam verbo, tanquam ignis fumo paleam falsitatis atque mendacij consumente in suis lustris & latibulis suffocentur, id est, 1. Timoth. 1. 20. nisi se victas confiteri malint, & deposita ferarum natura, cicurari, & in oues transmutari, quo relinquantur Dei iudicio, qui de extraneis illis statuet, 1. Tit. 3. 20. 1. Cor. 5. 13. Eadem penitus est conditio cæterarum vulpium, quæ variis offendiculis & deprauatis moribus, isti quoque vineæ perniciem afferunt: & alio nomine dicuntur oues scabiosæ, fermenti similes, quo massa tota acescit, de quibus agit Apostolus in persona incestuosi, 1. Cor. 5 5. & 11. Et hæc quidē dicta sunto de primariis & præcipuis istarū vulpium ac vulpecularum venatoribus. Nam propriè hæc vinea sicuti Spiritu oris Domini seritur, sic etiam ab eodem colitur & conseruatur.

Præter

Præter istos tamen, quibus hoc onus maximè & directè incumbit, alios vinea Domini venatores habet, quos minus segniores illis non esse oportet: Magistratus videlicet tum supremos, tũ his inferiores, seruos etiam Dei specialiter vocatos, & Dei auctoritate ac baltheo communitos, Iob.12.18. Rom.13.1. atque adeò institutos diuinitus, vt non tantùm pacatè sed etiam piè viuamus, recto videlicet Dei cultu ex ipsius præscripta voluntate constituto, cuius custodes sunt, vt & posterioris tabulæ mandatorum, pij Magistratus, 1. Timoth.2.2: hos igitur illa omni quam à Deo acceperunt auctoritate ac potentia, tueri sacrum ministerium, Deíque cultum oportet: qui tum puritate doctrinæ, tum Ecclesiastica disciplina cõtinetur, idque ex Dei verbo integerrimè obseruato, sicut est in vtriusque fœderis tabulis diuinitus perscriptum. Non dubium est ergo quin pro viribus in sua ditione compescere teneantur veræ pietatis perturbatores, ac etiã si sit opus pro ratione criminis pœnas de iis sumere, qui destinata malitia, quæ aliter frangi non potuerunt, euertere societatis humanæ præcipua fundamenta, puram nempe sincerámque pietatẽ studuisse comperiuntur: sic tamen vt res tota prout Deus ipse ordinauit, administretur, illibato videlicet Pastorum & Seniorum, sanctíque adeò ministerij iure, Matth.20.25. Luc.12.14. contra quàm fecisse rex Vsias dicitur, 2. Chron.26.19: sicut vicissim

Hæc prehensio Magistratibus quoq; cõmissa est, sed certis finibus circunscripta.

minimè fas est Pastoribus sese politicarum rerum administrationi immiscere. Abstineat autem inprimis Magistratus, à legibus conscientiis imponendis, neque pro sua prudentia Dei domũ regere præsumat: quod ne Pastoribus quidem ipsis licet. Imperium enim istud solius Dei est, prout suas Leges in sanctis literis noui fœderis obsignauit, ad cõsummationem vsque mundi permansuras. Quæ res si olim, vt oportuit, accuratè fuisset obseruata, aut si etiam hodie instauraretur, tum demum videre fas esset Ecclesiam rectè constitutam. Hac autem potestate vsos fuisse constat quondam sanctissimos reges, præsertim Dauidem & Solomonem sapientem, os Dei percontantes, & in sui iuris finibus permanẽtes, quorum etiam vestigia sequuti sunt, Asa 2. Chron. 15. 12. & Iosaphat 2. Chro. 17. 7. & 14. 11. Ezechias & Iosias, vt ipsorum historia testatur.

Vinea tandẽ ista conseruata, pereũtibus vulpibus perstat.

Sed obiiciet aliquis, an sufficit dixisse *prehendite*, quum tam multæ sint & tam multiplices istæ vulpes, & ij quos venatores vulpium esse oportuit, sæpe sint vulpes & lupi, longe omnium teterrimi? Mich. 3. 3. Act. 20. 29 Respondeo satis supérque vocem illam *Præhendite* sufficere, propterea quòd ex eius ore prodit, cuius efficax sermo vim simul largitur, & facultatẽ agẽdi suis suppeditat, quẽadmodum ipsa rerum experientia docuit. Etenim, neque malitiosa istarum vulpium calliditas

liditas, neque sæua tigrium ac leonum violentia impedire vnquam potuit, quominus tẽpore suo hæc vinea instaurata conseruaretur: illa, inquam, hæreditas huic data Sponso in æternũ, Esa. 10. 4. ad mũdi vsque fines propagata: cuius Sponsi proinde regnum immortale esse oportet, hac vinea comprehensum. Licet enim interim dum illa dies aduenit, in qua demum ipsi Angeli penitus hanc vineam repurgabunt, & congesta omnis generis offendicula in ignem abiicient, Matthæi 13. 41. erítque Deus omnia in omnibus, 1. Corinth. 15. 25. diu multúmque ab hostibus vexanda sit, eo tamen euentu vt nulla vi, vel vnica vera & germana huius vineæ vitis vnquam inde exstirpari possit, Ioh. 17. 12. & 18. 9.

Quis & quantus sit hic thesaurus quem suum esse Sponsa prædicat.

Idcirco addit Sponsa quæ continentur sequenti versiculo, cuiusdam incomprehensibilis consolationis pleno, *Sponsus* (inquiens) *meus est, & ego sum illius.* Quis enim & quantus hîc thesaurus latet? nempe filius ille Deo Patri coëssentialis & coæternus quatenus Deus est: ac quatenus homo est, longè perfectissimus, in quo pater acquiescit: in quo thesauri omnes scientiæ sunt absconditi: qui nomen habet supra omne nomẽ, & potestatem in cœlo & in terra. Quis autẽ eo melior? maior? opulentior? liberalior? Nos verò quales sumus? in peccatis concepti: ne ad cogitãdum ea quæ Dei sunt, & ad nostram salutem pertinent idonei: sed meritò æternæ maledi-

ctioni obnoxij. Quis verò tantam queat liberalitatem animo complecti, siue donans siue donum ipsum spectetur? vel ij quibus illud donatur? Donator donatarium odisse meritissimè potest: quod donatur est ipsemet donator, donatarius non tantùm indignus est hoc dono, sed contra dignissimus cui contrarium obtingat. Ista verò singula si, vti par est, diligenter considerentur, quis est tam hebes & præfractus vt eum tam immensa bonitas in admirationem non rapiat? & quem sui non pudeat si tam excellentem gratiam illecebris propositis cōtempserit: Quid enim cōferri potest cum eo thesauro quem gratuitò largitur Deus? quæúe homini dabitur pro anima sua compensatio? Matth. 16 25. Si commodum aliquod quærimus vel animi vel corporis, quis illud tribuet nisi qui supra infráque dominatur? & tum hanc animam tum hoc corpus condidit & conseruat? & quomodo beneficium vllum hic donator ei denegauerit, cui seipsum donatione irreuocabili donauit? Itaque quando nobis eiusmodi commoda petentibus non obtigerint, nouerimus id ideo fieri, vel quòd Deus ipse optimè sciat quid nobis expediat vel quod malè petimus quæ alioqui nobis essent vtilia: vel etiam quod bonum sit aliquando nos repulsam pati vt in nobis acrius inuocandi Dei desiderium accendatur. Psal. 40. 1. His enim exceptis, verissimam esse oportet pollicitationem istā, Pulsate, & aperietur

rietur vobis,petite & dabitur vobis.Hoc autem axioma in eiuſmodi rebus memoriæ mãdandũ eſt : nimirum , quod ad benedictiones temporales attinet,nullam à Deo factam nobis eſſe ſpecialem eorum promiſſioné , qualis illa fuit peculiaris & expreſſa de regno Dauidi facta promiſſio : qua de cauſa ,Dauid illud ſpeciatim quoque petiit & accepit Pſal. 2.6.& 4.4.& ſæpæ aliàs: Sic etiam exactis ſeptuaginta annis peculiariter concepit preces Daniel pro reditu Dan.4.2.Sunt igitur nobis iſta temporaria vel generaliter tantum ſicut non niſi generaliter nobis promiſſa ſunt, vel ſi ſpecialiter & definitè à nobis petantur,non niſi addita conditione poſtulanda , Si modò nobis expediant , & Deo placeat illa nobis concedere. Quum autem ab illo miſericordiam , quæ gratuita peccatorum remiſſione continetur , corde contrito petimus , ſancta præeunte fiducia,quæ ipſo Deo innititur, illa petere debemus.Heb.4.16.exemplo etiam Apoſtoli aduerſariis omnib⁹ prouocatis Rom. 8.37. Nam (inquit ille) qui ſuo filio non pepercit , ſed cum ad mortem pro nobis tradidit,quînam cum eo nobis omnia non gratificabitur?Audiamus igitur Sponſam,aut ſimus potiùs ipſi hęc Spõſa quę ait,*Meus ille amicus, meus eſt,& ego ſum illius.* Quînam ergo Satan, nobis obfuerit quum Sponſus iſte noſter ſit vnà cum opibus ſuis ? cur ad peccatorũ ſenſum obſtupeſcamus , quæ ſuper lignum ille pertullit & expiauit? (1. Pet.2.24.) qui agnus

eſt tollẽs peccata mũdi, & id quod paſſus eſt nobis imputat? An illius iuſtiæ atque perfectionis defectus, qua coram Deo opus eſt, trepidare nos coget, quum ille qui pro nobis perfectiſſimè legem impleuit, noſter ſit, cum ſua omni obedientia? Gal. 4. 4. & Rom. 5. 19. Noſtráne corruptio naturalis nobis deſperationem incutiet, quum ille in quo plenè natura humana ſanctificata eſt pro nobis, noſter ſit cum ſua omni ſanctitate & integritate Rom. 8. 3? An mors denique nos ſuis vinculis conſtrictos detinebit, quum ille qui vita ipſa eſt, & qui mortem morte ſua ſuperauit, ſit noſter? Quis igitur ſanctam in hoc noſtro Sponſo ſitam ſecuritatem euertet?

Hæc donatio propter nuptias, eſt reciproca & irreuocabilis.

Sed & vt noſtra ſit certior fiducia, nõ tantum dicitur *Hic dilectus eſſe noſter*, verùm etiam *nos dilectos eſſe illius*. Mutua igitur eſt hæc donatio. Sed ecquid ei nos attulimus, peccato tantùm & ſordibus inquinati, quum ſeſe nobis omni delictorũ genere coopertis adiunxit? minimè id quidem vt ſeſe illis pollueret, immò contrà vt illis omnibus deletis, ſua illa puritate & pulchritudine ſuam Sponſam exornaret, vt teſtatur ipſe Ezec. 16. Agnoſcamus ergo ingenuè, quod ad initiãtẽ ipſius in nobis gratiam, nos nihil prorſus ei contuliſſe, ſed, ſolius nobis etiam gratuitò datæ fidei manu, ea quæ ipſe nobs largitus eſt recepiſſe. Eph. 2. 8. Phil. 1. 29. Principem verò illam gratiam, à nobis receptam mox reliqua dona conſequuntur, quæ nos illi poſtea,

ftea, vt & nos ipſos offerimus Rom. 12. 1: ipſi quidem grata, ſed ex mera rurſus gratia, quũ multis adhuc næuis ſcateant, nec vllam inde vtilitatem ipſe percipiat. Pſal. 16 2. Luc. 17. 19. In ſumma quis ei quicquam donarit à quo prius omnia bona proficiſcuntur? Rom. 11. 35. & cui proinde nihil offerri poſſit niſi prius ab ipſo nobis donatum? Sumus igitur illius, quòd ſeſe ipſe nobis dederit, & ſui ipſius pretio nos acquiſiuerit, 1. Pet. 1. 18. non autem quod vllam mercedem ex noſtro ſoluendam viciſſim cum illo pacti ſimus, quum ab eo cuncta gratis habeamus. Inanes tamẽ, fateor coram Domino apparere nos non decet, quum ipſe nobis largiatur quicquid à nobis poſtulat Exod. 23. 15. Itaque ſi volumus fieri infiniti illius theſauri participes, vere ſimus illius toti, nec illas ſorores duas, quæ meretricio more vixerunt, imitemur, de quibus idem Ezechiel Propheta meminit Ezech. 23. Aliàs enim effundentur quæ acceperimus omnia & poſterior noſtra cõditio priore peior erit. 2. Petr. 2. 2. Idcirco additur *Hunc Sponſum paſcere inter lilia*, hoc eſt ſedere & Sponſa ſua delectari inter lilia: quibus puritas ac integritas fidei & morum notatur, & reliqui fructus quorum enumerationem lõgam inſtituit Apoſtolus, Gal. 5. 22. fœtidis illis & mortiferis plantis in noſtris cordibus ſatis oppoſiti, donec eas Deus ipſe radicitus euellat.

Opponet aliquis fortaſſis Sponſum non- *Eccleſia*

Israelitica & Christiana vna sunt & eadem Sponsa: & qua ratione sint intelligẽdæ veteris fœderis vmbræ.

dum hic venisse in terras quum ita Sponsa in hoc cantico loqueretur. Res verò ista sic accipienda est. Fides nunquam sine illo esse potest, ad quem vt ad scopum fertur & qui fundamentum fidei est, formãs illam in suis. Is autem est Iesus Christus, verus Deus, & simul verus Homo, non autẽ Homo tantùm aut tantùm Deus. Vicissim, Ecclesia etiam sine fide esse nequit, quæ ipsius essentialis forma est. His verò positis efficietur, nisi statim atque Adamo facta est promissio, Iesus Christus verus Deus & verus Homo, in Ecclesia fuisse dicatur, nusquam aut fidem, aut Ecclesiam extitisse. Attamen (inquies) Christi humanitas non priùs actu in rerum natura extitit, quàm virtute S. Spiritus in vtero beatæ Virginis concepta est. Fateor, Sed adde cum scriptura, Iesum Christum (cuius nomen cum Mediatoris vnici officio denotat id quod est omnino necessariũm, nempe vt illum fides consideret apprehendátque verum Deum atque Hominem in vna tantum persona) non modo extitisse, verumetiam oblatum fuisse ab initio mundi: quum Ecclesia ab æterno electa, in eo solo seruata sit Apocal. 13. 8. Quæ facillimè cõciliari possunt, si repetamus ea quæ dicuntur Heb. 11. 1. nempe fidem (hoc est donum illud Dei, quo singuli fideles de salute sua certi sunt, propter solum Mediatorem, qui verus est Deus & verus Homo) efficere, vt quæ fidelis spe duntaxat percipit, ea tamen iam vt sibi præsentia con-

contempletur, ac si reipsa in rerum natura existerent, & offerre credentis animo ea quæ sub sensum oculorum minimè cadere possunt. Humanitas ergo Iesu Christi (qua sublata noster Mediator non esset, neque verum & efficax nostræ fidei obiectum) non extabat quidem in rerum natura tempore Solomonis, neque pluribus seculis postea consequutis: fidei tamen oculis verè & efficaciter præsens aderat ipso quoque Paulo teste, qui Christum vocat eũ quem Patres in deserto tentarunt 1. Cor. 10. 9: & Patres in deserto eundem atque nos edisse spiritualem cibum, & ex eâdem Spirituali petra bibisse, quæ erat Christus. Christus autem venturus, & Christus qui venit: Christus nasciturus & impleturus ea, quæ vt salui esse possemus erant implenda, & qui suo tempore natus est illáque omnia impleuit, nequaquam duo sunt Christi: vt nunquã fuit neque futurus est nisi vnus Deus, & vna fides, vnáque Ecclesia. Differentia ergo sita est in varia dispensatione & manifestatione Iesu Christi, non autem in ipsa eius persona: quum istius Sponsi atque Domini diem Abraham videre nequiuerit, nisi oculis fidei, quamuis actu nondum extãtis, Ioh. 8. 56. Hoc ipsum autem vltimo isto versiculo Sponsa intelligens, precatur Sponsum *vt redeat: donec aspirauerit dies ille, & fugerint vmbræ istæ.* Vmbram enim vocat conditionem illam in qua tunc erat, quum ei Sponsus nondum

nisi vmbris & figuris ceremonialibus tectus, obscurè sese fide spectandum præberet,(Heb, 10. 1.) quarum corpus & substantia(Christus nimirum) eminùs tantum apparebat Heb.11.13,Nec tamen hæc adumbrata præsentia sic est accipienda, quasi patribus satis lucis non præbuerit pro mensura ipsorum, qua possent ad æternæ salutis gloriam perduci,quum illa ipsa gloria in Abrahami sinu à Domino collocetur Luc.16.22. Sed hæc Christi manifestatio vocatur Vmbra,quatenus cum eo die clarissimo confertur, qué suo nobis aduentu Sponsus attulit, exhibito reipsa & explicato sigillatim nobis,Dei Patris omni de nobis seruandis consilio,Ioh.15.15. Matth.13.17: quod Apostolorum ministerio postea fuit toti mundo patefactum, & patefiet illorum verbo scripto nascentibus hominbus ad consummationem vsque mundi: legitimis Pastoribus atque Doctoribus ad illud annuntiandum diuinitus excitatis, Eph.4 11. distinguenda igitur est huiusce noctis vmbra, ab ea quæ mortis vmbra dicitur, de qua loquutus est Esaias 9.2,& in qua omnes nascimur Ephes. 2.1.

Quis sit ventus ille oriente Euangelii luce exortus.

Hic etiam loquendi modus est inprimis animaduertendus, *Donec aspiraverit dies ille*, formula loquendi ab eo quod naturaliter vsuvenit desumpta. Solet enim ferè orientis Solis ortum aura quædam lænis radiis illius excitata, luci nimirum cedétibus nocturnis vapo-

vaporibus, comitari. Hæc igitur aura cum illa maxima & imcomprehensibili efficacitate sancti Spiritus confertur, mundo rursus quodammodo incubantis, vt illum accensa Euangelij luce illustraret, & nouum illum mundum crearet de quo loquitur Esa. 65.17. vento nimirum illo qui primum in Apostolos emissus, flabit ad finē vsque mundi Act. 2.2. Matth. 28.20. & Act. 20.28: sicut in huius mundi visibilis & corruptibilis creatione dicitur idem Spiritus sese super illam terræ & aquarum molem agitasse, vt ad res inde creandas massam illam quasi sua incubatione foueret & fœcūdaret: qua virtute & diuina potētia, naturā suam mille mutationibus obnoxiam etiamnum hodie conseruant, vt legimus Psal. 1[illegible]1.24. & 30.

Cur autem Sponsa *redeundi* verbo vtitur? hac enim voce comprehenditur antecedens reditum discessio. Idcirco nonnulli perinde sunt interpretati, ac si ad hanc Sponsam redire idem significaret atque illam non relinquere. Sed præstat geminam huius quoque dictionis significationem retinere, quadam nihilhominus adhibita declaratione. Nunquam enim certè Sponsus hanc Sponsam penitus deserit, ne tum quidem quum grauiter lapsa est: ideóque sæpe apud Prophetas in vna eadémque Prophetia, & correctionis vulnus & gratiæ medicina occurrit: quoniam nimirum Sion à Domino nunquam ita tractatur vt Sodoma & Gomorrha Esa. 1.

Quo sensu dicatur Spōsus ad Spōsam reuerti, quum tamē eum nunquā deserat.

9. Sed propterea quòd aliquando Sponſus propiùs aliquando longius abeſt à Sponſa, interdum quòd Sponſa aliquantulum ab eo recedat, interdum quòd velit illam exportare, vt Pſal. 44 8: denique quoniam Domino placet interdum ſplendidiùs, interdum obſcuriùs ſplēdorem veritatis fuco diffundere, prout apud ſe ab æterno temporum ſpatia definiuit, vt antiqua teſtatur hiſtoria, & prǫſertim à Ioſue ad Dauidis ætatem: ideo precatur Sponſa, vt ad ſe propiùs accedens, quodammodo redeat, quòd illam veluti deſeruiſſe videri poſſet: vt ab illo ſemper ſuo tempore fuit benigniſſimè factum, quamuis maxima pars hominum tam excellens beneficium magis ac magis ſit aſpernata. Hæ ſunt igitur nobis pro ipſius acceſſu propiore perpetuò concipiendæ preces, ídque nunc præſertim, quum Dominum iure optimo videamus paulatim à nobis ob ingratitudinem noſtram, pauciſſimorũ annorum ſpatio, tot clariſſimis luminibus quibus indignus erat mundus extinctis, valde procul receſſiſſe.

Qui ſint prærupti & confragoſi montes, quos vetàt Sponſa vt Sponſus tranſiliat.

Denique illud, quo vtitur, epitheton, iſtos montes *Confragoſos & interciſos* appellans, nempe cauernis ſcopuliſque præruptos, in quibus ibiçes, aliáque id genus animantia vagantur, pernicitate mira & pene incredibili rupium vertices ſuperantia: Iſtud igitur epitheton ardorem huius Sponſæ, declarat, exoptantis vt nulla prorſus difficultas aduentum

uentum Sponſi remoretur, & cœlorum faciẽ vnde illũ expectat : quodammodo repręſentat: non eam quidem planam & nitidã qualis per ſudum nobis apparet,ſed potius quadam congerie nubium oppletam quas meritò quiſpiam oculis intuens montibus editiſſimis & miris rupiũ anfractibus ſimiles eſſe dixerit:vt Eſaias hunc verſiculum interpretari verbis iſtis apertiſſimè videatur Eſ. 64.1. O vtinam diuideres cœlum & deſcẽderes.Spõſa igitur exoptat vt , quemadmodum feræ ſcopulis non impediuntur quominus deſcẽdant,& quò libet tanquam euolent, ita Spõſus ex nube in nubem ſaltitando ad ſe propiùs accedere dignetur.Quamuis enim Deus vbique ſit,eius tamen in cœlis palatium dicitur ſpeciatim collocatum. Sed peculiariter magnum illud myſterium, & angelorum etiã captũ exuperans, nẽpe quod filius ille vnicus Patri æqualis,& talis abſq; rapina qualis Deus eſt,id eſt verusDeus,formam ſerui accepit: immò ſeſe ad mortem vſque, & quidẽ mortem crucis exinaniuit , dici commode poteſt quædam cælorum ſectio per quam ad mundi infima deſcenderet Phil. 2.6. Eph.4.9.& 5.32. Itaque talis etiam quæpiam viſibilis fiſſura cælorũ Iohanni Baptiſtæ exhibita fuit quum Chriſtum Baptizaret,vt qui cœlis ipſis apertis Sanctum Spiritum Columbæ forma in Chriſtum deſcendere conſpexerit. Quod ſi mõtes iſtos & rupes pręruptas in terra quàm in cœlo quærere malimus, ſtatuendum eſt

quum peccata noſtra Deum à nobis ſeiungant, Sponſam iſtud in primis à Sponſo flagitare, vt illa, licèt in cælum vſque accumulata, impedimenta nihil moretur, & more caprearum altiſſimos etiam ſcopulorum vertices tranſilientium propiùs ad nos accedere dignetur.

Exortatio ad huius doctrinæ praxin.

In ſumma, quemadmodum antiqua Eccleſia ſpiritualis huiuſce matrimonij arrhabone accepto, quo in omnium ipſius bonorum communitatem recipitur, Sponſum orat, vt diſcuſſis antiqui fœderis vmbris, & tot peccatorum veluti ſpeculoſis montibus ſuperatis, propiùs ad ipſam accedat: ita nos quibus ſeculum iſtud fœlix (ſi bona ſua noſſet) oblatum eſt, quo Sponſus iſte in carne apparẽs, pleniſſimam ſalutis lucem mundo exhibuit, licèt pleno ipſius promiſſionum complemento ad vltimum ſuum aduentum prorogato, ardentius ab eo petere debemus, vt regnum eius adueniat: & in nobis interea verum illud obedientiæ deſiderium accendat: & ſpeciatim quidem vt ſancto illo ſuo Spiritu tum Magiſtratus tum Paſtores induat, vt animosè ad repurgandam Domini vineam eiectis eius vaſtatoribus incumbant: cunctis nobis denique ad nominis ſui gloriam cumulatè benedicat. Omnipotens Deus, &c.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA VICESIMA TERTIA.

Auxlium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.3.verſ.1.

1 In lectulo meo quæſiui in noctibus eum quem vnicè anima mea diligit,quæſiui eum & non reperi.

INtelleximus ſuperiore capite quàm comiter Sponſæ ſuæ Sponſus occurrerit, & quibus exceptam blanditiis in feliciſſima quiete collocauerit, tantiſper dum ipſa longè propinquiorem eius ad ipſam acceſſum præſtolatur: tempus illud videlicet quo venturus erat tanquam Sol cœlitus ad hūc mundum colluſtrādum exoriens, quo decem Legales vmbræ finem erant accepturæ, vt Eſa. 9.2. perſpicuè fuit prædictum, quod etiam clariùs expreſſit Zachariæ Ioannis Baptiſtæ Patris Prophetia,in inſigni illo cantico,Luc. 1.78. Tunc igitur rerum omnium felix videbatur eſſe conditio, quum Domino ſacrati templi, quod tanta Solomon ædificauerat magnificentia, ſtructura eſſet abſoluta: cultus denique diuini tam pulchrè eſſet tota ratio compoſita,Regnúmque tāta cum ſapientia Rex ipſe Solomon adminiſtraret. Et ſanè omnibus conſtare poteſt ac etiam debet maximum fuiſſe tunc Eccleſiæ ſplendorem, &

In maxima ſua quiete Sponſa ſomno torpeſcēs, ſuæ ipſius deſolationis cauſa eſt.

totius populi summam trãquillitatem. Idem etiam dici potest de Ecclesiæ statu qualis Iosue temporibus extitit, quibus Israeliticus populus est veluti in ipsam Domini requiem introductus, prout ipsemet testatur Dominus, Psal. 95.11. Ah ecce, minimo momento maximæ factæ sunt temporum mutationes, vt fuerat olim à Mose prædictum, Deut. 32.15. quod apprimè nobis describitur, & diuinissimè velut oculis depictum subiicitur hoc in loco, qui necessariam omni tempore doctrinam continet, ne cum salutis nostræ summo periculo decipiamur. Ecclesia siquidem Christiana paulatim cò miseriæ est redacta, sicuti narratur, Matth. 13. 25. vt ea nimia sua quiete abutente, & consopita, hostis illius interea dum securè dormit, sedem suam in medio Dei domus, quemadmodum erat ab Apostolo prædictum, collocarit, & ita fixerit, vt quantumlibet hodie Dominus homines excitare studeat, plerique tam diuturna lippitudine laborent, vt oculos aperire nec possint nec velint: alij verò ita somnó grauentur, vt licet excitati crebris flagellorũ ictibus, in puluinar caput reclinent. Nam, vt paucis absoluam, vbi feruet olla, ibi demum sancta mater & Catholica Ecclesia censetur: & si garritus istorum audias, facilè tibi persuaserint inauratum Romæ Diui Petri templum, & cathedram in qua istic ipsum Petrum sedisse mẽtiuntur, essentiales, immutabiles, necessarias & minimè fallaces esse veræ Reli-

Religionis, & Ecclesiæ Christianæ notas, quam Romanam simul & Catholicam, id est particularem & vniuersalem appellant. Hæc autem omnia si intueamur, quomodo sint euecta, comperiemus nata ex nimia tranquillitatis securitate. Non desunt tamen istis speciosi prætextus quibus maiorem adhuc torporem inducant altùm stertentibus & veternosis. Prædicatur videlicet excellentia D. Petri inter Apostolos, quam in Primatum commutāt, & insignis illa Romanorum fides, quam Diuus Paulus suo tempore tantopere commendat. Quasi verò nox sit alba, quoniam diei succedit. Addunt præterea Episcoporum Romanorum præeminentiam, quam nemo nescit maxima ex parte ex vrbis ipsius dignitate, quæ caput erat Imperij, natam, tum postea à pietate & insigni constantia Episcoporum Romanorum, tum ab eximiis martyrum exemplis maximum cepisse incrementum, ac tandem à primo Nicæno Concilio maximè confirmatam, quæ tamen ordinis erat, non superioritatis aut gradus, ne in Italicas quidem Ecclesias, nedum vt de Imperio in omnes Ecclesias, id est, de Christi inuadenda sede tunc ageretur: donec cessantibus persecutionibus, & ambitione vnà cum opulentia diuitiarum augescente, adeò sese hæc Sponsa, in hac quiete consopiuit, vt pro vera doctrina somnia inuecta sint, & vix tandem sentire ceperit expergefacta in quàm miserum & calamitosum

ſtatum ſit prolapſa, in quo adhuc hodie grauiter afflicta premitur ab iſtius meretricis miniſtris, quæ, dum illa veterno ſopita iacet, pedetẽtim ſeſe in hũc gradũ verè Satanicum extulit. Et tamen illud ipſum tẽpeſtiuè & diſertè de Romana Eccleſia & à Paulo & à Ioanne in Apocalyp. ſi credimus ipſis antiquioribus tum Græcis tum Latinis interpretibus, fuit pronunciatum. Immò (quæ Dei eſt infinitis modis ſuſpicienda prouidentia) ipſis Italis, teſtibus iſtud confirmatur, quorũ rithmi hodie imprimuntur, & Romæ paſſim decantantur, à quibus omnibus Roma dicitur eſſe illa Babylon, auaritiæ & impietatis plena, domicilium iræ Dei, templum denique hæreſeos: quibus adde quotidianam experientiam quæ non prorſus cæcutientibus omnium oculis iſtud ſubiicit. Ne verò putemus noſtro, nec etiã patrum noſtroũ ſeculo Satanam cœpiſſe ſic operari. Ecquid enim gubernatores Eccleſiæ Iudaicæ, Aaronis ſucceſſores, vnà cum faſcinato populo, fidelibus Dei ſeruis olim obiectabant, doctrinæ falſitatem, & morum quam inuehebant corruptionẽ acriter reprehendentibus? Templum, templum, templum Iehouæ Ierem. 7.4: non minore clamore, quàm ſeditioſus ille Demetrius Magnam illam Epheſiorum Dianam, inclamabat, eodem nimirũ illos omnes impellente Spiritu mendaci & homicida: hoc vnico excepto quòd Iudæi bono fundamento freti abutebantur. Nam reuera templum Domini fuerat ex eius præcepto cõſtructũ &

vero Deo cõsecratum, quod de Dianæ tẽplo dici nec debuit nec poterat, vtpote Satana impulsore falsę Deæ dicatũ. Sed tamẽ error vterq; nõ admodũ fuit dissimilis, quãdoquidẽ sacratũ Dei templũ locus erat in quo nomen eius fœdissimè polluebatur. Et hoc docere nos hoc loco videtur ipsius Spõsæ confessio, quę experrecta Sponsum suum quæsiuit, nec reperit in lecto suo, in quo Spõsus illã, ab ipsa nõ procul recedens, collocauerat, vt à nobis superiore capite dictũ est. Et vndenã istud accidit? Nõ aliunde quàm quòd Sponsa in lecto suo sese totã somno dediderat, in quo tamen fuerat à Sponso non vt in eo sopiretur constituta, sed tantùm vt in eo vigilans quiesceret: quum ne iste quidem status culpa omni vacare possit, vt posthac videbimus; cap. 6. 2. Quid igitur aliud euenit quàm extrema desolatio, quoties quiete concessa securè & in vtramque aurem dormitur, illis præsertim stertentibus quos sibi & aliis vigilare decebat? Matth 13. 25. At in quem tantorum malorum culpam reiiciemus? Sanè non in Dominum, sed in hominis prauitatem & miseriam nescientis vti prosperis, neque aduersis, paupertate nec abundãtia. Quòd si duo hæc extrema inter se comparemus, tum rationibus certis, tum etiam experientia ipsa edocti, comperiemus viam quietis quam felicitas & rerum omnium copia comitetur, esse altera longè periculosiorem. Res enim aduersæ & egestas omnium rerum stupidissimos quos-

quæ mouent ac etiam cogunt ad quærenda malis suis remedia, vt meritò dicta sit necessitas artium ac scientiarum inuentrix. At secundus rerum omnium successus, solertissimos quosuis decipere, atq; in lethalem somnum inducere sæpissimè consueuit. Testes eius rei locupletes sunt Adamus & Eua ante miserum ipsorũ lapsum, Testis quoque Solomon licet tanta sapientia insignis. Testis denique tota veteris verè Christianæ Ecclesiæ Apostolicæ & Catholicæ historia. Floruit enim illa sub Petro & Ioanne, qui quum nec aurum nec argentum haberent, Act.3.6. tamen in tãta paupertate veras quas ipsis Dominus cõmiserat diuitias liberaliter dispertiebant, Act.5.21: & sub Paulo qui quũ suarum etiam manuum labore sibi & aliis victum quæreret, nocte diéque tamen cum lachrymis euangelizare non cessabat. Act.20. 31. & 34: At contra vbi primum pacis tranquilla libertas sub Constantino Magno fuit Ecclesiis concessa, cum abundantia fœcundissima, ambitionis & luxus matre, non destiterunt Ecclesiæ ad nostrum vsque istud seculum, quòd ad res cœlestes attinet, indies imminui, prout terrenæ ipsarum opes adauctæ sunt. Luc.18 26. Quînam enim conueniret mundi regno cum Domini imperio? Luc.18. 26. quum tam sint hæc duo inter se repugnantia? Iac.44. En igitur quantum soporem adferat tranquillitas, non huic aut illi tantùm, sed etiam toti Ecclesiæ generatim

ratim

ratim consideratæ vt sese vel exiguo intercedente temporis spatio Sponsa à Sponso suo procul auulsam inueniat.

Sponsus tamen, vt qui suæ Sponsæ nunquam obliuiscatur, ne si quidem iusto suo illam iudicio in extimas vsque terras à suo conspectu procul ablegauerit, rationem semper aliquam eius expergefaciendæ inuenit, & desiderium redeundi in Sponsi sui conspectum in ea excitandi, quod docetur Deut.32. 39.& 1.Reg.8.46. & à Sponsa nobis hoc loco indicatur, quum inquit, Spõsum ab ipsa fuisse quæsitum. Quomodo verò quæsiuisset nisi post suam ab ipso digressionem, pœnitentia ducta, tandem ad se rediisset? virtute videlicet illius qui interiùs loquens sic eam cõpellat, Excitare tu qui dormis. Ephes.5.14.&Esa. 26.19: sed ista excitatio electorũ Dei propria, & à sola ipsius gratia nõ minus promanans, quàm illud beneficium quo nos in viam à qua deflexeramus reducit, discernenda est ab illo purgante peccati aculeo, quo ad desperationem reprobi impelluntur: sicut etiam dicit Scriptura, nullam esse impio pacẽ, Es.48. 22: & horrẽdum illud Iudæ proditoris exemplum satis supérque demõstrat, Mat.27.4. Stimulus enim iste non aliunde quàm à peccato conscientiã lethaliter sauciãs, facit vt peccator ad exemplum Adami faciem sui iudicis refugiat. Genes. 2. 8: at ille peccati stimulus Dei gratia temperatus, tristitiam secundum Deum, id est salutare vulnus nobis infligit,

Sponsum nihilominus Sponsam suo tempore excitare solitũ: & quantum discrimen sit inter istam excitationem, & eam quæ à stimulo peccati est.

quæ nos ad eum ipſum quem offendimus iudicem allicit, quo reſpiciẽs Sponſa teſtatur, ſeſe à Sponſo excitatam illum quæſiuiſſe.

In quam multis peccetur in quærendo Sponſo, vnde fit vt non quiſquis eũ quærit, reperiat.

At quid ſibi volunt hæc ſequentia Sponſæ verba, nempe non eſſe repertum, licèt quæſitum ab ea Sponſum? Et quînam cohæret iſtud cum toties repetita illa promiſſione & tot teſtimonijs comprobata, Pulſate & aperietur vobis, quærite & inuenietis? Matth. 7. 7. Luc. 11. 9. & 10. Et ſi Deus inueniri ſe fecit ab iis qui ipſum non quærebant Eſa. 65. 1. (paſtor enim ouem quæ aberrauit prior quærit, non ouis paſtorem Matt. 19. 12.) quomodo Sponſa non reperiſſe Sponſum exiſtimabitur? Reſpondeo Sponſam hoc non dicere, quòd ipſum non potuerit vſpiam reperire, (quod ſuprà memoratis promiſſionibus ex diametro repugnaret), ſed quæſitum in ſuo lecto non reperiſſe, nempe quòd in eo lecto non eſſet. Certè vt quidpiam reperias, non modò quærendum illud eſt, ſed ibi quærendum vbi eſt. Mirum non eſt igitur à Sponſa non repertum in lecto ſuo Sponſum, quum in eo lecto non eſſet. Deinde, vt quod quæritur reperiatur, tempore opportuno quęrendũ illud eſt. Luſeris enim alioquin operam, niſi te ad tempus quo aperitur ianua teipſum ſteteris Eſa. 55. 6: & pulſandum eſt ad fores priùs quàm repagulis occludatur. Matth. 25. 12. Præterea quod petitur, ab eo demum petendũ eſt à quo ſunt omnia & qui ſe ludibrio haberi non patitur

1.Reg.18.27, Deniq; petere decet quod petitione dignum est, Matth. 20.22.& ita vt petendum est.Iacob.1.7. & ad eum finem cuius causa peti oportet. Iacob.4.3. Ne miremur ergo,& multò minus culpam non in Deum sed in nos ipsos reiiciamus, si tam sæpe contingit vt quæ petimus non accipiamus. In nobis enim culpa inest. Quod si etiam nihil omnino in istis quę modo recensuimus peccaremus, tamen hunc Deo nos honoré tribuere par est, vt eius arbitrio subiiciamus & tempus & media quibus quod ipse nobis largiri constituit impetremus, sic ab ipso omnia postulantes vt ipse nobis præscripsit. Credidit quidem Abrahamus Deo, & promissum filium, sed à promissione 35. demum elapsis annis, impetrauit. Dauid regnum est assecutus, sed postquam expectando expectasset Psal. 40. 1. adeò vt oculos suos in altum suspiciendo dicat defecisse Psal.119.82. & vociferando se raucedinem contraxisse Psal. 62.4: non quòd Dominus non sit infinitis modis promptior ad nos exaudiendos quàm nos ad ipsum inuocandum, quum ipsemet in nobis desiderium formet ipsum inuocandi, & nos doceat quid precemur. Rom. 8.26. & labia nostra aperiat ad laudes eius annuntiandas Psal. 51. 17: sed quoniam expedit nobis vt Deus nostras preces quasi surdus procrastinet, quoniam alioquin parui facere solemus quæ nullo negotio & labore consequimur. Denique vnus ille est qui

tempora & opportunitates penes se sitas habet Act.1.7.

Maximæ Dei benedictiones temporales & spirituales abusu fiunt instrumenta perditionis hominum.

At hoc loco dicitur Sponsa eum quærere quem quæri oportet, neque sanè peccat nisi in eo quòd ibi eum quærit vbi non est. Vbínam? In lecto suo. Ecquis verò Spósæ lectum istum donarat? ecquis ipsam in eo collocarat? Sponsus ipse profectò quum eam tam expressè inuitasset, & tam amicè ad se pellexisset, sicut ex præcedentis capitis versu præsertim decimo cognouimus. Quî fit igitur vt quasi profugus in eo ipso lecto non inueniatur? Nimirum quòd obdormiscens Sponsa donum ipsum pro donatore amplexabatur, idest, huic quieti & tranquillitati sic totam sese dederat vt in veternum incideret, Idem vsuvenire plerisque videmus, quum in ipsis siue corporis siue animi bonis illis fruendis toti occupantur. Exempli gratia: Vita quidem, Dei donum est eximium, in quo sumus, mouemur & viuimus. Act.17.28: sed si dixeris cum huius seculi filiis, Omnium optimum esse ipsum Esse, Næ viuendo mortuus es. 1. Tim. 5. 6. Nec aliter est de vitæ huius commodis reliquis iudicandum, etsi quibus benè ipsis vti concessum est, velut Abrahamo, Iobo, & aliis nonnullis, magno verè sint beneficio. Verum! quid putas mortaliũ maximam partem etiam eorum qui veram pietatem profitentur, in votis habere? an non vt in lecto suo paradisum, id est pacatissimum & trãquillissimum Euangelium, inueniant, in quo molliter

molliter recumbant, & cum viuentibus in otio & tranquillitate vitã ducant? Necdum eos hic ego commemoro quos effrænes cupiditatum ſuarum libido raptos in quælibet præcipitia impellit, ſed eos commemoro quos etiam modum adhibere in rebus iſtis certum eſt. Quicunque verò modus hic ſeruetur, ſi tuis commodis ſic acquieueris vt in iis tuam felicitatem conſtituas, falleris miſer, & teipſum priuas recto & præcipuo omniũ illorum bonorum vſu, vt qui ſit in eo poſitus vt ea ſic verſes ac ſi manibus ſpinas contrectares Matth. 13. 22. & recepti potiùs fideliter adminiſtrandi, quàm augendi curam habeas 1. Timoth. 6. 18. & vt Dauidicam illam proteſtationem pro viribus imitêre. Pſalm. 16. 5, perſcriptam.

Applicatio doctrinæ huius aduerſus noſtri ſeculi dormitatores.

Hæc, vt nobis ſpecialiùs applicemus, & penitiùs ſcrutemur, fatendum certè nobis eſt Deum nobis hoc in loco, vt & in multis aliis locis, pulcherrimum lectum & quietem ſummam præparaſſe, ſiue quod primum & præcipuum eſt intueamur, nempe doctrinæ puritatem & aliquem Eccleſiaſticum ordinem cum adiuncta bonarum omnium ſcientiarũ & diſciplinarum diſcendi facultate: ſiue ciuilem libertatem conſideremus, & cum aliarum quàmplurimarum gentium miſerrima conditione comparatam ſpectemus. En igitur lectum Deus paulatim nobis ſtrauit, quẽ deſiderabilem etiam annis ab hinc plus minus quinquaginta, aduerſus quaſlibet pro-

cellas ac tempestates sartum tectum conseruauit: En, inquam, nidum hunc suum, vt ita dicam, halcyoneum, in mediis magni & irati maris fluctibus constructum. At si tanto freti beneficio in lecto nostro stertere cęperimus: si, concionaturū clamoribus pro nihilo habitis, solis istis terrenis & momentaneis commodis intenti fuerimus: si denique accessoria quę vocant, neglectis pręcipuis summi boni loco habere pergamus, quid tādē futurū putamus, nisi quod iā accidisse quāplurimis cernimus, vt nēpe quod pręcipuum ac summum est, nobis effluat? Ideò Dominus vt nos excitaret, anno superiore, leuissimis quibusdā plagis stimulauit, sed quis ista curat? quis melior efficitur aut diligētior? Quapropter metuamus, metuamus inquā, ne Dominus virgis superinducat flagrū, & tandē virgā illam ferream exerat, qua non dormientes excitare, sed stupidos & veternosos opprimere & cōfringere solet. Porrò si in commodis etiam à Domino concessis occupari res est tam periculorum plena, qua in re nos Solomonis exemplum cautos facere debet: quid iis fiet qui non modò in illis occupantur, sed toti illis inhærent, adeò vt etiam ipsum omnium illorum largitorem obliuioni tradant? Vos ergo compello diuites, qui domos à maioribus acceptas, & omni rerum copia refertas possidetis, vel quorum solertiæ ac laboribus benedixit Dominus: in opibus autem vestris spem ponitis, in hoc vnum intenti

tenti vt tenaci parcimonia rem augeatis: tum etiã vos qui contrario vitio veſtris opibus ad luxum abutimini, & quibus venter eſt Deus. Vos, inquam, omnes quibus Deus cumulatiſſimè benedixit, & quorum nihilominus poſtrema cura eſt vt acceptis beneficiis ad Dei gloriam vtamini. Quãdo tandem reſipiſcetis? non tangit vos vlla ſolicitudo iſtius confuſionis? non veremini ne vos ille tandem infenſus deſerat, cuius benedictionibus adeò turpiter abutimini?

Alia ſoporis ſpecies quã ſæpe lethale veternum ſequitur.

Quid autem illis futurum putamus qui nõ in lectulis à Domino ſibi conſtratis otiantur, ſed in iis volutantur ſordibus quas ex cupiditate & prauis artibus contraxerunt? cuiuſmodi eſſe aio, malis artibus partas opes, omne quietæ & commodæ in ſpeciem vitæ genus conſcientiæ iactura redemptum: omne denique vitæ genus dãnatum, in quo à ſcientibus prudentibus ſtertatur, ſiue in ſcortatione, cuius horrenda caſtigatio nobis tum in vna ex duodecim tribubus, tum in ipſo Dauide proponitur, qui in illo ſuo flagitio obdormiẽs, mox ex adultero proditor quoq; & homicida euaſit: ſiue in helluatione cuius crebra nimis exempla nobis iſti luſores, ganeones & omne genus iſtud nepotũ ſuppeditãt, quorum triſtiſſimos & miſerrimos exitus quamplurimos videmus. Nec enim datur omnibus pænitere, quod prodigo illi conceſſum eſſe in S. ſacris legimus. O miſerum lectum, nõ illum ſanè plumeum, ſed ſpinis rubiſque con-

ſitū & lethalibus aculeis plenū. O infelicem proſperitatem, quæ tecum æternam & immedicabilem calamitatem trahis! O ſomnum minimè ſomnum ſed grauedinem lethargicam: qua verus omnis ſenſus & motus animæ in æternum conſopitur!

Quæ via ſit in his Chriſtianiſmi diſſenſionibus inſiſtenda.

Sed vt iſta nobis adhuc ſpecialiùs applicemus, hoc præſertim infauſto ſeculo quo videmus quantis diſſenſionibus Eccleſia Chriſtiana infeſtetur, ne (quęſo) nos putemus pulchrè noſtro defunctos officio, ſi horum curam omnem abiecerimus, vt ſolent plerique nihili homines, quos priùs è mundo videas excedere, quàm quid in eo facturi ſint conditi cognouerint, omnium certe mortalium miſerrimi: ſed hanc potius Sponſam imitemur, ſeſe in illa media ſua tranquillitate non eóvſque ſopiri paſſàm, vt ad ſuum quærendū Sponſum nō expergiſceretur, reſcire ſtudens quo loco terrarum eſſet, vt ei ſeſe adiungeret: Et iſtud eſt nobis primò diligenter conſiderandum. Meminerimus præterea, quum de loco in quo Sponſus inueniri poſſit ac proinde de vera doctrina ſalutari quæritur, non eſſe nobis intuendos qui cōmodiùs viuant, quorum maior ſit numerus, qui gloria & honoribus floreāt. (quod tamen videmus hodie maximam hominum partem ſollicite inueſtigare, vt iis ſeſe adiugant) Nā è contrario Dominus, Si eſſetis (inquit) ex mūdo mūdus amaret vos. Ioan. 15. 19. neque mundanus hic ſplendor in iis inuenietur, quos Ieſus Chriſtus

Christus vt beatos commendat Matth. 5.& Luc.6.Immò qui diuitiis turgent, gracilescãt oportet vt per foramen acus pertranseant, Luc.18 26. Angusta denique via est quæ ad salutem ducit. Meminerimus igitur Sponsum esse quidem à Sponsa in lecto quæsitum, at non inuentum.

Respõsio aduersus eos qui nos paradisum paruo vendere calumniantur.

Obstrepent hîc aduersarij, & ista in nos reiicient. Nos enim eos esse qui latam viam insistant, & carnis libertatem, sublata quadragesima, abrogatisque sacris ieiuniis & peregrinationibus, sectemur. Et quid amplius? licentiæ ludum à nobis aperiri, qua nos ex fide, non ex operibus sanctificari & seruari docemus. Ipsi contra carnibus abstinent bonam anni partem: indefesso labore paradisum lucrifaciunt: totus illorum Clerus virginitatem perpetuam vouit: tot religiosi homines seuerissimis religionis legibus se sponte subiiciunt: alij in perpetuum carnibus non vescuntur: alios cilicium perpetuò tegit: alij certatim seipsos grauiter mastigiis cædunt. O hypocritas! ô dealbatos parietes! homines nequam, viduarum & orphanorum deprædatores, quos simulatum paupertatis votum in palatiis habitantes fouet, & alienis sudoribus lautos & luxu diffluentes sustentat, vos ego omnes ad Esa.53.caput & Matth. 23.reuoco. Vos verò miserè fascinati homines, qui paradisum hac ratione acquirere nos posse somniantes, Christi sanguine partum negligitis, quò vsque tandem in cibo

& potu regnum Dei quæretis? quousque tādē cœlorum regnū in putidis cisternis imaginationū & traditionum vestrarum reponetis? quòvsque tandem ignorabitis Iesu Christi, & non suo ipsorum sanguine, veros Martyres ipsos fuisse seruatos? Hoccine verò est paruo pretio regnum cœlorum addicere, miseras conscientias ad illum reuocare, & in eo vno docere ac quiescendū, à quo nos tanto pretio esse redemptos nos docet Petrus, 1. Petr. 1 18. non aqua certè lustrali, nec eorum indulgentiis qui falsissimè Petri nomen suis abominationibus obtendunt? An verò nos veram & seriam resipiscentiam à peccatorum remissione separamus? An non in quoslibet excessus & in omnis generis luxum acerbè inuehimur? An non internam potissimum integritatem commendamus? sobrietatem? castitatem? omnem denique mutuā ędificationē? Sed longissimi temporis fuerit ad ista sigillatim respōdere. Vno igitur verbo rem istā totam cōcludamus. Quòd ad controuersiam attinet de ipsorū doctrina & nostra, ad eū semper prouocauimus, & prouocamus qui ex Sacrosancto suo scripto verbo omniū est iudex futurus. Quòd ad vitam autē ipsorū & nostram attinet, vltrò agnoscimus, nimium multa adhuc in nostris hominibus superesse, valde pudenda & summa reprehensione digna: (hæc enim est Ecclesiæ conditio) sed tamen qualis sit istorum vita, & quàm egregia merita, cœlum & terrā testari.

Sed

Se deant igitur illi inter ipſos & nos iudices.

Adiicit Sponſa quæ maximè hûc faciunt, quum ſeſe dicit poſtquã Sponſum in lecto non reperiſſet in quo ipſum quærebat, *Surrexiſſe* vt eum quẽ tantopere diligeret, queritaret vbicunque terrarum eſſet. Sunt autem iſta penitus repugnantia, In lecto deſidere, &, è lecto ſurgere: nam certè non ſufficit malum reprobare, niſi etiam bonũ probemus & faciamus. Quid igitur eſt ex lecto ſurgere? Omnia nimirũ quibus impedimur quominus planè Chriſtum amplectamur, & eo fruamur, ſine diſceptatione abiicere. Eſt ſeipſum abnegare, quæ ſunt prima Chriſtianorum rudimenta, Matth. 16. 24. Eſt ſibi oculum alterum eruere & dextram excindere, vt ingrediaris in iſtius Sponſi regnum, luſcus potiùs aut mancus, quàm, duas manus aut duos oculos habens, in gehennam ignis coniiciaris. Matth. 5. v. 29. & cap. 18. v. 8. Eſt omnia abiicere, & Sponſum illis abiectis expeditiùs ſequi, quod feciſſe Apoſtolos legimus Matth. 19. 27. Eſt prudentem illum mercatorem imitari, qui reliquis omnibus ſuis facultatibus vnicam margaritam prætulit Matth. 13. 46. Eſt in aulam conuiuij ſe properè conferre diligenter præcauentem, ne ſibi quæ retardare tam multis ſolent, putà vel hæreditas herciſcunda, vel colendus ager, vel nouum coniugium remoram vllam adferãt. Luc. 14. 16. Eſt amorem parentum, patriæ, cognationis, non modò non æquare ſed e-

Ex lecto ſurgendum eſt vt Sponſus reperiatur.

tiam amori Dei postponere Genes. 11. 33. & Deut. 33.9. non tamen certè vt monasticam vitam ingrediaris,(quod ex veteribus patribus quidam in hoc malè prudens censuit, licet quæ tunc fuerunt monasteria ab hodiernis tam dissiderent quàm à terra Luna remota est, etsi fatendum est iam tunc temporis quiddam illis phanaticum & Lunare inhæsisse) sed vt Christū sequaris, idest Sponso isti pro tuæ vocationis ratione adhæreas. Surgere denique ex lecto non est simpliciter locū mutare, sed vti diximus, omnia quę nobis impedimento esse possunt in ijs quę pacē conscientiæ, ac proinde nostram salutem spectant, abiicere, vt si rectam viam sumus ingressi, eam insistamus: sin verò aberrauimus, in viam redeamus non solùm tritum in genere veris Christianis omnibus iter tenentes, quale passim apud Apostolū ac præsertim Philip.2.1. describitur: sed suā specialem quisque vocationem, quàm diligentissimè obiens, vt expresè præcipitur 1.Cor. 7. 20. Dauide nobis exemplo suo prępeunte qui à Domino in mandatis habens, vt certum locum ædificio templi futuri quæreret, Et puniat me, inquit, Deus, si domus meæ tectū subiero, vel lectum meum petiero, vel meis oculis somnum dedero & palpebris meis nictauero, priùs quàm fuero locum Domino consecratum nactus.

Loci istius conclusio cū

Omnes igitur Dei electos qui in falsæ Ecclesiæ sinu tamdiu obdormierunt, in quibus postea

postea Deo visum est sanctum desiderium ipsius inueniendi creare, par fuerit ex hac Sponsa discere quàm studiose sit hæc doctrina amplectanda & exercenda, & Christianismi votum quasi conceptis istis verbis renouãdum: Nulla me terrena cõmoda, nulla vanæ quietis species à proposito dimouebit, quin istiusmodi cuncta impedimenta semel abrumpam, & ex isto Babylonis lecto me proripiam, vt eum in quo animus meus defixus inhæret reperiam. Eos verò quibus datum fuit Sponsum hunc reperire, diligenter caueant moneo & hortor, ne in temporalibus benedictionibus occupentur, etsi pietas illarum etiam promissiones habet 1. Tim. 4. 6. néue sibi persuadeant perpetuum & immotum fore in Ecclesia rerum bene constituarum statum, nec veram Ecclesiam ex vllo externo splendore diiudicent quantumuis hominum opinione firmo & stabili: sed vt maturè sibi quisque prouideat, ne hic Sponsus, in quo vnico vera nostra quies omnis sita est Matth. 12. 29. ipsis perripiatur, sed vt viua sese præstent veræ illius Ecclesiæ membra, de qua canens Propheta, O beatum, inquit, populum cuius Iehoua Deus est. Psal. 44. 143. 15. Tantum, verè istud beneficium vt obtineamus, agnita & detestata nostra corã Domino ignauia, vel potius ingratitudine & rebellione in qua tot iam annos hęsimus, misericordiam ipsius istis verbis implorabimus. Domine Deus. &c.

exhortatione ad huius doctrinæ seriã praxim.

G.ij.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA VICESIMAQVARTA.

Auxilium nostrum sit à Domino, &c.

Quod sequitur extat in Cap.3.vers.2.3.

2 Iam surgam & obibo ciuitatem, per vicos & per plateas quæram eum quem diligit anima mea, sed quærens eum non inueni eum.

3 Inuenientibus me custodibus qui obeunt ciuitatem dixi, an eum quem diligit anima mea vidistis?

Quod Sponsus Sponsæ statim non occurrat in mediis tempestatibus idcirco fit nō vt illam deserat, sed vt sui quærendi desiderium in ipsa magis accendat.

EX superiore cōcione didicimus Sponsam à Dei Spiritu excitatam, qui Sponsi inueniendi desiderium in ipsa accēderat, quem abesse senserat à lecto in quo ipsa obdormiuerat, animum propterea non despondisse, sed contrà surrexisse, testatam se illius absentia magis ac magis ad eius inuestigationem incitari. Et sanè, vt nuper dicebamus, hæc ratio est qua Dominus à suis quæsitus, nec statim occurrens, suorum fidem & spem accendit, & patientiam quoque confirmat vt ex plurimis passim per sacras literas sparsis exemplis apparet. Sic Israëlitas tanquam peregrinos annis quadringentis partim apud Chananæos partim apud Aegyptios, ober-

oberrasse, legimus: ac tandem apud Babylonios annorũ septuaginta seruitute penè oppressos. Non aliter Iosephum in vincula coniectum diuturnam calamitatem & Dauidem fugæ suæ tempore multa perpessum esse cernimus, sic Dominũ etiam alloquentem, Expectando expectaui, & Dominus exaudiuit me. Ex istis verò exemplis discamus, si quando nos fortè conscientiæ difficultates premant, si nos varia circumstẽt pericula, si denique multa nos vrgeant aduersa, & se nobis interea Dominus subducere videatur, tãtò ardentiùs illum esse nobis prosequendum donec inueniendi sui potestatem nobis faciat. Sed quis est vires istas & promptitudinem suppeditaturus? Is proculdubio qui ex Charitate qua prior nos diligit, in nobis etiã amorẽ creat quo vicissim illũ redamemus: quod hîc Sponsa tertiò repetitis verbis docet, hoc est, nec simulatè amemus, vt solent hypocritæ, nec quoquomodo, quod iis contingit qui nec feruidi sunt nec omnino gelidi, sed quum tepidi sint statim euomuntur Apocal. 3.16. quum contrà sancti inportunitate violenti regnum cælorum rapiãt. Matth. 11.12. Luc. 16.16.

Sunt porrò attenta consideratione digna quæ hoc loco Sponsa superioribus adiicit, nempe. *Se quæsiuisse diligenter Sponsum suum per plateas, & quærendo totam vrbem lustrasse, nec tamen ipsum reperisse.* Nam contrà in parabola conuiuij Luc. 14. 21. iuberi

Nec maiorẽ multitudinẽ, nec receptam à pluribus opinionem esse veram veræ Ecclesiæ internoscendæ notam.

ſeruos videmus, potentibus & diuitibus accedere ad conuiuim recuſantibus, in plateas & vicos vrbis egredi, vt ex iis pauperes & mancos, claudos ac cæcos in aulam introducãt. Sed aliò ſunt ſimilitudinis illius quàm Sponſæ noſtræ verba referenda. Nos enim docet illa parabola non eſſe in membris Eccleſiæ cenſendos eos qui conſcientiæ tranquillitati pacem humnam aut reliqua vitæ huius commoda anteponunt, qui ſi quando Eccleſiæ accenſi ſunt, poſtea tamen ſeipſos amputãt: quibus amputatis, Dominus eligit quos mundus vt pauperes & non magnæ æſtimationis homines negligit, vt nos docet illud diuinum beatiſſimæ virginis canticum Luc. 1. 52. Sic legimus Prouerb. 1. 20, Sapientiam quidem vocem ſuam in plateis & compitis exercere vbi tamen ſeſe nõ exaudiri cõqueritur: & nimis verum eſt quod ait de Corinthiorum Eccleſia Paulus 1. Cor. 1, 26. Non abſimili modo in ſatoris parabola mentionem Seminis fieri videmus, quod ſecus viam decidens, quum ob duritiem penetrare non poſſit, ſtatim fit eſca volucribus: qui locus ad huius interpretationem nos plurimũ iuuat. Hic enim per plateas & vrbis circuitum cõmodiſſimè intelligitur recepta vulgò opinio. Et, vt vno verbo complectar, illa ipſa larua quæ hodie Catholicæ Eccleſiæ nomine tegitur, non illa certa Eccleſia eſt cuius in Symbolo confeſſionis noſtræ meminimus, ſed monſtrũ illud à Spiritu erroris in ea conceptum

ceptum à qua reges & nationes terrę fascinatæ sunt, vt iam est à nobis supra demonstratum.

Vt nodum igitur istum expediamus, quod est vltimum aduersariorum nostrorum perfugium & anchora, quid sibi tandem vult Sponsa, perinde exterrita quasi foret à Sponso derelicta dũ in lecto suo consopita iaceret? Inde profecto ista extitit perculsio, vt modo dixi & iterum inculco, quod eum quem ipsa quærebat, ac per consequens veritatem & salutem suam in recepta passim à populo religione, repertum iri sibi temerè persuasisset. Quam autem habuit istud cogitandi occasionem? Promissiones nempe huic speciatim populo ante aduentum Sponsi in carnem factas Act. 3. 25. non secus ac nostri Romanæ meretricis mangones hodie iactitant Ecclesiam errare non posse: vt ita quibusvis erroribus apertæ fores pateant. In quo igitur hæc Sponsa seipsam fefellit? In eo certè quòd quemadmodum olim Ieremiæ obiiciebatur Ierem 7, 4. & præsupposito (quod nostri etiam Pontificij nobis libenter de Romano suo Campanili persuaserint) veram religionem semini Abrahami tanquam clauo deuinctam & fixam hærere: nullo discrimine facto inter genuinos Israëlitas & spurios, (quod eis exprobat suo tempre Ioannes Baptista) de vera religione iudicaret ex iis quæ ipsa stertente fuerant in religionem inuecta & paulatim ab omnibus recepta pro eo

Veram, certam & perpetuam veræ Ecclesiæ uotam esse doctrinam Apostolorũ & Prophetarum scriptis comprehensam.

quòd veritatē veram debuit in eo vno quod à Domino propositum & præscriptum erat inuestigare : in lege dico & testimonio, vt loquitur Esa.4.8.20.Nam quum vera Ecclesia ne iudicet quidem de controuersiis circa religionem ortis,nisi ex iis quæ Sponsus per os Prophetarum & Apostolorum docuit, consequitur neque ex opinionibus communiter receptis, etiamsi magnos habeant auctores, neque ex maiore multitudine iudicium esse de veritate faciendum. quum in rebus etiam humanis vsuuenire istud videamus, vt plures sint fatui quàm sapientes, & plures improbi quàm boni Ier.5,31. sed ad Sponsum accedendum est vnicum vtriusque partis iudicē.Sed, inquies,vbi Sponsum istum reperturi sumus? Nec in cœlum ascendas (inquit post Mosen Apostolus) vt eū ibi reperias, nec mare traiicias. Nā prope te verbū est in ore tuo hoc est verbū illud fidei quod prædicamus. Rom. 10. 8.Et hæc ipsa vnica nota est ex qua discernendam esse veram Ecclesiam à falsa dicimus.

Veritas semper in vera Ecclesia permanet firma, quamuis nō pari semper splēdore fulgeat, nec pari ardore recipiatur.

Quænam igitur, inquies, est Catholica illa Ecclesia, in qua & non alibi Iesus Christus inuenitur, & extra quam nulla salus est? Cœtus est omnium verè electorum & fidelium, ex variis populis & nationibus collectorum in vnitatem doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, quem cœtum nos in sua generalitate consideramus, & in quo verè dicimus Lucem veritatis extingui nūquam posse,licet in huius corporis mystici membris & parti-

partibus distinctè cõsideratis multi sæpe defectus exoriantur, multæ quæstiones & maxima sæpe ignorantia subsit, vt omnium seculorum historia nobis fidem facit. Huic Ecclesiæ sic generatim consideratæ, cœtus omnes itidem generaliter cõsiderati opponuntur, quotquot se Christianos dicunt, & Baptismi notam externam adhuc retinent, sed sibi tamen religionem pro libidine confinxerunt, siue sua commenta tegant Prophetarum & Apostolorum nomine & scriptis, perperam explicatis: siue etiam nouam omnino formam religionis inducãt prout ipsos sola voluntas & libido impulit: quam etiam ob causam Ecclesiam eiusmodi Hæreticam nominamus, id est suffultam & innixam doctrinæ priuato quopiam arbitrio excogitatæ & credulis obtrusæ, quæ nec cum Catholica nec secum ipsa cohæret, sed sæpe in tot partes scinditur & distrahitur quot sunt pertinacis cerebri homines, sibi placẽtes & suis opinionibus addicti: quibus tamen hoc est inter se commune, quod omnes à veritate Prophetica & Apostolica longè recedunt, Neque verò sum nescius omnia ista in nos ab aduersariis nostris hodie retorqueri, qui etiam propterea nostram Ecclesiam nouam vocant, & nos titulis ad libidinem excogitatis notant: non animaduertentes interea sese suo ipsorum sermone redargui, quum Ecclesiam suam vocitant Ecclesiam Romanam, nisi si forte hoc possunt euincere, Romam &

vniuersum orbem terrarum vnum & idem esse. Sed totam istam controuersiam paucis componi iampridem potuisse arbitror, si locus vllus rationi relinqueretur. Aio igitur prout Domino visum est aut in ingratum mũdum sua iudicia exerere, aut pro immensa sua misericordia mortalibus parcere, veram Ecclesiam Catholicam nonnunquam præ falsa & hæretica splenduisse, magnificè suis splendoris radios exerentem: sæpissimè verò contra fucatam illam & personatam meretricem passim in magna auctoritate fuisse, & castam Virginẽ & Sponsam Christi ita simulasse: vt à cuiusuis ordinis hominibus magno applausu recepta sit: miseram denique illam veram Sponsam in deserta compulisse, tantisper dũ indignationis tẽpus præteriret. Esa. 26. 20. Apoc. 17. 14. Hæc verò quin ita sint siquis audaciùs negare ausus fuerit, manifesti mẽdacij tũ à tota Ecclesiastica vetere historia, tũ eorũ experientia quæ quotidie nostris oculis cernere, cogimur conuincetur. Hinc igitur concludo tum multitudinem, tum asseclarum splendorem, falsissimam esse Ecclesiæ notam: itaque numerum maiorem minorémue missum facientes, hoc vno totã istã controuersiã decidi sciamus, si dixerimus veram eã esse Ecclesiam & Catholicæ siue vniuersalis cognomẽtum verè mereri, quæ iure profitetur solam doctrinam cœlestem Apostolorum voce & scriptis testatam, vt toti electorum cœtui sola hæc sit veritatis regula,

ex

ex qua omnes controuersiæ dirimantur.

Duo igitur ista cognomina doctrinæ Apostolicæ & Ecclesiæ Catholicæ sunt inseparabilia, & ita inter se cohærent, vt vera Ecclesia ex hac sola vera & essentiali nota discernatur à falsa, & vicissim vera Ecclesia sese ostendat ex illo vero Verbi semine conceptam 1.Petri.1.25.

Doctrina Apostolica, & Ecclesia Catholica sunt inseparabiles, & testimonium de se mutuò perhibent.

Nequis verò hîc excipiat fieri posse vt cœtus vterque eosdem locos Scripturæ pro se proferat, dico ego primùm falsam Ecclesiam sibi diligenter cauere ne solo Scripturæ textu nitatur: deinde Scripturam sui ipsius interpretem esse oportere, & quamlibet Scripturæ interpretationem, si ad analogiam fidei tanquam ad certam amussim referatur, quæ verum à falso discernere doceat, & quã totius esse Scripturæ epitomen nouerimus, facillimum fore in istis non decipi, nisi sese quispiam sciens prudens falli velit. Hæc igitur dicta sunto de communiter recepta doctrina & de maiore numero, qui etiam Christi temporibus est vociferatus, Tolle, tolle, crucifige eum: & illi opponitur quem Christus paruum gregem vocat, Luc.12.32. Sed videamus an Sponsa sit meliorem aliquam viam sequuta.

Scriptura sancta & textus est & interpretatio.

In summa dicit sese, quum ita vrbem lustraret incidisse in Vigiles & ex ipsis quæsiuisse an sibi posset vbi esset Sponsus indicare: reticet autem an ab illis responsum acceperit. Verùm ex sequentibus satis patet, aut

Spiritus veritatis non fuit olim sine exceptione ministerio Leuitico affixus.

non expectato responso vlteriùs esse progressam, aut illis nihil fuisse Sponsæ responsum. Quid ad hæc igitur dicturi sumus? Ecquos verò per custodes intellexerimus, nisi quibus in Dei ciuitate vigilandi cura fuerat imposita? An non enim disertis verbis dicitur, Labia Sacerdotis seruare sciẽtiam, quum ipse sit Angelus Iehouæ, Malach. 2.7. Et quos consuli iussit Dominus, quoties in Legis interpretatione difficultas aliqua inciderit? Sacerdotes, Deut. 17.8. verùm quos nonnisi ex Lege iudicare oportuerit, cui nec addere quicquam neque detrahere fas fuit. Et tamen hîc Sponsam cernimus non magis inter istos quàm in vicis & plateis vrbis Sponsum reperisse: cuius rei hæc est ratio, quòd longè sit aliud munus aliquod in sese considerare, & illud ex eorum fide & diligẽtia quibus commissum est expendere. Præterea quãuis Dominus functionem aliquam instituerit cui sit benedictionem indefinitè pollicitus, est tamen propterea existimandum Dei Spiritu sine exceptione præditos esse, quicunque vel ordinaria vocatione sunt ad illam asciti, vel quotquot illã statione ẽ occupãt. Quemadmodũ enim Dominus dat Pastores, & Doctores ad coagmentationẽ sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, Ephes. 4. 12. ita etiam in ira sua mittit falsos Pastores cũ efficacia Spiritus erroris, 2. Thes. 2.11. hoc modo vindicãs sacrosancti sui ministerij contemptũ. Sic in communi hominum socie-

ſocietate contingere etiam videmus, Deo nonnunquam bonos principes & gubernatores largiente, 1. Timot. 2. 2. & Pſalm. 72. aliquando vero ad populos caſtigandos, Spiritum principum & gubernatorũ vindemiantem, vt loquitur Propheta, Pſal. 76. 13: ſacro interea miniſterio permanente in eo ſtatu in quo eſt à Domino conſtitutum, & viciſſim manente Regum & Magiſtratuum integra auctoritate, qua tyranni plurimum abutantur, Eſa. 3. 4. & 56. 10. Oſcæ 13. 11. Ierem. 23. 11. & 14. 15. Denique in tota paſſim Scriptura occurrunt iſtiuſmodi per Prophetas exprobrationes. Quòd ſi qui rationibus iſtis certiſſimis non contenti exempla præterea requirant: quínam fuerunt, quæſo, verorum Prophetarum hoſtes infeſtiſſimi? Sacerdotes, & alij Prophetę, & totus populus. Ier. 26. 7. Quínam in Deum coniurarúnt? Legem Prophanarunt? Principes in ſuis ſceleribus fouerũt? Prophetæ & Sacerdotes, Ezech. 22. 25. 26. 28. Numerentur, obſecro, Sacerdotes qui ædificium promouerunt, quot deſtructores vni ædificanti videbis oppoſitos? A quibus eſt lapis ille angularis repudiatus? annon ab iis qui architecti vocantur, non quòd reuera id agerent, ſed quòd eos id agere oporteret, Pſal. 118. 22. Matth. 21. 42. Quínã, additis etiam minis, Euangelij prædicationem Apoſtolis interdixerunt & Deo tam contumaciter reſtiterunt? idem illi, Act. 4. 5. & 5. 21. Hic denique à Sponſa de malis illis agitur vineæ cô-

lonis, qui post seruos interfectos, ipsum heri Filium & hæredem neci dederunt.

Cur Sponsa non expectato vigilum responso sit vlterius progressa.

Ne miremur ergo Sponsam nõ minus incertã ab istis vigilibus, discessisse quũ Spõsum frustrà in plateis ciuitatis quæsiuisset. Est enim istud extra omnem dubitationem, miserã illam si in illis angustiis, in quas se demersam esse deprehendit, quum illi Sponsus inopinatò & præter spem suam sese subduxisset, istorũ vigilum sententiam esset sequuta, incassum fuisse laboraturam, quum potiùs sedeant isti vigiles, perdendis & in auia compellendis ouiculis intenti, quàm iisdem consternatis docendis & in viam reducendis. Prudentissimè fecit igitur in eo Sponsa quòd non expectato ab istis responso, vlteriùs est progressa. Sic enim Dominus noster de istiusmodi custodibus loquens, Omittite ipsos, (inquit) Sunt enim cæci & cæcorum ductores. Nam etiam ab ipsis postea verberibus cæsam fuisse Sponsam intelligemus.

Spiritum Veritatis nõ esse magis affixum sine exceptione sedentibus in cathedra ministerii Euangelici.

Iam autem age, perpendamus an hæc doctrina, nunc certè si vnquam aliàs Ecclesiæ necessaria, noui quoque nostri fœderis temporibus conueniat. Hoc enim vnicum hodie Sathan molitur, hoc cunctis suis satagit viribus, in hoc denique totus est vt miseris hominibus persuadeat, nunquam potuisse nec posse adhuc hodie cõtingere vt ij quos Ecclesiam repræsentatiuam vocant (cuius ipsi postea titulos prout ipsis libet vel producunt, vel contrahunt aliquando ipsam

ſam vocantes Romanam Eccleſiam, aliquãdo Catholicam Romanam, aliquando verò Catholicam & Apoſtolicam Romanam) vt inquam, cœtus ille potuerit vnquam aut adhuc poſſit hodie ſic deſeri, vt maxima illius pars palàm vel ſit ipſa ſeducta, vel aliorum ſedutrix. Quod ſi quæras cur hoc fieri poſſe negent, quum videamus illud veteri Eccleſiæ contigiſſe, ſtatim ab illis audies, Petro chriſtũ dixiſſe Rogaui pro te ne tua fides deficiat. At negari certè nõ poteſt quin poſt illam Chriſti pollicitationẽ grauiter fuerit Petri fides concuſſa. Iam ergo ſaltem fateantur oportet, (niſi ipſorũ Eccleſiæ repreſẽtatiuæ maiores eſſe vires arbitrentur quàm illius quo ſe tãquã fundamẽto niti nimis impudenter mentiuntur,) poſſe ſaltem ſemel eò vſque concuti vt Chriſtum etiam tertiò & quidem cum execratione abneget. Atque ô vtinam ter tantùm ipſis iſtud facinus contigiſſet. Sed qualis eſt iſta, quæſo, concluſio? Dominus ſpeciali gratia ſic eſt huius diſcipuli ſui miſertus, vt ſtatim agnito peccato, antequam altiùs immergeretur, inde pedem retulerit, & quod amplius eſt, euis conuerſi deinceps vſus opera ſit ad alios confirmandos & animandos. Ergo põtifex Romanus & Eccleſia Romana non poteſt errare in fide. Immo quid iſtud ad vrbem Romam, aut ſedem ibi deinceps erectam attinet? Hoc tamen excipe in quo Petrum nõ conuerſũ, ſed

abnegantem ſequuutur, quod agnoſco lubens & fateor auctorem ſecutus vnum ex præcipuis ipſorũ poëtis, Petrarcha videlicet, (cuius quotidie poëmata excudũt, & verſus vulgò cantillant:) iam inde videlicet à multis ſeculis ſedem illam Papiſticam antiqua illa Romana Apoſtolica doctrina abolita, euaſiſſe, quòd ad doctrinã attinet, in templum hæreſeos, & quod ad mores, in alteram Sodomam & Gomorrham. Nunquid verò aliud magis appoſitum? Ter dixit Chriſtus Petro, Paſce oues meas, Ergo Papa & quæ caput ſuum Papam agnoſcit Eccleſia, errare non poteſt, imò ne quæri quidem ex eo poteſt ſi plenis plauſtris animas in inferos detruſerit, cur ita faciat. Deus bone! quàm inauditam impudentiam. Quaſi Diuus Petrus, Sedes Romana, & qui in ea ſedent vnũm & idem ſint. Fateor tamen multis ab hinc ſeculis eos qui ſedem iſtam occupatam in ſolium regium erexerunt (quod etiam ſupra Dei ſolium libenter euexerint, ſiquidem ſibi de ipſo iure diuino diſpenſandi poteſtatem arrogant, & authoritatem nullius iudicium ac reprehenſionem ſubeundi immo ipſis etiam Angelis imperandi ſibi vendicant) à recta fide minime excidiſſe, vtpote quam nunquam habuerint nec etiã vnquam magnopere curarint. Sed multas iſtiuſmodi nugas omitto libens, quòd vel eas ipſi pueri per ſe diiudicent. Verùm quid hîc accidit quod non ſit à Chriſto & Apoſtolis diſertis verbis prædictum

ctum, & iam illorum tempore cœptum? Matth.24.5.& 11.Luc.21.8.Ioh.5.43.Act.20.30. Rom.16.17.Philip.3.2. 2.Thess.2.4. 1.Timoth. 4.1. & 6.3. 2.Timoth.3.1. 2.Pier.2.1.&.3.16.1. Ioh.2.18. Quod si nec tam expressæ prædictiones, nec tota Ecclesiastica historia istis quæ diximus probandis sufficiunt saltẽ hoc tempore oculos aperiãt miseri mortales ab ista meretrice fascinati, vt istarũ rerum effectus ipsis pene montibus crassiores intueãtur, effectus, inquam, in omnibus doctrinæ Catholicæ fundamentalibus articulis, id est doctrinæ à Deo diuinitus toti Ecclesiæ suæ iam inde ab eius primordio ad mundi consummationem vsque præscriptæ. Nam ex superioribus saltem istud necessariò sequi hîc videmus: si non solùm cæcutire iis interdum contingit quibus super reliquis excubandi cura commissa est, sed & cæcorum ductores esse: & eos quos clauem cognitionis habere oportebat, eam tollere immò reipsa toties sustulisse, atque adeo vt tũ ipsi in regnum cælorum non introierint, tum etiam alios ab ingressu prohibuerint Luc. 11. 52. nimis impudenter & præfractè concludere nostros aduersarios, in iis quæ conscientiam & religionem spectant, necessariò in eorum qui successionis Apostolicæ nomen sibi arrogãt, & illius in primis insignis scilicet Apostoli Romani, de quo iudicare nulli fas sit mortalium, decretis & mandatis esse sine exceptione acquiescendum.

Sacras scripturas omni tempore esse omni exceptione maiores testes, ex quibus de vera Christiana doctrina iudicetur: quod Christi & Apostolorum testimoniis patet.

Sed age. Tam sit eorum origo Apostolica quàm est Apostatica, ánnon Iesus Christus quum sit ipsa veritas, idem sibi iure optimo, Ioãne Baptista de illo testimoniũ perhibẽte, poterat arrogare? Ioh. 3. 33. at ille tamẽ doctrinã suam ipse sacrarum scripturarum examini subiecit, & id etiam ipse fieri iussit. Ioh. 5. 39. Pari ratione Apostoli, quorum erat irrefragabilis doctrina propter Spiritus mensuram quam acceperant, huic tunc examini sese doctrinámque suam subiecerunt Act. 17. 11. & ipsimet id præstiterunt Act. 28. 23. & disertè obseruari iusserunt 2. Pet. 1. 19. Est enim omnino ex doctrina Apostolica, quę sui ipsius est interpres, vera Ecclesia discernenda à falsa, vt illam quidem sequamur, hanc verò refugiamus. Itaque ex istis etiam constat quo Spiritu ducantur aduersarij, & quàm nullius sit momenti præscriptio successionis ementitæ, quum sint ipsi prædones potiùs, & pessimæ fidei possessores meritò sint appellandi, quandoquidem examen istud refugiunt ad quod toties à nobis fuerunt inuitati, & quotidie inuitantur, sed frustra, nisi quod omni iure tũ diuino tum humano iniquissimum est illis concedatur: nempe vt ipsi in hac disceptatione & actorum, & reorum, addo etiam iudicum partes sustineant. Ad te verò, Deus æterne, de his omnibus tandem opportuno tempore iudicaturum, prouocamus.

Successio [illegible]

Quid ergo, dicet aliquis, fiet in Ecclesiasticis

ſticis controuerſiis, niſi qui in ea ſedent Antiſtites de rebus controuerſis ſtatuant, & ab eorum decretis pendeat quęſtionum dubiarum deciſio? omnia certè, fateor ordine fieri debent in Domini domo, 1. Corinth. 14. 40. Sed quis hîc eſt ordo? Is nimirum quem Dominus domui ſuæ per Apoſtolos præſcripſit. Huic igitur in primis ordini penitus adhæreatur, vt quicquid illi additum detractum vel in eo immutatum fuerit, (de dogmatibus & ordinis ſubſtantia loquor) confuſionem non ordinem eſſe nouerimus: ac eum proinde qui ſeſe confuſioni in Eccleſiam inuectæ, quocunque tempore vel prætextu obrepſerit, forti & ſtrenuo animo opponit, minimè habēdum eſſe ordinis diuinitus cōſtituti perturbatorē, ſed vt ab aliis violati inſtauratorem laudandum & audiendum. Deinde etiamſi fortè forma exterior iſtius ordinis in aliquo conuentu Eccleſiaſtico ſeruetur, non tamen propterea Spiritus ille veritatis fuerit ſine exceptione perſonis illic congregatis velut alligandus. Quàm enim hîc quoque grauiter peccatum ſit plurimis perſpicuis exemplis antea docuimus, Apoſtolo teſtāte peccata in quibuſdam vocatis vocationem non præcedere ſed ſubſequi 1. Timot. 5. 24. In hoc autem Eccleſiam ſæpe fuiſſe deceptam probare licet ex non paucis etiam vetuſtioris Eccleſiæ ſynodis. Tutiſſimum ergo fuerit hac in re ſequi regulam quā ipſe Dominus & pręſcripſit

perſonalis etſi forma ſeruetur exterior, non eſt per ſe ſufficiens vt ei adhæreatur.

& multis exemplis cõfirmauit. Scribæ, inquit, & Pharisæi ſedent in cathedra Moſis, vos igitur quæ docent facite, at non quæ faciunt ipſi, ideſt, quatenus ſecundùm præſcriptum à Deo per Moſen ordinẽ veritatem in ſynagogis prædicant: neque vos ipſorum flagitioſa & hipocritica vita impediat quominus quæ rectè docent recipiatis & faciatis. Nec enim veritas vel in verbo vel in Sacramentis à docentis vel Sacramenta adminiſtrantis perſona pendet. Verùm quid alio loco dicit Dominus? Cauete vobis à fermento Phariſæorũ. Matth. 16. 9. & alibi, Sinite ipſos, cæci ſunt & ductores cæcorum. Matth. 15. 14. Idem etiam re ipſa falſas ab illis traditas Legis interpretationes pluribus & palàm refutauit, Matth. 5. 6. & Marc. 7. 8. & excommunicationes ipſorum neglexit. Ioh. 12. 42. Quid igitur in his anguſtiis facto opus eſt? nimirum, inquit, dilectus ille diſcipulus, probãdi ſunt Spiritus an à Deo ſint 1. Ioh. 4. 1. & Paulus, Omnia, inquit, explorate, & quod bonum eſt retinete. 1. Theſſ. 5. 21. Quibus autem iſta dicuntur? Cuiuis ſanè Chriſtiano qui ſciens prudens falli non vult, tum iuueni, tum ſeni, tum viro, tum mulieri. Gal. 3. 28.

Doctrinæ huius legitimam praxin nullam in Eccleſiam confuſionem inuehere.

Nec propterea metuendum eſt ne hac ratione vlla in Eccleſiam inuehatur confuſio. Nam longè ſunt hæc inter ſe contraria, Non pati ſe ab vllo ſeduci, &, Arrogare ſibi docendi munus in Eccleſia, aut quot ſunt in Eccleſia

clesia fideles totidem arbitrari esse Pastores, Apostolos & doctores, quod falsissimum est & omnino repudiandum. 1. Cor. 12. 19. Nec enim ipse Dei filius, quatenus patris minister fuit, in eius voluntate genti Iudaicæ prædicãda, Rom. 11. 8. sibi hunc honorem vsurpauit, vt fieret Pontifex, sed is ei dedit qui dixerat, Filius meus es tu Heb. 5. 5. Quilibet igitur Christianus quouis tempore sed eo præsertim quo tenebræ tam densæ vt Luci suum splendorem eripiãt, caueat tum ne cuiuis temerè credat vel assentiatur, tum ne ipse sibi pro arbitrio religionem comminiscatur.

Sed quid tum fiet quum non modò nullus viget ordo, sed quod longè deterrimum est, eò ventum est nefandæ impudentiæ, vt licet omnia sursim deorsim sint euerse, nihilominus tamen sibi omnis istius mali auctores ipsum Ecclesiæ Catholicę nomẽ sibi arrogant? Quum pro iis functionibus quas ipse Dei filius ad domus suæ perpetuam in hoc seculo gubernationem instituit, typus bestiæ illius profertur, veteris nempe Romani imperij imago? Quum eos demum ritè censeri vocatos videmus, qui quum cæteros citato cursu anteverterint, antiquiorem diem diplomatibus inscriptum proferunt? Vbi sola supersunt functionum Sacrosancti ministerij nomina? Vbi in Dei templum ingressu (id est Scripturæ sacræ lectione in qua vna continetur salutaris veritas) populo interdicitur? Vbi domus orationis non tantùm conuerti-

Quàm horrendam confusionem introduxerit in Ecclesiam & introductam fouerit sedes Romana: & nihil minus quàm scismaticos aut hæreticos esse qui se ab illa separarunt, per extraordinaria media quæ istis Deus suggessit.

tur in apertam nundinationem animarum, verùm commutata cernitur in omnis falsitatis & abominandæ idolomaniæ officinam, quæ omnium prophanorum populorum abominationem longè latéque superet? Vbi vel res inanimis in ipsum Iesum Christum reipsa transubstantiari creditur, vel certe in rem inanimẽ cõuerti Iesum Christum, pedibus, capite, & omnis sensus & motus expertẽ & quæ sibi nec à furum vncis manibus, nec à murium arrosionibus cauere possit? quæ denique per se statim dispereat nisi protinus deuoretur? Quis verò iudicarit æquum esse vt rebus in tam miserum & afflictum statum redactis, oues famelicæ ad lupos ipsos accedant, & sese iugulandas excoriandas & vorandas ipsis vltrò præbeant? vt fluctuantes conscientiæ pacem ab iis petant, quos non aliũde quàm ex perpetua nũdiatione animarũ tum mortuorũ tum viuentiũ viuere certũ est? vt qui se mundari & purgari cupiunt, altiùs in omnis spurcitię cæno voluțentur? an verò expectãdũ ducimus donec porci vitę puritatẽ profiteantur, & scortatores lenonésue lupanaria reformẽt? At nos cõtrà tota docet Ecclesia & sedulò monet vt caueamus à falsis Prophetis, & nõ solũ idololatras sed etiã idola fugiamus 1. Ioh. 5. 21. Sic Leuitas & Sacerdotes ex regno Israëlis rebus in illo perturbatis excessisse legimus: & fuisse quidẽ aliquos Prophetarum cœtus, sed quibus nulla fuerit cum Baalim aut cum iis qui in ipsorum tẽpla conuenie-

uenicbant communicatio. 2. Chronic. 11. 14. 2. Reg. 4. 23. Et iſtud nos diſertè monet Dominus inquiens, Relinquite ipſos, cæci ſunt & ductores cæcorum. Matth. 15. 14. At, (excipiunt aduerſarij noſtri) Chriſtus ipſe Hieroſolymam venit, ipſe in templo, ipſemet denique in Synagogis cum aliis interfuit. Concedo: iuſtis & neceſſariis de cauſis. Primùm enim Hieroſolyma tum erat vnica ciuitas in orbe terrarum, in qua Dei cultus exterior ex eius præſcripto publicè adminiſtrabatur. Deinde Sacerdotium Leuiticum adhuc erat integrum: Moſes & Prophetæ in Synagogis legebantur, licet doctrina multo fermento interpretationum Phariſaicarum eſſet deprauata, in ipſa tamen multa manebant adhuc integra, & incorruptus perſtabat exterior ceremonialis cultus. Deinde quis neſcit Chriſtum eſſe ingreſſum in templum vt ex eo vẽdentes & ementes flagris deturbaret, & clara voce palàm fermentũ Phariſæorũ, Sadducæorum, Herodianorũ, & aliorũ dãnaret, & eãdem etiam ob cauſam Synagogas frequentaſſe? At ſi templi tũc fuiſſet is ſtatus qui fuit ſub Achazo, quum ſtructũ eſt altare illud ad Damaſceni altaris ſimilitudinẽ 2. Reg. 16. 11. & 2. Chron. 28. 23. quis nobis vnquã perſuadeat Chriſtũ in eo fuiſſe ſacris illis prophanatiſſimis cõmunicaturũ? Idem autẽ interrogatus qua auctoritate faceret quæ faciebat, an ſeſe tutatus eſt Caiaphæ vel magni ſynedrij Hieroſolymitani autoritate? Nihilmin9. Sic enim

factus fuiſſet Satan veritatis iudex: Sed, inquit, Scrutamini ſcripturas, Iohan. 5. 39. Iohannis teſtimonio credite, vel illum falſi arguit. Matth. 21. 25. Hoc ipſum verò nos & feciſſe confitemur, & alios vt idem faciāt docere & hortari, non vt altare aduerſum altare erigamus, vt falsò nos calumniantur aduerſarij, ſed vt Dominj altare, ideſt Sacroſanctum eius miniſterium, aduerſus illud Damaſcenum altare inſtauremus: quo in opere quum Dominus hanc ſit largitus gratiam multis principibus & Magiſtratibus, vt ſeſe idolis euerſis, ad pij regis illius Ezechiæ exemplum, compoſuerint, & idem noſtro tempore ſuſcitarit alios Helias & Eliſæos, quid potius faciunt quam vt ſeſe ab iſtis pollutionibus ſeiungant, & qualecunque poterunt tabernaculum Domini ſubeant, qui non inter Phariſaici fermēti corruptelas ſimpliciter iam verſantur, ſed in medio Babylonicę cōfuſionis luto immerſi? Iſtud enim nomen iam Petri temporibus Romanæ vrbi datum videmus ſi credimus veteribus interpretibus 1. Pet. 5. 23. quo etiā cognomento plerique antiquiſſimi ſcriptores Ioannem Apoſtolum ſecuti, Romanam Eccleſiam ſui temporis denominarūt. Nam obſecro, ſi Propheticæ ſcripturæ Chriſti tēpore ſuffecerunt ad cognitionem Chriſti, & contrariæ doctrinæ confutationem, an putamus Apoſtolicas illis vim iſtam detraxiſſe, ac non fuiſſe clariſſimi orientis ſolis inſtar, dilu-

diluculum Mosis, & Ioannis auroram consequuti? Si Ioannis Baptismus, quæ fuit tantùm diei Aurora, iis docēdis sufficiebat quos ipse ad ipsum Christum remisit Matth. 11, 3. & 19. 3. an alias scripturas requiremus & interpretationes, non contenti tam magnifico testimonio, tot miraculis obsignato, & à tam fidelibus Christi seruis tā bene perscripto, quod nos Fædus nouum appellamus?

Conclusio docens quid sit in his angustiis opus facto.

Denique quisquis sciens prudens falli non vult, eo tempore quo densa tenebrarum caligo lucem mortalibus eripit, sciat non esse de rebus istis consulendos falsos illos doctores, sed vlteriùs progrediendum, & ad Dominum, mediis ordinariis deficiētibus, quâquâ licet confugiendum: à quo tanquam in deserto sustentetur. Istud non obscurè docemur in Eliæ historia quem siccitatis anno primo coruus in deserto pauit, 1. Reg. 17. 4. & deinceps vidua illa Sidonis aluit, qui tādem etiam vnius cibi vi ipsum sustentante, quadraginta dierum & quadraginta noctiū iter confecit 1. Reg. 19. 8. His enim exemplis interea docemur tēporibus illis calamitosis à Domino suos ali & foueri licet nonnunnunquam ita dispersos, vt alij alios ignorent. 1. Reg. 18. 13. & 19. 18. id est Ecclesiam Dei foueri in suis latibulis tātisper dum indignationis eius tempus transierit, Esa. 26. 20. (interrupto videlicet ordinario ministerio, sicut accidisse liquet nostrorum maiorum tēporibus tum in Oriente tum in Occidente)

donec Dominus excitata Sponſa ſua, rurſus notum facit quantum diſtet Sodomorum extexminatio à Sionis viſitatione. Eſ. 1. 9. cuius memor Dominus rudera ſemper reſtituit. Pſal. 102. 14. Hæc ſunt igitur quæ ſeculi noſtri experientia docuiſſe nos & docere debet quotidie, immenſa illa Dei miracula perpendentes, quibus annis ab hinc ſexaginta teſtatus eſt ſuam erga Eccleſiam miſericordiam, vt nullum finem dies noctéſque precandi faciamus, donec Deus populi ſui liberationem propter nomen ſanctum ſuum conſummarit, cui ſit honor & gloria in omnia ſecula ſeculorum Amen. Domine Deus. &c.



IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA VICESIMAQVINTA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.3. verſ.4.

4 Paululùm prætèriueram ab illis, quum inueni eum quem diligit anima mea: prehendi eum, non ſitura eum vſque dum introduxero eum in domum matris meæ, & in conclaue genitricis meæ.

QVantam diligentiam Sponſa in perquirendo Sponſo ſuo adhibuerit quē ipſa ſibi deperitum arbitrabatur, & quomodo in plateis quæſitū non repererit, nec à vigilibus vbinam eſſet reperiendus reſcire potuerit, proximo ſermone copiosè ſatis expoſuimus. Subeſt tamen adhuc quædam difficultas in eo quod diximus per Vigiles intelligi falſos paſtores in ciuitate Dei, quæ eſt Sponſæ domicilium, ideſt in Eccleſia verſantes: cui expoſitioni videtur prorſus repugnare quòd hoc verſiculo cuſtodes iſti nō dicuntur fuiſſe à Sponſa reperti in priuatis ædibus ſomno ſopiti (neque enim in ipſos incidere potuiſſet, nec ſomno ſopitos eſſet percontata) ſed vnuſquiſque ſtetiſſe in ſtatione ſua excubans prout fidos cuſtodes decet

Non quicūque vigiles haberi volūt propterea boni ſunt vigiles.

ciuitati tuendę dispositos. Hoc enim vix euenit falsis pastoribus, quos potiùs in cubilibus suis torpentes, vel in lustris ac popinis, vt amicas luto sues hærentes, quàm in speculis suis ad gregis sui custodiam vigilantes deprehendas. Nodum hunc vt expediamus, aio Pseudoprophetarum duo esse genera. Vnum eorum quorum vita sceleribus est insignis, adeò vt fronte perfricta omnem pudorem abiecerint: quorum alios videas (ditiores videlicet) sacrilegos, venatores, ganeones, helluones, ebriosos, scortatores, adulteriis infames, Deum ventrem suum colentes: tales denique qualem Bernardus Eugenij Papæ curiam describit: quam ab illo tempore non esse in melius immutatam, ipsi quatuor orbis cardines testantur quos longè latéque virus suum effundens contaminare non desinit: alij verò (tenuioris census homines, cuiusmodi sunt miselli illi missificatores, Capellani, magnatum eleemosynarij) palàm lenocinium faciunt, & omnis se turpitudinis administros præbent, vel ditiorum familiarum procuratores agunt, coqui sunt, equorum curatores, sectatores denique potentiorum, vt eorum feruentis ollæ iusculo reficiantur. Interea pannosi sacrificuli vicariam operam subeuntes vrbes & pagos circumeunt, ad membranas dies noctésque vlulant, viuos & mortuos sedulò negotiantur: hanc conductitiam mercaturam, licitatione, quam minimo tamen possunt pretio, adepti, miseras ouiculas

uiculas cantionibus delinitas deglubunt,hoc diligenter cauentes, ne qui alij lupi in ſuam prædam inuolantes eam ſibi præripiant. Talis eſt eorum hodie erga Domini noſtri ouile cura & ſolicitudo,qui tamen Eccleſiæ Ca-Catholicæ columnas & cultus diuini custodes & defenſores haberi volũt: quæ ſi falsò à me dici reſpondeant,cælum ipſum & terram teſtes ipſis fero,atque adeò ipſas eorum conſcientias, ſi quæ illis ſuperſunt. Alterum Pſeudopaſtorum genus eſt planè perſonatum, & huic diſſimile eo excepto, quòd vtriſque eſt hoc commune quòd nihil minus ſunt quàm id quod haberi volunt, veri nempe & fidi Paſtores,quum ſeipſos & cæteros variis modis ludificentur. Alios enim ex iſtis videas,quorum pectus eſt prorſus impium,eos ipſos apertè deridere, à quibus maximè ſuſpiciũtur: alios verò vana ſuperſtitione faſcinatos,ſicut ipſi falluntur, ita etiam alios fallere, & ſibi & aliis perſuadentes, ſuis commentis quantumuis falſis ac ridiculis, iræ Dei flammam poſſe reſtingui, nec corpori nec animæ ſuæ parcentes,quos Apoſtolus ipſe diſertè notat, Coloſ.2.22.& 23. De his autẽ poſtremis duabus iſtorum ſpeciebus Sponſam hîc propriè loqui certiſſimum eſt, quos cernere licet infinitas alias ſuas (quas vocant) deuotiones,in templis ac ſacellis, à crepuſculo matutino ad veſpertinum ſolidos dies vorando ſuo crucifixo intentos, alios quidem ex mera hypocriſi cultum Dei ſimulantes, alios verò zelo

ſine ſcientia impulſos: qui omnes, ſiquando in Eccleſiæ perſecutionem eſt coniuratum, ſtatim vnanimes & alacres, excuſſo ſomno, relictis ſuis delubris & cellulis, cultúq; omni ordinario, ex inſidiis in miſellas oues quotquot ſe ipſorum vnguibus ſubducere conãtur, impetum faciunt: ſummi illius nimirum Hieroſolymitani conſilij exemplum ſecuti, quod inſomnem duxiſſe totam noctem legimus, vt Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum interciperet, &, quæſtione habita, innocentem condemnaret, quum tamen Petrus & reliqui eius cõdiſcipuli tam alto ſomno premerentur, vt ab eo excitari non poſſent. Itaque non ſatis eſt vigilare: (vigilat enim etiam Satan, & excubant ad malum omnes eius emiſſarij) ſed in bonum vigilandum eſt. Sunt enim omnium nocentiſſimi qui ad malum ſunt quàm expeditiſſimi.

Non ſtatim occurrens Sponſus indicat ſe velle vt eum quæramus.

Verùm vafros iſtos negociatores & conſcientiarum mangones miſſos faciamus, & ad expoſitionem verborum Sponſę tranſeamus. Dicit itaque ſe *paululùm vltra cuſtodes illos prætergreſſam, in dilectiſſimum illum ſuum incidiſſe, quem protinus arctè complexa ſit, neque dimiſerit quoad illum introduxerit domum, immò in ipſum cõclaue matris ſuæ.* Hîc autem paucis repetendum videtur, quod iam antea dignum eſſe obſeruatione indicauimus, Dominum nempe non ideò ſuorum velle ſanctum deſiderium à ſe in cordibus ipſorum

psorum excitatum frustrari, quòd aliquando sui conspectum ipsum quęrentibus deneget, sed istud ab ipso fieri, vt ita nostra in quærendo diligentia exacuatur, & vt inuentum eum tanti faciamus quanti par est, vt sit nobis inuentus charior & pretiosior. Est enim apud homines rerum earum quas nullo negotio sunt adepti nimium frequens cõtemptus: cuius rei nobis hîc luculẽtum exhibetur testimonium. Nam quomodo Deus constantem ipsum quærentium perseuerantiam despiceret qui perditam ouem vltro requirit? psal. 119. 176. Luc. 15. 4. qui fugientem Adamum persecutus est? Gen. 3. 8. & 9. qui se denique ab iis inueniri fecit qui ipsum nõ quęrebant? Esa. 65.

Quid iis qui nostro adhuc seculo tempori seruiũt, & directè nostræ huius Sponsæ diligentiæ repugnãt, varias tum Scripturæ interpretationes, tum doctorum opiniones obiicientes sit respõdẽdum.

Quam igitur idoneam excusationem prætexent, qui etiamnum hodie licèt conscientiæ propriæ testimonio & cruciatu coarguãtur, tempori tamen seruiunt, dum alij decretum Concilij cui assentiantur, alij pacis conditiones certissimas expectant, antequàm apertè suam sentẽtiam profiteantur, & gregi Christi annumerẽtur? Quod si interea fores occlusæ fuerint, quis illas est aperturus? Mat. 5. 10. & Esa. 22. 2: Si tempus reperiendi Sponsum interea præterlabitur, quis illius deinceps inueniẽdi potestatem faciet? Matth. 25. 10. & Ioh. 12. 10. Esa. 55. 6. At enim, (excipiunt nonnulli,) sumus indocti & idiotæ. Esto. Cur igitur discendi studio non accenderis, vt doctus euadas. Quorsum enim Deus nisi

ad ſui notitiam hominibus eſt ingenij ſagacitatem largitus: Accede cæce ad eum qui oculos finxit, & cæci eos largitur. Pſalm.140. 8. Vbi te cæcum eſſe agnoueris, viam tibi ad obtinendũ lucis vſum ſtrauiſti. Ioh.9 39. Excipiũt alij, terreri ſe tot variis imò etiam inter ſe contrariis Doctorum opinionibus, inter quas incerti fluctuent. At nónne idem prætexere potuerunt qui Chriſtum ſecuti ſunt, quum in multas ſectas eſſet Iudæorum populus diuiſus, Phariſęos dico, Sadducæos, Eſſenios, Nazaræos, Herodianos & Samaritanos? Quid igitur facto opus eſt? Nempe quod hîc à Sponſa docemur, vt forti & præſenti animo vlteriùs progrediamur, futurum enim eſſe vt tandem Chriſtus ipſum quærentibus occurrat. An verò (inquies) deſcenſurus eſt è cælo conſpiciendus? Neutiquam. Semel enim ex cælo deſcendit, & in illos denuò ſublatus eſt, quibus illum contineri ad vltimum vſque diem oportet: ita tamen vt licet corpore abſens, ſuis tamen ad conſummationem vſque ſeculi diuina ſua virtute præſens adſit. Vbi ergo ſe tandem conſpiciendum præbet? nempe in ſcripturis, ad quas nos ipſe reuocat, ſicut ſuperiore concione fuſiſſimè docuimus: & nos Abrahamus etiam in illa parabola docet, in qua infelicem illum diuitem pro fratribus intercedentem, ad Moſen remittit. Luc. 16. 29. & Eſa.8 20. Qua in re omnino fatendum eſt meliorem eſſe noſtram quàm Sponſę huius

ius conditionem, si temporum quibus ipsa locuta est rationem habeamus, quum scripturarum Apostolicarū lux sit infinitis modis clarior scriptis Propheticis, teste ipso auctore epistolæ ad Heb. & idem designante Apostolo Colos. 2. 17. in illa Corporis & Vmbrarum insigni collatione. Atqui, excipiunt, citat pro se scripturas istas quilibet disputātium. Quid ergo nobis inter hæc dissidia faciendum? Tu, quisquis es, primùm diligēter scrutare an quæ testimonia proferūtur ex Sacris verè ac syncerè sint petita. Ausim enim ego istud audacter sine fraude aut vllo mendacio asseuerare, innumera loca in nostrorū aduersariorū scriptis reperiri quæ falsò & fallaciter ex scripturis exscripta dicūtur, nullibi in sacris libris reperta, & quæ non faciliùs in libris sacris quàm paradisum in inferis reperias. Deinde istud expēde, non minùs fallaciter eos citare scripturas, qui ad veritatis confirmationem aliunde quæsitis vtuntur testimoniis, quàm ex iisdem illis solis Propheticis aut Apostolicis libris, quibus minus non prohibetur quidquā addi, quàm detrahi, vel in ipsis aliquid immutari, quandoquidem complectuntur solæ omne Dei consilium quod ad nostram salutem attinet. Ioh. 15. 15. & Act. 20. 25. Quòd si quis excipiat non quæcunque Apostoli docuerunt fuisse ab ipsis perscripta, in hoc putidum commentum primùm regerantur quæ habentur. 2. Tim. 3 17. Vbi Paulus nominatim dicit, Scri-

pturam esse sufficiētem vt perficiatur homo Dei. Deinde conferantur illæ istorū non scriptæ traditiones cum Scripturis sacris, tū apertè superatis tenebris Lux eminebit. Tertio etiam loco istud cōsideremus, quum varię in aliquem locum occurrunt interpretationes, id fieri tum quòd non omnes parem Spiritus intelligentiæ mensuram acceperint, tum etiam quòd Scripturæ tanta veritatis omnis abundent copia, vt ex vno & eodem loco plures non à veritate alieni sed ædificationi seruientes sensus exprimantur, ex quibus quilibet fructū queat percipere. Verùm quoties ita sibi contradicunt quæ ex illo loco eruuntur sententiæ, vt necessariò altera alteram arguat mendacij, tum ex collatione locorum sacræ scripturæ dignoscēda est veritas, vt suiipsius interpres ipsa sit scriptura, & exēplū Domini nostri Iesu Christi, Mat. 4. 6. & 7. ac veterum etiam conciliorum sequendum est, quibus hæc vnica vera & certa fuit regula qua falsas omnes hæreticorum allegationes explorarēt & coarguerent. Præterea omnes omnium opiniones ad analogiam fidei quam Symbolum Apostolicum vocamus examinandæ sunt: quod si sedulò absque præiudicio fiat, nemo decipi poterit, ne ex ipsis quidem idiotis & ignarissimis hominibus, nisi spōte decipi velint, sibíque ipsis laqueos ponāt, modò animum præbeant docilem & puro discendi studio afficiantur, quod esse verissimum testatur

Psalm.

Psalm.119.8. & Esa. 55. 6. Et hæc quidẽ est via quam si huius Sponsæ exemplum secuti tenuerimus, id est si Iesum Christum domi suæ quæsierimus, ipsum nullo aberrandi periculo sponte occurrentem nanciscemur..

Non satis est Sponsum quæsitũ diu inueniße, nisi apprehendatur & retineatur, & quàm variè hac in parte peccetur.

Verùm quid nobis profuerit inuentus Sponsus, nisi apprehẽdatur? quid apprehensus, nisi eò vsque retineatur vt ipso frui liceat. Non sanè magis quàm cibus optimus inuentus iuuat si non attingatur, nec in os assumptus nisi in stomachum ingeratur, nec ingestus denique prodest nisi bene concoquatur. Eheu verò quàm est ingens istiusmodi conuiuarũ numerus. Nam vt de iis nihil dicam qui diuinũ hoc epulũ aspernãtur, & eos etiam missos faciam, qui quum ipsi ad hoc epulum non ingrediantur, alios etiam vt ab ingressu deterreant nullum fraudis & violentiæ genus inexpertum relinquunt: Matth.23,13: istis (inquam) omissis, quo loco censebimus eos qui in aulam quidẽ conuiuij ingrediuntur, & in ipso vident & exaudiunt eum qui & cibus est ipse & conuiuij dominus, Iesum videlicet Christũ Dominũ nostrum: sed ad mensam assidere dedignantur, & os etiam aperire detrectãt, quo præbitum sibi iam præmansum cibum cõficiãt? Quot sunt præterea contemptores? quot helluones, qui pasci quidem volũt, sed ex illo minimè augescunt quod ad interiorem hominem attinet, quorum vita plus satis testatur ipsos nullũ adhuc sensum neque mo-

tum eius Spiritus habere, in quo omnes verè Christiani viuunt, sicut etiam ipse viuit in ipsis? Gal. 2, 20. Hinc illa Israëlis & Iudæ perditio, cuius adhuc perdurantis testes nostri sunt oculi. Hinc illa Ecclesiarum Asiaticarum extincta & sublata candelabra, quam cladem Dominus in Apocalypsi tot antè seculis fuit comminatus. An verò putamus aliunde quàm ex hoc fonte manasse diluuium illud quo Mahumetes cum suo commilitone Antichristo Romano quatuor orbis regiones inundauit? Et nos videmus quidem ista, sed quotusquisque hæc attendit? Quis illā Apostoli de Gētium plenitudine Prophetiam attentiùs considerat? Rom. 11. 25. nempe vt idem nobis quod diebus Noë contingat. Matth. 24. 37. Oro vos itaque, Fratres, ad ista mecum mentem aduertite, ne somno sopiti reperiamur, Luc. 12. 37. &, quod absit, extra conuiuium in tenebras exteriores proiiciamur. Mat. 21. 22. ac tādem extra Dei templum vt scobes ac sordes putidę summo nostro dedecore deturbemur.

Sponsi charitas Sponsæ prait vt se quæsitum reperiat.

Sed singula tam sedulę huius Sponsæ verba, sunt etiā diligentiùs expendēda. *Ego*, inquit, *eum reperi quem amat anima mea.* Sponsus enim is est qui fecit vt ab hac sponsa quā prior dilexit inueniretur, præeuntem videlicet sibi tanquam ducem, hunc ipsum amorem Sponsi sequuta.

Vera fides sola manus

Apprehendi eum. At quibus vlnis! Fidei nimirum. Ipsa enim sola vas est ad recipiēdum aptum

aptum,& ſola illa manus qua apprehenditur. Sed fidem iſtam firmam eſſe oportet, vt ſemel apprehenſus nunquam dimittatur. Nam alioquin hæc non eſſet vera fides, quæ Dei donum eſt electorum proprium & inuariabile, Rom.11.29, ſed inanis quædam opinio, ad leuiſſimum quemque venti flatum euaneſcens, & quadantenus quidem deguſtandum bonum Dei donum, non autem deglutiendum & concoquendum recipiens, Heb. 6.5.

eſt qua Spõſus reperitur & retinetur.

Sed quomodo in nobis fides illa fouetur, atque adeò per illam Chriſtus in nobis retinetur? Paucis verbis hoc declarat Sponſa, quum ait,ſe introduxiſſe Sponſum domum, atque adeò in conclaue genitricis ſuæ, quorum verborum, vt ſenſum percipiamus, obſeruãdum eſt Eccleſiam variis modis in Scripturis cõſiderari. Proponitur enim aliquando vt cum ſuo capite corpus vnum efficiens, adeò quidem vt nonnunquam ipſius Chriſti appellationem ſortiatur,1.Cor.12.12, quaſi ſit Eccleſia ipſius Chriſti complementum, vt loquitur Apoſtolus: Eph. 1. 23. quo reſpectu Eccleſia matrem nullam habet, ſed vnicum illum patrem cœleſtem. Aliàs verò ſumitur, nulla quidem ratione habita circunſtantiarum, temporum vel locorum, ſed à Chriſto ſuo tamen diſtincta: qua etiam ratione,nulla eſt illi mater, ſed vnus Pater cœleſtis, itidémque primogenitus vnicus frater & Sponſus,Chriſtus. Nonnunquam verò ratio tem-

Quo ſenſu dicatur Spõſa matrem habere,apud quam vna cum Sponſo ſe recipit.

porum & locorum attenditur, quo respectu Paulus dicit se Galatarum Ecclesiam genuisse, Gal. 4. 19: & Corinthiorū patrem sese vocat. 1. Cor. 4. 15. Et hoc sensu forsan Ierosolymitanam Ecclesiam (non autem Romanam) non absurdè dixerimus reliquas omnes Ecclesias peperisse, quòd ex ea sit egressum Dei verbum, semen illud incorruptibile, 1. Pet. 1. 23. Esa. 3. 3. Zach. 14. 8. Hoc ipso etiam respectu, hoc in loco, Sponsa quæ, si generatim & vniuersaliter eam cōsideres, vna & perpetua est, distinguitur (prout alij alios gignunt Domino) in veterem Ecclesiam sub Lege, & in Ecclesiam Christianam quę illi priori successit: ex qua loquendi formula, nostra quæ nūc est Ecclesia, matrem habet Ecclesiam illam primitiuam, quam vocant. Hæc igitur Sponsa (quam vt Dauidis & Solomonis temporibus vigentem consideramus) verbis istis ostendit sese, post illas tempestates & horrendas cōfusiones, quibus plena fuerunt illa Iudicum & Saulis calamitosissima tempora, quum tandem Sponsum velut ex improuiso reperisset, se cum ipso apud matrem suam recepisse, id est gauisam Sponsi sui agnitione & fruitione, sese ad formam veræ illius antiquę Patriarcharum Ecclesiæ, cui postea lata Lex normā dedit, & quæ ipsam Domino genuit, composuisse. Nam in Ecclesia Dei, in hac, inquam, sola regnat Sponsus, beneficiis eius fruens, interea dum reliquam mundi partem sæua tyrannide in densis tenebris & maledi-
ctione

ctione premit is qui sibi mundi imperium vindicat.

Desinant itaque nobis obloqui aduersarij nostri quasi nullum honorem Ecclesiæ deferamus. Absit enim vt non vltrò agnoscamus & profiteamur Ecclesiam Apostolicam matrem nostrã esse, in qua nos Spiritus sanctus suo tempore genuit & lactauit, vt adhuc hodie nos eiusdem nutricis alumnos fouet. Non est itaque in eo posita nostra disputatio, An sit aliqua extra Ecclesiam salus, neque An Ecclesia sit piorum omnium mater, in cuius conclaui nos permanere, & vt genuinos liberos educari necesse sit. De his (inquã) minimè ambigimus. Sed de hoc inter illos & nos cõtrouertitur. An ipsi sint vera Ecclesia, ac non potiùs adultera illa & scortatrix, quæ matrem suam, subductis eius liberis, in deserta compulit, quos mater ipsa iam reposcit, & Sponsus ipse noster quotidie ad se reuocat.

Doctrinæ superioris ad nostra tempora applicatio.

Verùm ex hac loquendi formula duplex hîc rursum oritur questio. Nã primò si Sponsus non reperitur nisi in Ecclesia, & ista Ecclesia mater nostra est, quînã extra eam Spõsa Sponsum reperire potuit. Nam quomodo diceretur à Sponsa in domum introductus, si iam erat in domo, & in ea erat repertus? Ad hæc itaque dicimus verè quidem dici Sponsum habitare in hac domo, id est virtutem & efficaciam suam salutarem in ea potissimum exerere: Sed hoc tamen non impedit quominus foras, vt ita dicam, prodeat, liberos

Quomodo Sponsus à Sponsa sua extra domũ reperiatur.

ſuos,in ipſius meritriciæ & perfidę matris ſinu quæſiturus, & in libertatem aſſertos domum ſuam deducturus, quod clariſſimè noſtris tẽporibus patuit,quibusSponſus quamplurimis ex cloacinis illis miniſteriorum cauernis ereptis, quodammodo triumphauit. Non abſimili modo ex Ieruſalem exiuit,miſſis in Orientem & Occidentem ſuis Legatis, ad nos vocandos & ad ſe adducendos, nos, inquam, miſeras Gentes quæ ſine Deo eramus,& nihil minus quàm eius populus,vt in lucem admirabilẽ nos educeret, Epheſ.2.12. Hac igitur ratione Sponſa foris reperit Sponſum ſuum, à quo aliquatenus aberrarat, ſicuti ſupra pluribus expoſuimus.

Quo ſenſu Sponſa dicatur in matris ſuæ domum Sponſum introducere.

Altera quæſtio ex iis verbis oritur quibus Sponſa dicitur Sponſum introduxiſſe in ſuæ matris domum, quum è contrario nos prior Sponſus quærat, inueniat, & inuentos domum ſuam introducat. Sanè iſtud eſt extra omnem controuerſiam, & nos hunc decet honorem Deo tribuere, vt agnoſcamus ac fateamur ipſum vnum eſſe qui ex infinita & immenſa ſua bonitate, quemadmodum in Filio ſuo nos deſtinauit ad ſalutem ante iacta mũdi fundamẽta, ita etiã ſuo tẽpore nos per auia vagantes quærat,ipſum fugientes inueniat, inuentos domum ſuam,quæ eſt bonæ noſtræ & ſanctæ matris domicilium, introducat. Sed iſta non ſic agit in nobis,vt interea trunci vel ſtipites ſimus, quos ſine interiore noſtro motu&ſenſu hùc illuc impellat.

Deus ergo quærit nos, creans in nobis desiderium ipsum quærendi: nos reperit, efficiens in nobis & media & vires quibus ipsum reperiamus: inuentum ipsum amplectimur, ipso in nobis fidem qua apprehēdatur creāte: denique nos in matris nostræ domum introducit, hanc etiam nobis tribuens gratiam, vt velimus in veræ Ecclesiæ numero censeri, apud eam perpetuò mansuri. Pulchrè ergo hæc inter se conueniunt, si modò vnum hoc addiderimus, Quòd quemadmodum Deus in nobis, producit effectus natules per causas naturales quas in nobis creauit, ita etiam quum de donis illis supernaturalibus quæstio est, (quandoquidem caro & sanguis ista nobis non reuelant. Matth. 16. 17. & nostra adeò naturalis sapientia inimicitia est aduersus Deum. Rom. 8.) fatendum esse puritatem intelligentiæ & rectitudinem voluntatis, merè gratuita dona esse ab eo profecta qui mentis nostræ oculos illustrat Ephes. 1. 8. & in nobis creat velle & facere. Philip. 2. 13. adeò vt quàm hoc enunciatū verum est, Mundum à se ipso non extitisse: &, Mortuum cadauer excitare seipsum nō posse, tam istud sit certum, quum de animæ Luce quæritur, siue in intelligētia, siue in rectitudine voluntatis, Nos Dei opus esse ex mera & vnica eius gratia. Ephes. 2. 11. & 5. 10.

Quàm necessarium sit vt primò in domum, post in

Vnum porro quiddā adhuc superest hoc loco obseruandum, quod hic dicitur, tum de *domo, tum de matris huius conclaui.* Grauis e-

ipsum conclaue introducamur.

nim in ipsis latet admonitio in quam seriò intueri debent quotquot sanctos publicos conuentus negligunt, à Domino ab omni seculo in Ecclesia institutos, & sine quibus (quid est enim aliud Ecclesia nisi cætus extra mundum conuocatorũ) aio Ecclesiam quodãmodo speciem, externã Ecclesiæ ad tempus amittere, sicuti grex ouibus penitus dispersis, vix gregis nomen retinet. Neque his obstat quod de externis Ecclesiæ notis interdũ interruptis alibi diximus. Aliud enim est, quoniam in solitudinem iusto Dei iudicio redacta sit ecclesia, priuatim sese domi continere, quàm cætus communes hominũ metu vel per superbiam, vel alio sinistro affectu aspernari. Certè ne sub Iezabelis quidem tyrãnide, nisi in ipso persecutionis feruore desiisse cõmunes in Israelis regno conuentus ex Eliæ & Esaiæ & regum illorũ historijs liquet. Immo ne in ipsa quidẽ captiuitate penitus destiterunt delectis etiam senioribus conuenire, vt apparet ex plurimis Ezechielis locis. Contemptores igitur sacrarum cõcionum hic appello, quorum vni bis duntaxat hebdomadatim, alij singulis tantum Cœnis Christianismum suum publicè profitentur: alij denique prorsus ista nõ curant, deplorati homines & coram Deo & hominibus detestabiles. Denique non desunt nimiũ multi quibus nulla est religio in medias idololatrarũ sordes, Lothij exemplũ secuti, recursare: Aliis deniq; nunquã visum fuit

fuit sese cœtibus Ecclesiæ aggregare, quos si increpes quòd Christianismũ suũ apertè nõ profiteãtur, statim suas priuatas meditationes & secretiores preces obtendunt, quibus speciosis excusationib⁹ diffidẽtiã & auaritiã suam quas vltrò cõfiteri deberent occultãt, sibi tandem ipsis persuadentes pulchrè satis secum agi. Sed longè aliter de his iudicat Apostolus Heb. 10. 25. his verbis grauiter fideles obtestans, Ne deseratis (inquit) aggregationem nostri mutuam, sicuti mos est quibusdam. Et sanè si quis ipsi excusationi locus esset, an non ita Prophetæ & Apostoli, aliíque priuati in Ecclesia homines, fideles Dominij martyres, insanię & furoris damnarẽtur, vt qui sibi tam malè cõsuluerint? Ista est igitur insignis Satanæ versutia, sic corpus istud, cuius nulla satis arcta esse potest coniunctio, in partes varias secare conantis. Annon verò tandẽ nos huiusmodi priuatorũ & sui arbitrij Christianorũ exitus satis docet, quibus in rebus sese domi in suis familijs exerceant? Neque id sanè mirari nos oportet, quum in ijs etiam quos frequenter concionibus interesse videmus, & quos frequẽtibus reprehensionibus, admonitionibus, consolationibus, documentis excitamus, tãtam segnitiem ac socordiam, summo nostro cum dolore, animaduertamus. Itaque, Fratres, per Deum immortalẽ oro & obtestor vt hæc penitiùs cordibus nostris infigamus quod hoc in loco Spõsa de se testatur: quòd

se nimirum cum Sponso domum receperit, & in ipsum quoque matris suæ conclaue. Quid ijs igitur futurum putamus qui hanc domum ne à limine quidem salutare volunt, & sese somniant foris vltrò permanentes, Christo commodiùs fruituros? Immo verò ne istud quidē sat est domū ingressum esse, sed intra ipsum vsque cóclaue est penetrandum. Multi enim domum ingrediuntur, qui in illa non censentur, quū eam ingressi sint statim exituri. At in matris istius cubiculum introijsse, est in quietis eius locum peruenisse, vbi se illa spectandam & audiendam exhibet & verò pane vitæ suos sustentat.

Exhortatio ad doctrinæ huius praxin.

Quum igitur Deus noster pro singulari sua erga nos bonitate, nobis istud donum largitus sit, vt inter tot procellas tótque tēpestates quibus mundum sursum deorsum ferri videmus, & quibus cernimus paucis ab hinc annis tot florētes Ecclesias prostratas corruisse, tuguriolum istud aduersus tot ferarum latratus rectum sartúmque perstiterit, an illius obliti, diuturnam eius clemētiam pedibus calcabimus? Absit à nobis, ô vtinam, tantum flagitium. Tu verò potiùs, Deus optime, frigidos inflamma, recedētes, reducito, pigros impelle, debiles confirma, nobis denique istud clementer largire vt secundùm Apostoli exhortationem Col. 3. 16. sermo tuus in nobis copiosè habitet, vt eximiæ & proceræ simus in viridarijs tuis, & fructiferæ arbores, donec ex terrestri & corruptibili

ptibili hac domuncula, in cœleſte illud palatium perueniamus, vbi tecum regnemus in æternum. Quum verò in his omnibus rebus hactenus Deum grauiſsimè offenderimus, gratiam eius & misericordiam his vnà mecum omnes verbis ſupplicibus deprecemur. Domine Deus, &c.



IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA VICESIMASEXTA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.3.verſ.5.6.7.& 8.

5 Obteſtor vos, filiæ Hieroſolymitanæ, per Capreas ſiue ceruos agrorum, ne excitetis néue expergefaciatis dilectionem donec velit.

6 Quæ eſt iſta quæ aſcendit è deſerto quaſi columna fumi, delibuta myrrha ac thure, omníque genere pulueris pigmentariorum?

7 Ecce, lectus ipſius, (nempe) qui Solomonis eſt, ſexaginta Heroës circunſtāt illum: ſtrenuiſſimi inter Iſraëlitas.

8 Vniuerſi enſem tractantes ac bello aſſuefacti: quiſque gladium ad femur habens, aduerſus noctis terriculamenta.

Tantam eſſe Eccleſiæ auctoritatē vt nullus eam ſit unquam

Diu ſeſe Sponſa in perquirendo Sponſo fatigauerat, itaque tandem inuento ipſo, apprehenſo,& domum matris ſuæ perducto, tam felici ſua conditione iam lęta prefruitur, non

non quòd Sponsus ipse sit sopitus quum custos Israëlis nunquam dormitet. Psal.121. 4. sed quòd ipsa in eo quiescat, ipsum in corde fouens; & inenarrabilem illam pacem inde hauriens, quæ animarum vera quies est Matth.11,19. & Ro.5,1. Ipsa porrò non ignara multos huic piorum quieti aduersari quos etiam media ipsa Hierusalem foueat, id est ex iis potissimum qui nihilominus præcipua Ecclesiæ membra videri volunt, graui cum interminatione ipsos obtestatur, Hierosolymitanarum filiarũ nomine, ne Sponsi cũ ipsa Spõsa quietẽ interturbent, quasi denuntians alioqui se effecturam vt ipsos facti pœniteat. De quiete autem ista & obtestatione etsi multa iam diximus in cap. 2. 7. vbi totidem ferè verbis vicissim vtitur Sponsus, Ne Sponsæ quies interturbetur, quædam tamen specialiter hîc sunt nobis annotanda. Posset enim certè sic loquens audacula videri, quum hęc obtestatio Sponsum potiùs deceat penes quem summa auctoritas residet, & in quem Sponsa potiùs reiicere istius custodiæ curam omnem & solicitudinem debeat. Agnosco verò lubens Sponsam grauiter hoc loco & magnificè loqui. At quidni sic loqueretur? Nam quum pro se, & apud se, imò in sese maximum illum & potentissimum Regem habeat, ecquis impunè tam proiectæ fuerit audaciæ vt in eam insurgat, quem ipsa vltrò non prouocet? Infinita sanè huius rei exempla nobis cum suis effectis coniuncta sacræ

adortus quin malè cum illo sit actum.

literæ ſuppeditant. Ioſue Soli imperat, cuius Sol obſecutus mandato curſum ſuum ſiſtit: Ioſ. 10. 12. & quid viris ſuis Dominus in ipſam rerum naturam polliceatur notum eſt ex Matth. 17. 20. minimè id tamen vt donum miraculorum perpetuum in Eccleſia ſtabiliatur, ſed vt nouerimus Eccleſiam non fruſtra minis iſtis vti aduerſus eius quietis perturbatores quam ei Sponſus concedit, vtpote quæ ſibi expoſitam habeat huius Sponſi potentiam, qui poteſtatem omnem habet in cælo & in terra. Dona verò temporalia, ideſt quæ ad huius vitę communem vſum ſpectāt, quæ Dominus Eccleſiæ ſuæ largitur, parua ſunt & exigua, ſi cum theſauro illo ſpirituali conferātur Eccleſiæ proprio & peculiari. Sed tamen ne iis quidem bene ceſſit qui Dei filios in his terrenis offenderunt, Deo inclamante, Ne tāgite vnctos meos, Pſal. 105. 15. vt qui ſacrilegia vindicet in prophanis etiā & idolorū cultoribus vt plurimæ gentiū illarū hiſtorię teſtantur: neq; diu inulta māſit Ægypti & Babylonis aduerſus populū Dei ſæuitia. Deniq; nō temere caput de mēbris ſuis loquens è cœlis clamauit, Saule, Saule cur me perſequeris. At hic potiſſimū agitur de bonis ſpiritualibus, & proprio Eccleſiæ theſauro, nēpe de Sponſi fruitione, & tota domus ipſius œconomia. Pharao quidē tantum bonū Iſralíticæ Sponſæ inuidit, conatus primò ſine vlla exceptione, deinde certis conditionibus impedire quominus Sponſo potiretur: ſed quam

quã istud feliciter ei cesserit notiùs est quàm vt hic repeti sit necesse. Non alia fuit Assyriorum & Chaldæorum conditio, qui templum vrbémque solo adæquarunt. Nec aliter cum iis actum est, qui templi ædificium pro viribus impedire sunt conati. Contrà verò magno illi Alexandro, licet prophano & ambitioso mundi prędatori, videmus Deũ in terrenis istis benedixisse, quòd se longe aliter in Israëlitas gessisset. Huius successores tum in Syria tum in Aegypto nobis in vtramque partem plurima diuinorum iudiciorum suppeditãt exempla, prout vel mutuam quietem Sponsi & Sponsæ fouerunt, vel illam perturbare conati sunt. Duorũ illorum Romanorum Imperatorum Crassi & Pompeij, quos primos in ea gente legimus Dei templum aggredi ausos (licèt eo iam tempore fœdissimè à propriis custodibus profanaretur) tam fuit calamitosus, tam infelix & turpis vitæ exitus, vt eum cæcum esse oporteat qui Dei gladium in illos districtum non animaduertat. Nec diu potitus est imperio Titus quãuis iræ Christi gladio armatus. Romanũ autem Imperium, ex quo Sponsæ isti bellum inferre cœpit, Deo sic & ingratitudinem populi sui vindicante & in huius Sponsæ patientia triumphante, non destitit esse sui ipsius carnifex, suis sese conscindens manibus, donec frustulatim laceratum corrueret.

Porrò bestia aduersus quam hodie decertamus, ad typum illius veteris Imperij Ro- *Hæc auctoritas nulla ratione con-*

uenit falsæ Ecclesiæ. mani effigiata sese Sponsæ loco substituens libenter istud in nos retorserit. Sed duobus potissimum argumentis freti illam repellimus. Nam è cõtrario omnes historiæ (Si modo de hac re iudicium feratur non ex initio prosperis alicuius arridentis successus, sed ex earum familiarũ exitu quę bestiæ isti maximè fouerũt) testãtur horrẽda Dei iudicia semper illis omnib⁹ adhęsisse, nõ Constãtini Magni, nõ Phocę, nõ Caroli Magni, nõ Ludouici pij, nõ Andegauẽsiũ ducũ domibus exceptis. Deinde, fateor iusta Dei permissione non semel euenire, vt huius mũdi princeps fidẽ suis mãcipiis præstet, quib⁹ quotidie mõstratis istius orbis regnis pollicetur fore vt illorum domini euadant, si modò ipsum adorauerint, quæ quidẽ promissio cupidissimè ab illis arripitur, prorsus aliter affectis quàm Christus Matt. 4. 9. Et certè tandem bonus iste mundi princeps digna mancipiis stipendia persoluit. Hæc vt ita se habere comperiantur non opus erit altiùs repetitis exẽplis inuestigare, si modo velimus oculorũ aciẽ intẽdere in ea quæ in totius Christianismi potentioribus magnatibus maximè sunt conspicua & illustria, tũ in Oriente, tũ in Occidente, Meridie ac Septentrione. En ergo quàm non inanis iactantia, sed quàm sancta sit huius Sponsæ confidentia, in cuius persona quum loqueretur Apostolus, quibus (obsecro) modis Elymam illum excepit? Act. 13. 10. quàm intrepidè res omnes creatas, sublimes, medias & infimas

fimas prouocat. Rom. 8. 37. vt suprà omnem sublimitatem assurgit, quæ aduersus Deum extollitur? 2. Cor. 10. 5. Et reuera quæ tanta est Imperatoria dignitas vt, excepto Romano Antichristo, istud sibi arrogauerit, Quicquid in terra ligaueritis, ligatum erit in cœlis? Matt. 6. 19. Quod dictum intellige nō vni cuipiam personæ, non vni Petro sed legitimæ Ecclesiasticæ gubernationi tributum: Matth. 18. 18. & 1. Cor. 5. 4. cuius idem est auctor & vindex.

Cur Sponsa isti nubi conferatur similis columnæ altæ & rectæ.

Sequitur in nostro contextu, *Quæ est ista quæ ascendit è deserto quasi palmæ siue columnæ fumi.* Hîc verò quæri in primis solet quenam Persona hoc loco loquens introducatur. Putant enim filias esse Hierosolymitanas quas compellarat Sponsa: quæ sententia meo iudicio, fundamento caret. Sponsus igitur hîc loquitur cum sua Sponsa verba commutans, in matris suæ cubiculo prædicans & magnifaciens quod ipsemet erat ei largitus. Et est admodū venusta mutatio illa personæ, Spōsi de Sponsa sua quasi tertium aliquem sciscitantis, etsi ipsam suam Sponsam compellaret. Caue autem putes hæc verba esse rei alicuius dubiæ, quasi Spōsus de re quapiam sibi cōperta ex aliquo percontetur. Potiùs enim hæc verba sunt Sponsi, leporem & venustatem Sponsę demirantis. Cōparat ergo Sponsam columnæ altæ & rectæ, cuiusmodi sunt in illa regione palmæ, columnæ, inquam, vaporis ex deserto versus mōtes sese euehentis

quem vaporem ait etiam procedere ex eò quòd Sponſa iſta omnis generis vnguentis & aromatibus ita perfuſa eſt, vt eorum odore & fumo, cœlum ipſum, vt ita dicam, ſubtexatur: quod deinceps fuſiùs expoſituri ſumus. Iſta ergo eſt ſimilitudo, inde fortaſſis etiam petita quòd turba quæ iter faciens & ad locum aliquẽ confertim accedẽs procul conſpicitur, quandam prę ſe ferat nubis ſpeciem, vt etiam loquitur. Apoſt. Heb. 12. 1. Nã quòd Sponſa loquens in hoc Cantico velut perſona vna introducitur, non impedit quominus per eam tota credentium multitudo repræſentetur, in vnum corpus coadunatorum, & vno eodémque Spiritu viuẽtium, qualis nobis Eccleſia deſcribitur. Act. 4. 32.

Quale ſit iſtud deſertũ ex quo colũna hæc egreditur.

Si quis verò quærat, cur hîc fiat *deſerti* mẽtio, Aio ſic ortum iſtius populi deſignari, qui ante peregrinationẽ in deſerto vnica dũtaxat fuit familia, & cœpit in deſerto primùm eſſe populus, quum ibi primùm Dominus politiæ normam ei præſcripſit. Sed addo nõ eſſe vel in iſto Arabiæ deſerto, vel nominatim in mõte Sinaï, vel Pharan ſubſiſtendũ. Nam præterquàm quòd Eccleſiam in genere Dominus ex mundo ſibi eligit, non tantùm illius ſeculi, ſed omnium ſuccedentium ſeculorum ratione, prout vnis morientibus alij ſuccedũt: verè dici poteſt Eccleſia educta eſſe & educi quotidie ex deſertis maximè horrendis: quò etiam reſpiciens Ioſue ſedulò monet populum vt memori mente repetat Abrahamum

hamum ipſum & Thare eductos eſſe ex mediis idololatriæ deſertis. Ioſ.24.2: quod etiam diſertis vebris vnumquodque caput familiæ in Iſraële fateri & agnoſcere oportuit, coràm Domino, quotannis oblatis primitiis, quæ fidem & honorem quem Domino debebant teſtarentur. Deut.26.9. Eôdem reſpexit Dominus pollicitus ſe lapidea noſtra corda, (quæ ſunt horrẽdum illud deſertum in quo nos reperit) in carnea commutaturũ. Ezech. 36.26. id eſt mollia redditurum & eorum capacia quæ in illis Spiritus eius inſcribit, ex noui fœderis formula, Iere.31.33.& Eſa.54.13.

Ex deſerto iſto quidem eſſe exeundũ, ſed tamẽ cauendum ne in aliud incidamus.

Annon verò nos qui frequentes hûc conuenimus, vel ſaltem maxima huius cœtus portio, iſtud palàm cognoſcere teſtaríque poſſumus ac debemus, quos Deus pro infinita ſua miſericordia ex horrenda iſta idololatriæ & ſuperſtitionis ſpelunca, in qua patres noſtri diu nimis hæſerunt, tam clementer extraxit? Verùm, (proh dolor) quàm multos videre cogor qui, vt locum mutarint, tamen vel ex vno deſerto in aliud trãſierunt, vel ſuũ ſecum deſertum tranſtulerunt, non quòd, Deo laus ſit, locus iſte in quem Deus nos colligit ſit deſertus, ſi reſpexerimus ea dona quibus eſt à Deo liberaliter hic locus conſitus, miſſis etiam fidiſſimis colonis, qui diligenter eum excoluerunt: ſed quoniam deſertum ex quo eſt exeundum, vt iſtius Sponſæ membra cenſeamur, illud ipſum eſt in quo nati ſumus, & quod intra nos geſtamus, quocunque

terrarum loco ſimus, in eo recipientes & fouentes malignum illum Spiritum qui dicitur loca ſicca & arida peragrare, Matth. 12. 49. Quiſquis igitur ex ſuperſtitionis & idololatriæ deſerto incidit in baratrum impietatis: ex deſerto pauidæ conſcientiæ omnia metuentis, in horrendum illum gurgitem conſcientiæ ſtupidæ & prorſus nihil ſentientis: ex luxuriæ deſerto in auaritiæ vaſtitatem: denique ex ſtultitia in improbitatis præcipitiũ corruit, hoc certo ſciat nihil eſſe ſibi cum Sponſa ex deſerto aſcendente commune.

Comparatio inſtituta inter deſerta veterũ Monachorũ & palatia noſtri ſeculi Pſeudoreligioſorum.

Fruſtra verò ex hoc loco heremitæ, aut monachi illi clauſtris ſuis recluſi, aut illi ſuperſtitioſi religioſi per antiphraſin ſic vocati, quibus non deſerta, ſed vrbes vndique complẽtur, patrocinium ſibi ſunt quæſituri. Nam ſi de priſcis heremitis agendum eſt (id eſt deſertorum incolis) magnus eſt iſtiuſmodi hominum delectus adhibẽdus. Alios enim perſecutiones in ſyluas & deſerta cõpulerunt, in eo Prophetarũ Elię & Eliſęi veſtigia ſecutos, in quibus nihil minus ipſos quàm deſides ac otioſos, tẽpus inanibus ſomniis & ſpeculationibus cõſumpſiſſe, labores nonnullorũ teſtes ſunt locupletiſſimi. Seceſſerunt alij ad tẽpus, quietẽ illã ab externis huius mundi negotiis, remotam crebris exercitationibus ad omne bonũ opus meditandũ cõparatis tribuentes, & precibus ac ſtudiis intenti, vt ſi fortè vocarentur, Eccleſiis maiore fructu prodeſſent. Et tamen hac in re fateri conuenit, multos,

nec

nec in ſolitudine, nec in vitæ auſteritate, modum nullum tenentes, neque ſibi ipſis neque Eccleſiæ ſicut oportuit conſuluiſſe. At quid iſtis habet ſimile cloacæ illæ Sodomorum & Gomorrhæ? quid haræ illæ omnis ſuperſtitionis & impietatis? quid ſpurciſſimæ latrinę omnis perditi otij, cuius fœtidiſſimis vaporibus cœlum ipſum & terra inficiuntur? Sed quorſum venerandorum iſtorum Patrum deſerta commemorem? Intueamur illorum faſtigiata templa, turres, clauſtra, capitula, dormitoria quæ vocãt, hortos, ac præſertim iſtorum quos vltimos Satan crepuit, & qui nobis Ieſuitarum id eſt Chriſtianorum nomen ſuffurantur, quænam Regum palatia dixerimus cum deſertis iſtorum conferenda? Quo quæſo labore, quóue in publicæ vtilitatis gratiam exantlato munere, quiſquã, dum vixit tantum potuit lucri facere, ut ad centeſimam partem opum accedat, quas iſti ſcilicet paupertatis ſectatores, exiguo ſpatio corraſerunt & quotidie corradunt, dum omnia GRATIS, & Dei amore facere videri volũt?

Sed age, prædonibus iſtis animarum in ſuis deſertis relictis, Deum precati, vt miſeros viatores ab illis auertat, ad Sponſam noſtram redeamus, quæ aſcendit ex deſerto, vt Palma, inter reliquas nimirum deſerti arbores conſpicua, & omnes ſupereminens. Talem fuiſſe dicimus Ioannem Baptiſtam, qui ex tota Iudæa ac præſertim ex ipſis Hieroſolymis quàm plurimos ad ſe pertraxit. Eſt au- *Cur Eccleſia cum Palma conferatur.*

tem ea Palmæ natura, vt depressa fiat valentior, & in altum fortiùs feratur, Psal.92.13 sicut Dei virtus qua suam Ecclesiam tuetur, in eius infirmitate magis ac magis elucet, 2. Cor.12.9. adeò vt dicere audeat, Omnia possum in eo qui me corroborat. Phil.4.13. Quò enim vera hæc Sponsa, Sponsi sui virtute non assurgit? Eius conuersatio est in cœlis, Phil.3. 6: iam sedet in locis cœlestibus Ephes. 2. 6: iam est in regnum filij dilecti & Sponsi sui trãslata, Colos.1.13. Magnum sanè mysterium, vt inquit Apostolus, Ephes.5.32: ideò hic Spõsus introducitur, admiratus ipse sui operis excellentiam, vt de ista Sponsa loquitur Apostolus, 1.Cor.3.9.

Quàm speciosa sint istius Sponsæ vnguenta & vnde proficiscantur.

Vt autem istam Sponsæ excellentiam ex indubitatis effectis fieri quam maximè conspicuam pateat adijcit Spõsus ad superiora, Sponsam oblitam esse totam omnis generis vnguentis summa suauitate conditis, quorũ etiam fragãtia quasi nubem odorum suauissimorum effundat. Cæterum res est omnibus nota, calore partim extrinseco Solis radiorum partim intrinseco in terræ visceribus cõcluso in humorem agente, temperari, & coqui eorum quæ ex terra gignuntur semina, & inde vapores ex humo excitatos rursus in aere percolari & eò redigi, vt eos tandem instillatos terra in sese recipiente, & eo quasi fermento quodã intumescente, tãdem inde plen⁹ partus erũpat vt istud nobis oculis subiicit diuinissimus ille Physicus Psal.65.

Hac

Hac autem ſimilitudine quàm appoſitiſſimè nobis repræſẽtatur quod Dei ſpiritus ſuo tẽpore diſponit,præparat,& efficit in electorũ ſuorum intelligentia & cordibus, vt in illis procreet & tandem producat fructus veræ ſcientiæ,gratiarum actionem, preces & opera charitatis quæ in Dei vſque conſpectum aſcendãt. Act.10 4. Apoc.5 8.& 8.3 Phil.4.18. Itaq;,primùm à gratia Spiritus S.materia omnis iſtorum vnguentorum proficiſcitur, nec vllo modo à nobis eſſe dici poſſunt.Deinde accenduntur ab eadem gratia, & vapor gratus ex ijs elicitur. Tertiò, quemadmodum adeps beſtiarum qui in ſacrificijs adolebatur, & ex ſe nihil niſi ſordidum ac graue olẽs effundere poterat, ſuauiſſimi tamẽ odoris fiebat permixtione illius ſuffitus qui ſuper aureo altari incendebatur : non aliter optimi quique motus & præſtantiſsimæ quæque ſanctorũ actiones,licèt à regeneratis,quandiu hic in terris degimus profectæ, etſi nullius per ſe pretij coram Deo , nec vlla compenſatione dignæ,tamen Deo gratæ ſunt,atque adeo coronæ gloria ab eôdem coronantur. 2. Timot. 4. 8.quatenus ipſe nos & noſtras actiones, ad quas ipſe nos formauit cõſiderare dignatur, non in nobis, ſed in eo in quo ſolo gratos nos habet.Eph.1.9.& qui tradidit ſemetipſum pro nobis vt eſſet oblatio ac victima coram Deo in odorem bonæ fragantiæ.Epheſ.5.2.

Spõſa nihil morata laudes quæ de ipſa prædicãtur quãtumuis veras in eo tota eſt vt Sponſum apud quoſuis laudibus efferat.

* Ad hæc verò Sponſa veris illis laudibus

quibus exornabitur à Sponſo minimè immorata, & à ſe in illum tota cóuerſa præſtantiam eius & effecta in ſuorum gubernatione deſcribit, ducta primùm à lecto ſimilitudine, deinde etiam à lectica, & quidem ſermone ad Hieroſolymitanas puellas conuerſo, vt ex poſtremo capitis huius verſiculo liquet. Erat namque gens illa quidem ſpecialiter diuinitus ſelecta quam Deus fœderis ſui participem faceret, quæ tamē vberiore veritatis cognitione & inſtitutione egeret inter tot corruptelas, à quibus nunquam ita munda fuit ac repurgata Eccleſia, quin plurima in permultis deſiderarentur, vt ſacræ hiſtoriæ, & omnium Prophetarum cóqueſtiones teſtantur. Neque vt ſit quiſpiam verum Eccleſiæ membrum ſatis eſt in ea natum eſſe, ſed hoc requiritur vt in ea veritatem edoctus adoleſcat, denique vt doctrinam in Eccleſia cunctis indefinitè propoſitam ſibi applicet.

Qualis iſte fuerit lectus Solomonis, qui veri illius Solomonis & verè pacifici typus fuit.

Sponſa igitur illas compellans, primò inſtituit allegoricam deſcriptionem lecti magnificentiſsimi regij, & nuptijs iſtis deſtinati. Eſto igitur nobis hic primùm tota illa terra Chananæa, in qua tunc Deo viſum eſt peculiare ſuum collocare domicilium, cæteris gētibus abiectis & in exitium ſuum ruentibus. Act. 14. 16. deinde ſpecialiùs intelligamus hoc nomine templum, vrbem Hieroſolymorum, Synagogas, vrbes, pagos illius regionis, fidelem denique quēlibet, quatenus

in eo Dominus per Spiritum ſuum habitare dignatur. Deinde Solomonis nomine non tantùm hæc vox intelligatur quæ Pacificum ſignificat, verùm in primis promiſsio illa Dauidi facta de filio illi in æternum ſucceſſuro, ijs verbis concepta quæ omnia iſta ſimul complectantur, nempe & figuram ſiue vmbram quæ eſt filius iſte Dauidis, & illius figuræ & vmbræ veritatē & corpus, cuius ille fuit figura, qui eſt Ieſus Chriſtus 2.Sam.7.13. & 1.Chronic. 17.12. Solomonis igitur nomine, ſciamus hîc nobis deſignari verum illum & ſolum inter Deum & dilectos ſuos Mediatorem, diſerte propterea pacis Principē, elogio illi proprio nuncupatum, Eſa.9. 6. cuius hodie lectus eſt mundus vniuerſus vbicunque Dominus in ſuis electis quos à quatuor mundi plagis vocat, agnoſcitur & colitur, vt Petro ſignificatum eſt viſione illa inſigni, vaſis cuiuſdam inſtar lintei deſcendentis è cœlo, quatuor extremis deuincti. Act. 10.11.

Quàm tutus ſit lectus in quo ſolo vera quies reperitur,

Vt autem certi ſiamus ibi tantùm & non alibi vſquam veram quærendam eſſe quietē nobis promiſſam Matth.11.29. & extra hanc quietem nihil eſſe tutum ſed vbique terrarū plena omnia, Sponſa ſubiicit, lectum illum ſtipatum eſſe ſexaginta fortibus Iſraëlitis, qui præter robur animi, calleant armorum vſum, eos diligentes excubitores, ſedulò cauentes ne quid de nocte contingat, quo dulcis huius quietis fruitio interturbetur. Quàm autem

doctrina ista sit non vtilis modò nobis, sed etiam necessaria, quotidiana nos docet experientia. Quam enim veram esse ac præcipuã, causam dixerimus cur tam multi vel quieté istam subire abnuant, vel ex ea sese statim vltrò proripiãt? An non quòd isti lecto tuendo nullũ adhibitũ esse presidium suspicãtes vereantur ne in ipso ex improuiso deprehensi iugulentur? At contrà menti nostræ penitiùs istud infigitor, miseros istos carnales, auiculis esse simillimos quæ in caueis inclusæ, ad felis conspectum perterritæ, quum subsistere potiùs debuerint hûc illûc sese agitantes, in hostis sui vngues vltrò incidunt. Quisquis enim extra Ecclesiam egreditur, sine dubio in Leonis illius voracis fauces incidit 1. Pet. 5. 8. In eo igitur peccant homines quòd solis oculis corporeis præditi, id tantùm credunt quod in oculos ipsorum incurrit, nec sibi possunt illud persuadere, quod solis cernitur Spiritus oculis, inuisibilia, quoque perspicientibus. Heb. 11. 27: nisi fortassis ex peculiari Dei gratia visio quædã specialis ipsis cõcedatur vt Iacobo Genes. 32. 2. & Prophetæ seruo 2. Reg. 6. 17. At contrà quid ait Dominus? Thoma, credidisti quia vidisti, beati verò qui crediderunt & nõ viderunt. Ioh. 20. 29. Fatemur igitur quidé omnes Dominũ esse omnipotétem, imò etiam quæcunque potentia est vllius, ab illo esse, sicut Pilato non obscurè Dominus indicauit. Ioh. 19. 11. At cur non addimus, quod non minus certum est, eum videlicet

delicet istam suam potentiam verè & potenter in sua demum asserenda Sponsa exerere? Nempe quod pauci seriò sibi persuaserint, Deum esse omnipotentem & suorum in primis fautorem & defensorem: denique fieri non posse vt vllus pereat ex iis quos Pater dedit filio. Iohan. 18. 9.

Cur Solomon sexaginta lecti sui custodes dicat.

Numerum porrò sexagenarium anxiè inuestigare nihil opus est: quamuis non ignorem eos qui de numeris scripserunt specialem aliquam huius numeri & insignem perfectionem obseruasse, vnde peculiariter ab Astrologis vsurpatum volunt, quò faciliorẽ instituerent suorum graduum & minutorũ supputationem: quòd videlicet sine fractione vlla numeri dimidiam partem habeat triginta: tertiam, 20: quartam, 15: quintam, 12: sextam 10: quos omnes numeros sigillatim notatos licet obseruare in templi à Solomone ædificati structura, excepta quinta parte, quæ est 12. Præterea si distinctè libros Canonicos tum Veteris tum Noui testamenti numeremus, duabus exceptis posterioribus epistolis Ioannis & quas reuera priuatas literas dicere possumus, nobis sexagenarius occurret numerus, qui sanè sunt veri & legitimi custodes veri & non typici Solomonis, vt mox pleniùs dicetur. Sed vt ista simpliciùs à nobis explicentur, verisimile est totidem ordinarios fuisse excubitores dormienti Solomoni adhibitos ad quem numerum alluserit Sponsa.

Qui sint veri defensores salutis fidelium, & in primis aduersus hostes inuisibiles.

Sed quósnam, istos custodes esse arbitrabimur? Primùm omnes Angelos, qui castrametantur circa timentes Dominum. Psal. 34. 8. Adsunt deinde reliquæ omnes res creatæ, quibus Deus vtitur ministris quũ sic ei visum est, aduersus hostes suos etiam potentissimos: Sic videmus in Paraonis historia, ranas, muscas, pediculos Sponsæ istius causam egisse, & magni illius tyranni rabiem cohibuisse. Quoties verò Dauidem à Saulis rabida persecutione Philistæi liberarunt? Cæterùm caro & sanguis id est hostes visibiles non sunt hostes Sponsæ præcipuè timẽdi, vt nos monet Apostolus Ephes. 6. 12. sed Leo ille rugiẽs quivorare nos expetit. 1. Pet. 5. 8. & quotquot nobiscum prauæ & damnandæ cupiditates nascuntur, aduersum quas singulis momentis lucta nobis est, Dei virtute fretis, vt tandem ad requiem istam æternam perueniamus quam huius lecti allegoria represen tat, & quàm nunc non nisi per spem possidemus. Itaque aduersus violentos istiusmodi hostium insultus nobis firmiore pręsidio, nimirum spiritualibus illis & inuictis armis opus est. Quósnã igitur esse hoc respectu dixerimus sexaginta istos cataphractos milites? Nimirum veteranos illos strenuissimos bellatores, tot triumphis ex Satana & eius satellitibus insignes, omnes suis ad femur gladiis accinctos, imò exertos manu vibrantes, quibus quicquid moliri nostros aduersarios cõtigerit facillimè confringãt. Abrahamum dico,

co, Isaacum, Iacobum, tótque denique Legiones fortissimorum bellatorum quorum omnium gesta ac triumphos Apostolus Hebrę.11. pluribus persequitur. Fidos etiam illos aio, & imperterritos Duces, quos non Satan ipse, non philosophorum falsa sapientia, non doli, non fraudes, non denique totius mundi furor & sæuitia vel tantillum remorata est quominus frustra repugnante mundo passim trophæa sua statuerint, insignia tot victoriarũ & monumẽta, & ciuitatem illam ædificarint, positis eius fundamentis quæ iam erat à Prophetis præparata. 1. Cor. 3.10. Eph. 2.20. At dicet aliquis, iampridẽ illi mortui sunt, Quomodo ergò nos hodie aduersus hostium impetus tutaturi sunt? Optimè & tutissimè: non tamẽ meritis vllis suis, (nam vt præclarè scripsit quidam doctus & pius Episcopus Romanus, Sancti acceperunt non autem dederunt coronas iustitię) nec suis in cœlis intercessionibus: in illis enim vnicum habemus Mediatorẽ Redemptionis & Intercessionis Dominum Iesum Christum 1. Timoth. 2. 5. Hebræ. 1.25. 1. Ioh. 2.1. ac proinde omnia illa merita, venias, indulgentias, pręces, præsente numerata pecunia venales ab istis animarum negociatoribus positas, fœdissimam esse & putidissimam coram Domino nundinationem dicimus. En igitur qua ratione nos adhuc hodie strenui illi Duces tutantur. Primum exemplis suis, Rom. 15.4. Heb. 12.1. quam etiam ob causam vnus inter illos strenuissimus bel-

lator, ausus est apertè dicere, Estote mei imitatores, sicut ego sum imitator Christi 1. Cor. 11. 1. & alibi, complere se dicit quæ afflictionibus Christi desunt, pro ipsius corpore idest Ecclesia Coloss. 1. 24. Deinde scriptis illis suis. Etenim per istos sexaginta custodes intelligimus eos potissimum quorum vsus est opera Deus ad istud extruend ũ armamẽtraium in quo reperiũtur, & vnde sumuntur omnia arma spiritualia quibus tanquam *πανοπλία* Paulus suum cataphractum militem instruit, Eph. 6. 13. Scripturas, inquam, sacras, quas Spiritus sanctus primùm dictauit Prophetis, 2. Pet. 1. 21. & postremò vberiore copia & efficacia suis Apostolis, in quorum scriptis arma hæc ordine omnia disposita & expedita reperiunt omnes Christiani milites, accepto illorum vsu à fidis illis gladiatoribus, nẽpe Pastoribus & Doctoribus. En igitur custodes, en arma, quibus quicunque se tutatus fuerit, Satanam sine dubio, mundum, carnem peccatum denique pedibus victor Dei virtute conculcabit Rom. 16, 20.

Conclusio & doctrinæ huius verus vsus.

Sed age, robur omne nostrum petamus in primis & insolidum ab illo in quo vnico situm est, magno illo nimirum Solomone, cuius cæteri omnes sunt duntaxat instrumẽta. Quum autem is adueniens in ipsa cruce omnes hostes nostros, quatenus patiendo pro nobis pugnabat debellarit: & etiamnũ quotidie eosdẽ illos hostes adhuc in nobis subsilientes virtute sui Spiritus domet, quid est quod

quod nos perterrefaciat? Ad quē igitur omni tempore tãquam ad asylum perfugiemus? Nimirum ad huius Sponsi nostri robur & fortitudinem, de quo Dauid glorians, Spero, inquit, in te: nunquam confundar. Psal. 31. & Mille me circunstantes hostes non perterrebunt. Psal. 3. 7. Iste est igitur vere fortis ille, à cuius par tibus nobis standum est. Dominus verò qui nos è tenebris in hanc lucem veritatis eduxit 1. Pet. 2. 9. & in Ecclesia sua collocatos tã benignè & tã mirificè in hac sancta pace cōscientiæ conseruauit, faxit dũ interea plenã illam promissionum eius præstationẽ expectam⁹, vt animis nostris penitus hæreat infixa firma illa potentiæ ipsius in nostram salutem propensæ, certioratio, vt nulli nos Satanæ & eius ministrorum insultus perterrefaciant: sed cõtrà indefesso cursu in sanctissima professione veritatis ipsius tum ore tũ puritate vitę ac Christianis moribus perseueremus, donec re ipsa frui nobis liceat omnibus iis bonis quæ nobis credẽda sperãdáq; in illo certissimo verbo suo proposuit: quod vt ab ipso impetremus, ignauiã nostrã & infinitas alias offensiones nostras apud ipsum ex animo professi misericordiam eius his verbis supplices inuocabimus. Deus omnipotens &c.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA VICESIMASEPTIMA.

Auxilium noſtrum ſit à Domino,&c.

Quod ſequitur extat in Cap.3.verſ.9.& 10.

9 Lecticam ſibi fecit Solomon, ex lignis libani.

10 Columnas eius fecit argenteas, ſtratum eius aureum, & opermētum eius purpureum & interius eſt cōſtratum amore filiarum Hieroſolymitanarum.

Carpentum thoro adiunctam indicat Eccleſiæ numquam certã & ſine exceptione perpetuam futuram ſedē, fuiſſe aſsignatam.

SVperius de Thoro Sonſi verba fecimus: nūc verò magnifica proponitur Lecticæ ſeu Carpēti deſcriptio & tota eius ſtructura: quum de thoro & thori cuſtodibus in genere tantùm fuerit loquuta Sponſa. Quies enim illa Eccleſiæ cuius duntaxat notitiam habemus ænigmaticam vt loquitur Apoſtolus,1. Cor.13.12.per thorū illum deſignata & in qua Sponſus etiamnum hodie Sponſam expectat, vt ea fruantur ambo in æternum beati 1. Theſſ.4.17. nobis adhuc veluti incognita eſt, atque adeò incomprehenſibilis, cuius tantū arrham tenemus. Carpentum autem, quo Sanctum miniſterium verbi veritatis & vitæ figuratur, perſpectū nobis eſſe debet, vt pote quod

quod inter nos ſtabilitũ vigere quàm efficaſſiſſimè debeat. Præterea Thoro Carpentum adiugitur vt ſciamus Spóſum ſub vetere fœdere ita in templo ſuum Thorũ cóſtituiſſe, & regni ſedem Hieroſolymis collocaſſe, qua in vrbe domicilium figere ſe velle prædicarat Pſal. 132. 13. & 14: vt interea in animo haberet totam Iudæam diſcurſare, diſperſis idcirco regionatim ſacerdotum oppidis & Leuitarũ familiis, quaſi totidem huius Carpẽti ſtationibus, vt ſacra docet hiſtoria. At nouo demũ fœdere, per expreſſum Sponſi aduentum, confirmato, verè peragrauit primùm quidem ipſe totam Chananæam dies noctéſque hûc illuc properans, & felix illud nuntium prædicans, quo promiſſionum omnium adimpletio continetur Act. 10. 38: verum, inquã, illum annuum Iubilæum, quo in poſſeſſionẽ mittimur hæreditatis noſtræ Eſa. 61. 2: Euectus ſuper omnes cœlos, miſſis Apoſtolis, ac deinde Paſtoribus & Doctoribus ad cogendũ ſingulis ſæculis electorum gregem, per quatuor mundi cardines ſic meritò dicitur inceſſiſſe, quatuor Euangeliſtarum veluti quadriga vectus Eph. 4. 11. Miniſterio autem illo compluribus ab hinc ſeculis paulatim intermiſſo, quum Sponſi Carpentum in thronum eius meretricis abiret, quæ ſeptem collibus inſidet, tanto poſt interuallo Carpentum illud, noſtra demum ætate Sponſus inſtaurandum curauit, coactíſque ſub iugum equis, cœpit orbem terrarum rurſum emetiri vt ocu-

lis cęcorum lucem infunderet: quemadmodum Solem fabulantur poetæ, curru delatum ab oriente in Occidenté, mundum vniuerſum illuſtrare. Hæc eſt igitur huius ſponſi lectica, cuius partes diligenter & ſigillatim ſunt nobis conſiderandæ?

Rex ipſe ſibi hoc carpentū tum ſub vetere tum ſub nouo fædere deſignauit, quod extruendū certis delectis ſuo ipſius arbitrio architectis commiſit, cui ſtructuræ nihil addere vel detrahere, vel in præcipua ipſius parte, nempe in ipſis doctrinæ placitis cuiquā vnquam licuit.

Primum ergo dicitur Solomon ipſe ipſum ſibi Carpentum iſtud fabricatum eſſe, nempe vt intelligamus, ſiue doctrina ipſa veritatis ſpectetur, cuius promulgādæ cauſa compactum eſt hoc Carpentū, ſiue vniuerſa eius coagmētationis & gubernationis ratio cōſideretur, oportuiſſe vt ipſemet de tota re ſuo vnius arbitrio ſtatueret, materiē eius cęderet, clauos ipſemet in eo pangeret, totum illud inſtrueret, aurigas accerſeret, eos denique aurigandi modū doceret, qua in re multipliciter eſt peccatum. Ac primum quidem ab ijs qui Carpentum iſtud compingere ſuo volūt arbitrio, alicubi ſeruata alicubi neglecta deſcriptione à Sponſo tradita. Alter autem error eorū eſt qui fatētur quod ad generalem quidem attinet iſtius Carpenti conſtructionem, intuendū eſſe exemplar quod nobis Sponſus in ſacris ſuis literis non leuiter delineatū ſed viuis ſuis coloribus expreſſum & effigiatum reliquit: ſed ipſius ita conſtructi Carpenti adminiſtrationem ad Patrū inſtituta, ſublatis, ſi qui fortè irrepſerunt, abuſibus, eſſe exigendam: vel, vt opinantur alij propter varietatem locorum, temporū, perſonarum, & aliarum huiuſcemodi circun-

cunſtantiarum, Eccleſiæ fas eſſe, vt de iſtiuſmodi rebus ſtatuat prout expedire iudicabit, dummodo ad rectum ſcopum cuncta referantur. Cuius vtriuſque ſententiæ hoc eſt fundamentum, Quòd Deus per ſe facere videatur quod eorum miniſterio facit, quos ad opus aliquod in ipſius nomine peragendum delegit, cuiuſmodi ſunt in hoc opere, Paſtores & Chriſtiani Magiſtratus. Ego verò fundamẽtum illud planè admitto: Qualis enim fuiſſet alioqui tũ populi veteris, qui ſpõſi aduentum antegreſſus eſt, tum noui aſcenſionem Domini conſequuti, & ad conſummationem vſque ſeculorum perſtaturi, conditio? deinde ſi quis ei aduerſaretur tota eum ſcriptura obrueret: Sed quæ illo fundamento conceſſo nonnulli vt conſentanea colligunt, minimè concedo. Et, vt duas iſtas quæſtiones vnã de ipſa doctrina alteram de adminiſtrationis Eccleſiaſticæ ratione ſigillatim explicem: quod ad priorem attinet ſatis conſtat veris theologis omnibus, carnem & ſanguinem (vt loquitur ipſe dominus Matth. 16. 17.) hoc eſt animalem hominem (vt loquitur Apoſtolus 1. Cor. 2. 14.) ne cogitare quidem per ſe poſſe quæ Dei ſunt id eſt verum illud ſolúmque fundamentũ doctrinæ ſalutaris, ſiue id quod abſolutè & neceſſariò requiritur, ad eorum omnium ſalutem qui per ætatem ratione vti poſſunt: cuius rei teſtem fero fidei noſtræ articulos, qui ſymbolum Apoſtolicum appellantur, quod

breue ſit & certiſſimum Apoſtolicæ totius doctrinæ compẽdium. Hinc autem efficitur oportere totam illam doctrinam ex ore Domini depromi, qui certa quadam menſura patres alloquutus Heb.1.1. tãdem vniuerſam illam æternæ ſalutis doctrinam Ioh.15 15. primùm quidem Iudæos ipſemet docuit, deinde ab illis repudiatus, & in cœlos euectus, Apoſtolorum miniſterio cunctis ſub cœlo gentibus patefecit, quas ipſemet fideliſſimè perfectiſſiméq; & quidem extra ordinem docuit: quos itidem eâdem optima fide conſtat impoſitum ſibi munus tum prædicando tum ſcribendo fuiſſe executos, vt illi merè inſaniant, qui Apoſtolos quidem omnẽ doctrinã ſalutis ore docuiſſe fatentur, at omnẽ ſcriptis comprehenſam eſſe negant: à quibus ſi petamus quænam igitur doctrinæ capita in Apoſtolorum ſcriptis deſiderentur, tum velut viſco captæ muſcæ tenentur. Nam aut nihil eorum quæ in medium adducunt ad ipſa fidei dogmata pertinet: aut demonſtrare perquàm facile eſt à quib⁹ & quãdo ſunt illa poſt Apoſtolorũ ætatẽ & recentioribus etiam ſeculis excogitata & in Eccleſiã paulatim introducta: aut deniq; tã bene illis conuenit cũ fidei Chriſtianæ articulis, quæ ſumma eſſentialis habẽda eſt doctrinæ Apoſtolicæ, quàm tenebris cum luce, & cum veritate mẽdacio. Et hoc quidem ipſi fateri recuſant. Sed præterquàm quòd res iſta tã ſæpe eſt in quæſtionem vocata & explicata (vt nobis cum Paulo

dicere

dicere liceat, si adhuc est incomperta, iis esse obscuram, vel qui de rebus istis non quærunt, vel quos princeps mundi huius excæcauit, oblata semper illis à nobis fuit & offertur hæc conditio, vt coràm legitimo Christianóque concilio de tota re disceptetur.

Idem statuo de tota Ecclesiæ administratione domestica: nempe Christum per eosdem Apostolos plenè suæ domus descripsisse formam omnem, partes omnes, functiones omnes sacras, quibus essentia omnis illius gubernationis continetur: vt nō magis fuerit liberum quicquā in iis functionibus addere, minuere, mutare, quàm in doctrina: vnico libero & mutabili in mēte ipsorum dūtaxat functionem vsu externo, propter varias ac etiam inter se repugnantes locorum, temporum, ac personarū circunstātias cuius vsus & ordinariȩ executionis perpetua norma esse nequit, quum illa inter se necessariò differant. Ita se gessit Moses fidelis seruus in Domo Dei, qui omnia exegit ad exēplar, quod viderat in monte Heb.3.2. & 8.5. in quo nihil postea mutatū est aut detractū per veros Prophetas, nisi quū eidem Deo visum est templū ȩdificare, atq; denuò omnē Ecclesiasticorū munerū rationē exactiùs & ordinatiùs distinguere: quod & ipsum tamen non nisi ore Prophetarū edocti, Dauid quidē cōstituit, Solomon autē executus est 2. Chron. 35.15. eo gubernationis statu vsq; ad Christi qui templi Dominus est, aduētum māsuro,

Nihil etiam nouare licuit neque in ipsis functionibus, neque in regendi Carpēti modo.

Heb.3 6. donec ille ſuo ſpiritu ſancto Apoſtolos introduceret in omnem veritatem Ioh.16.7: quam ipſi poſtea ſumma fide ac diligentia tum voce tum ſcriptis explicarunt, tam etiam reipſa vſurparunt Act.20.20.& 27, Ex his autem efficitur, pronuntiatum illud, Quod per miniſtros Deus facit ipſum facere videri, locum in hac re in paſtoribus vel doctoribus Eccleſiæ habere non poſſe, nempe neque in ipſius fidei inueniẽdis vllis dogmatibus, neque in ipſa domus Domini fundamentali adminiſtratione vllo modo innouanda: ne dum vt vllis Chriſtianis Magiſtratibus poteſtas hæc attribuatur. Certa huius interdicti ratio hæc eſt, quoniam Apoſtoli nihil in poſterum tempus noui in Eccleſia docendum vel conſtituendum reliquerunt, ſed Paſtoribus & Doctoribus, ſenioribus ac Diaconis præceperunt, vt muneribus ſuis ad normæ à ſe traditæ & perſcriptæ normam fungerentur.1. Cor.3.11. Nec enim, Dei gratia, Sponſi noſtri Carpentum, ſimile eſt illi Idolæo Romano nunquam abſoluendo quod ſancti Petri templum appellant. Itaque primi illi patres qui Apoſtolorum inſtitutis ac legibus, quæ ſacris literis continentur, non prorſus acquieuerunt, quicquid prætexant, & quacũque ſint occaſione commoti, feneſtram certè aperuerunt triſtiſſimæ illi confuſioni, quæ tandem Dei domum labefecit. Denique, vt vno verbo omnia complectamur, ſolus & verus hic noſter Solo-

mon,

mon, ipse sibi Carpentum istud per suos illos fidos architectos totum construxit, & quomodo ad finem vsque seculorum illud regi velit per eosdem perfectè demõstrauit: in cuius vnius volũtare nobis est acquiescendum.

Sed quînam, inquies, hæc domus adeò firma, vt portas quoque inferorum lacessat, Matt. 16. 18. confertur cum Carpento ad agitationem & locorum mutationem comparato? De hac re paulò antè quid sentiendum esset diximus, quibus hæc quoque nunc adiicio. Hic nimirum ostenditur quantopere fallantur qui Deum somniant certo cuidam loco Ecclesiam suam alligasse. Quem locum tandem esse Romam creditum est, tanta hominum cæcitate vt eandem esse cum Romana Ecclesia Catholicam Ecclesiam & Apostolicam sibi persuadentes, Apostolicum & Nicænum symbola, inserto Romanæ epitheto, falsare à paucis demum annis sint ausi: prætextu certè nõ minus ridiculo quàm si quis insanus humanũ caput & hominem vnum ac idem esse asserat: etiamsi Romanam illam Antichristianam sedem qualis iam pridem est, concederemus non Ecclesiam modò, veram etiam esse: sed omnium etiam particularium Ecclesiarum caput. Statuamus ergo vbi sponsus iste, quod ad personam eius officiúmque spectat, syncerè annũtiatur, ibi demum hunc Sponsum, hanc Sponsam, hoc Carpentum existere: ac proinde ibi non esse vbi vel suprà illum quispiam collocatur, vel

Huius carpenti regendi munus Deus nunquam vniuersaliter cuique commisit, neque certo sine exceptione loco, ne Hierosolymis quidem exceptis, assignauit.

ei collega quiſpiam adiungitur, vt ij faciunt qui precantur Mariam Virginem vt imperet filio, qui eandem Virginem, ſuum auxilium, ſuam ſpem vocant: Immò etiam qui in interceſſionis munere aliquos ei in cœlis ſubordinât, vt qui, quos vocant ſanctos, abſentes, & etiā hac vita defunctos inuocât. Quid? obiiciet aliquis. Nonne ſtatum quendam locum & quidem aſpectabilem eſſe oportet, in quem Chriſtiani perpetuò reſpiciant, & vnde ſuæ fidei normam petant? Hac de re Chriſtus diſſerens cum ſuis diſcipulis, neque Romam reſpondet, neque alium vllum certum locū deſignat, ſed vbi cadauer eſt (inquit) ibi aggregantur aquilę Luc. 17 37. Quodnam verò cadauer iſtud eſt? Chriſtus, (inquit Paulus, 1. Cor. 2. 2.) & is quidē crucifixus, extra quem ſcire nihil expeto: Chriſti quidem nomine Chriſtum ipſum intelligens: crucifixi vero epitheto, quæcunque noſtra cauſa ſubiit, vſque ad vltimum clamorē illum, quo cœlum terráque contremuerunt, Conſummatū eſt. Et hæc quidem de ipſis dogmatibus Chriſtianæ religionis, dicta ſunto. Ad cultum autem externū quod attinet, idē Chriſtus cum Samaritana colloquens, quærente an apud Samaritanos an verò Hieroſolymis Deus adorandus eſſet, reſpondet ad tempus Hieroſolymitanū templū diuinitùs fuiſſe illi ſolēni cultui delectū ſed tēpus inſtare quo neque Samariæ neque Hieroſolymis colendus eſſet Deus: ſed veri adoratores Deū eſſent adora-

doraturi ſpiritu & veritate Io.4.21.& 24.hoc eſt nulla diſtinctione loci obſeruata, ac verè ſpirituali cultu, altaribus valere iuſſis, nullóque ſacrificio adhibito, præter humiliati cordis atque contriti oblationem, Pſal.51.19. & Iuſtitiæ fructus.Pſal.50.23.Rom.12.1.& vitulos labiorum Oſ.14.3.Quid plura?Si recordemur præterita, Inueniemus Carpentum iſtud in Abrahami domo primùm verſatum fuiſſe:deinde apud Iſaacum, inde apud Iacobum, ſed cum illis hûc illuc in Ægyptum denique peruagatum. Si ad citeriora deueniamus, quadragies & bis in deſerto ſtationes mutauit Num.33.Poſteaquam verò Chananæam attigit, in qua ſibi ſedem conſtituerat Deus, ſiue hoc Carpentum aſpectabile,id eſt tabernaculum, quàm ſæpe locum mutauit?Immò tandem euerſa Silo, & arca, velut ipſius Spōſi in ſuo Carpēto ſedētis throno, à Philiſtæis capta, à ſuo tabernaculo auulſa,quum eſſet Philiſtæos vlta, nihilominus ſuo Tabernaculo redditur, in quo vigebat ordinarius cultus. Erecto demum templo ſubſiſtit quidem Hieroſolymis, vt in regni atque Sacerdotij metropoli. At quàm illic ſæpe interruptus fuit Domini cultus, ita vt primò Templum clauderetur, mox exſcinderetur, inſtauraretur poſtea, ad extremum horribiliter ab Antiocho pollueretur? Quæro igitur vbi tunc fuerit illa certa ſedes Catholica qua etiam Hieroſolymis ſtante,num ſtatuendum fuit quod iſti dictitant qui vo-

cantur Catholici Romani? nempe ſummus Pontifex qui nunc ſedet, Aaroni ſucceſſit, Ergo errare non poteſt: ergo non eſt à quoquã iudicandus: ergo credendum eſt atque faciẽdum quicquid præceperit Eccleſia Hieroſolymitana Catholica? Teſtes contrariæ ſentẽtiæ fero Prophetas omnes, qui certè talem ſyllogiſandi rationem nec docuerunt, nec probarunt: imò potiùs in Sacerdotes, templúmque adeò ipſum acerrimè ſunt inuecti, quòd eo nimiùm ſtolidè homines abuterentur: &, ne longius abeam, vbi & Chriſtus morti adiudicatus eſt, tanquam aduerſum Deum tẽplúmque blaſphemus: vbi doctrina Chriſti damnata impietatis: vbi & per quos imperatum eſt Apoſtolis vt à publicando Euangelio temperarent: vbi denique ac per quos, propter hunc ipſum ſyllogiſmum negatum, Stephanus eſt accuſatus & lapidibus obrutus? Mera igitur eſt inſania & phreneſis Sanctum aſtringere Spiritum alicui loco, qualiſcunque tandem ille ſit, vt inde norma fidei ſine examine petatur: quum veteris etiam fœderis ætate, in qua Hieroſolymitanam vrbẽ Dominus elegerat, vbi tãquam ſedem figeret, nulli magis decepti fuerint quã qui ſine exceptione Templo illi aſpectabili adhæſerunt, ſucceſſionem Aaronis perſonalẽ amplexi: quũ Ieruſalẽ nimiùm ſæpe, nõ veritatis ſedes ac domicilium, ſed eorum qui veritatem annuntiabant laniena, & nidus Baalitarum extiterit.

Quis

Quis verò ex ſcriptura alióue idoneo teſtimonio, probauerit Chriſtum in mundo aliquem ſtatuiſſe locum, aut ſedem quanpiam catholicam, vbi ſuo nomine regnaret Epiſcopus particularium omnium Eccleſiarum caput? Quod ſi hominibus fuiſſet liberum, vt eiuſmodi quempiam locum pro ſuo arbitrio eligerent, qua ratione Roma fuiſſet potius electa quàm Ieruſalem, Eccleſiarum omnium antiquiſſima, & à Prophetis vocata Dei ciuitas? ex qua exiuit in totum orbem terrarum Dei verbum? Pſ. 2, 6. & 110, 2. Eſ. 3, 3 à Petro & Apoſtolis cæteris euidentiſſimè fundata? aut quàm Antiochia vbi Chriſtiani primùm appellati? vbi etiam abſque vlla controuerſia, Paulus & Petrus docuerunt? Sed quis meritò ignorauerit, quodnam eſſe oporteat de ſede Romana iudicium, quum apertiſſimè Daniel, de illo terreſtri Deo verba faciens, nomine ſuo illum vocet, *Deum Maozzim*, quod lingua prophetæ idem eſt atque Deus Romanorum Dan. 11. 38. Conſtat enim omnibus, in lingua græca, quæ tunc erat in vſu in ea regione, vbi Roma condita primùm & dicta eſt, Romæ vocabulum illi Hebrææ voci qua vtitur propheta penitus reſpondere. Quid quòd Paulus de eo, qui ætate ipſius rerum potiebatur mentione facta, Imperatore videlicet Romano, expreſſè ait, ex illius occaſu oriturum eſſe filium perditum 2. Theſſ. 2. 7? & ſpeciatim Ioãnes in ſepticolli ciuitate ſeſſurã hãc meretricẽ pronuntiat? Apoc. 17. 9. In sũ-

Tyrannica vſurpatio, Romanæ meretricis.

ma ergo ſicuti Dominus Carpentum illud ſuum ipſemet deſignauit, nullius ad eam rem conſilio vſus: imperauit autem hominibus fideliſſimis, quos ipſe ſibi immediatè delegit, nempe Moſem & Apoſtolos, vt illud, ſecundùm ſibi præſcriptum exemplar, in terris architectarentur, ita huius extructi gubernationem declarans carpenti nomine, nulli ſe loco illũ affigere velle ſatis ſupérque docet, quod & tranſtulit, & transfert, & ad finem vſque mundi transferet, prout ipſi libuerit.

Quòd hoc Carpentum dicitur ex Cædri materia conſtructum, indicat eius inuictũ robur aduerſus omnes omnium impetus.

Reſtat vt mẽbratim ſtructuram iſtius Carpenti conſideremus quemadmodũ hîc nobis proponitur. Primùm igitur hic deſcribitur materia, ad Carpẽtũ iſtud cõpingendũ delecta, nẽpe lignum Libani, id eſt Cedrus, arbor odora, & ea vi prædita quæ ægrè corrumpi poſſit. Et hoc illud eſt quod in primi capitis vltimum verſiculum explicaui, nempe ſic oſtendi ſacroſanctam adminiſtrationem illam nec tempori quidem nedum Satanæ & hominum violentiæ cedere. Nam ſiue vniuerſitatem Eccleſiæ conſideremus, iſtius Sponſi regnum perpetuò manſurum eſt, vt filio pollicitus eſt Pater Dan. 7.14. & Luc. 1.33. & quidem ad vltimos vſque terrarum fines propagatum, Pſalm. 2.8: atque adeò thronum habens, ſupra cœlos omnes collocatum Epheſ. 4,10: ſiue vnumquodque membrum Eccleſiæ attendamus, quæ in hoc carpento ſingula cõtinentur, ne vnũ quidem illorũ perire poteſt

rest Ioh.6.39. & 18.9. Quorſum igitur infelix Satan, quorſum miſeri mortales Carpentum iſtud euertere contenditis? quî viam illi præcludere, immò etiam illud cõfringere ſtudetis? Atqui ex ligno cæleſtis Libani compactũ eſt, quod nec ætas exedit, neque vis vlla vincit. Ad mõtem impingitis, tam inſani, quàm ii quibus ſucceſſiſtis, & qui, firmo ſtabilíque monte permanente, infeliciter ſunt diſſipati. Carpentum iſtud quum ferro non cedat, veſtros gladios, hebetabit. Ignibus non abſumitur, ſed purgatur. Immerſum aquæ non mergitur, niſi mox emerſurum. Mors ipſa nullum ei detrimentum afferre poteſt. Quînam eos abſumeret terra, quos ſepulchrum, vt aurum purgant aurifices, duntaxat recoquit vt tandem immortalitate veſtiantur? 1. Cor.15.42. Quònam igitur nos recipiemus, Fratres, tantis ſæuientibus procellis? in hoc Carpentum, fratres, in hoc, inquam, vnicum Carpentum, ſub vmbram illius Optimi Maximi, Dauide nobis ſingulis pene Pſalmis præeunte.

Cæterum vbi ſponſa de Carpenti materia diſſeruit, accedit *ad columnas quas dicit eſſe argẽteas & ab eo ipſo rege Solomone erectas.* Quas autem iſtas eſſe dixerimus Colũnas niſi quos Deus conſtituit huius Carpenti præcipuas partes, quibus hoc Carpentũ fulciretur, ſicut ſuis colũnis iſtud in quo nunc ſtamus nititur? nimirum Prophetas & Apoſtolos, inſignes Architectos quorum etiam veluti manibus

Prophetæ & Apoſtoli ſunt huius carpenti columnæ, quarum tuẽdarum cura fidis Paſtoribus & Doctoribus eſt commiſſa. Et

quo sensu fundamentorum appellatio illis tribuatur.

ad huiusce carpēti constructionē in terris vsus est? quale illud nacti sunt primi illi Pastores & Doctores ab illis sapientissimè & perfectißimè exędificatū, illius diligenter tuendi & cōseruandi cura ipsis demādata 1. Cor. 12. 28. & Eph. 4. 12. Idcirco docet alibi Apostolus Ecclesiam esse fundatam super Prophetas & Apostolos Eph. 2. 20. Et quoniam Apostolis ea gratia diuinitus obtigit vt à prophetis inchoata perficerent, ideò in descriptione ciuitatis illius, quæ cœlitus descendit, dicitur murus eius habuisse fundamenta duodecim singula totidem Apostolorum nominibus inscripta Apoc. 21. 14. nempe quoniam ad hodiernum vsque diem vera Ecclesia nullum aliud obiectum habet fieri, quàm doctrinam illam à fidelibus illis Domini Apostolis promulgatam Ephes. 3. 12. Ergóne, inquies, sunt plura Ecclesiæ, & ipsius gubernationis fundamenta? Minimè profectò. Sed plures quidē fuerunt extractores, vnicum autem fundamentum. Habita igitur exædificantium ratione tot fundamenta reperientur, id est tot opera fundatorum in varias partes dispersorum, quemadmodum post reditu ex chaldæa, in instaurāda Hierosolymitana ciuitate terrestri, suo quisque loco ædificio struendo operam dedit: opus tamen integrum vnus erat murus, veteri fundamento impositus. Neh. 2. & 3. Ea est igitur vera Ecclesiæ verè catholicæ definitio, qua dicitur ea esse quam Apostoli, suo quisque in loco, ædificarunt

eadem

eadem proposita doctrina vnico fundamento innixa, vt vnica soláque Ecclesia inde cõsurgeret, nullo architecto in alterũ potestatem habente? quãuis vt à Rege legatus Nehemias omnibus moderaretur: quemadmodũ Magistratus fidelis officium est operam dare vt Dei regnum inter eos vigeat, quibus ipsum Deus regendis præfecit. Nusquam igitur extitit commentitius ille principatus Petro falsissimè adscriptus, qui suo quoque loco, vt & alij, fortissimè in idem opus incubuit: neq; aliter interpretari duodecim istos fundatores & duodecim ista fundamenta oportet: Nec etiam existimãdum Paulum, qui amplius quàm alij omnes laborauit, 1. Cor. 15. 10. vel Barnabam, in illa Iohannis visione fuisse præteritos. Tota enim Apocalypsis testatur, Iohannem & visiones plurimas & loquendi formulas ad Iudaïcam politiam accommodasse, in qua quoniam duodecim tribus recensentur, idcircò duodecim tantùm portæ, nec plures illius cœlestis ciuitatis fundatores commemorantur.

Christus est fundus huius Carpēti, ipsas etiam eius Columnas fulciens.

Atque vt hoc clarissimè appareat in hac descriptione allegorica, notandum est colũnarũ duo esse extrema, vnũ quidem infrà, suprà verò alterũ. Illarum igitur bases quidem fundo carpēti innituntur, epistilia verò camerã carpenti adhærent, ac proinde nequaquam illud operimentum propriè fulcitur, sed tantùm quatenus ipsamet fundi, cui imposita sunt firmitate sustinentur. Idcir-

co columnæ quidem argenteæ, aureus verò fundus esse dicitur: nẽpe Christus ipse, imus angularis ille Lapis 1.Cor.3.11.&Esa.28.16.totam structuræ molem sua vi sola sustinens, eaque de caussa cum pretiosissimo& firmissimo metallo collatus. Neque argenteis istis columnis necessitate quapiam vtens, sed quòd ita ipsi libeat, ipsemet propriè & columnas ipsas, & vniuersum Carpentum suffulciens, coagmentationẽ videlicet sanctorum ea vi quam in suorum corda insinuat, Eph.4.11.& 12. legatorum suorum etiam scriptis quæ illis suo spiritu dictauit adhibitis,& insigni cum efficacia promulgatis, quocunque Carpẽtum istud illi ducere libuit, incõcusso tamen semper illo axiomate, Qui plantat & qui rigat (hæ sunt autem illæ columnę argenteæ)nihil sunt, nisi quod ad plantationem & rigationem exteriùs adhibitã, omnia verò illi tribuẽda qui solus facit vt adolescat planta, nempè aureus ille fundus 1.Cor.3.7.

Operimentũ purpureum huius Carpenti, designat cœlestẽ illam Dei potentiam qua suam Ecclesiam protegit, & cœlitus conseruat.

Operimentum autem istius Carpenti (inquit Sponsa) *ex purpura fecit Rex ille Solomon,* quibus verbis docemur qua ratione & potentia Deus cœlo suo& throno cęruleo suos illos protegat, alioqui iniuriis & tempestatibus omnibus expositos. Hæc autẽ doctrina nobis penitus necessaria sæpissimè in sacris literis inculcatur, vt quum dicitur is demum in tuto esse qui habitat in latebra Domini, & Ps.34.16. Oculi Domini(inquit Propheta) intenti sunt in iustos & aures illius ad ipsorũ clamo-

clamorē arrectæ, & Ps.121.4. Ecce nō dormitat neq; dormit custos Israelis, interdiu Sol nō feriet te nec Luna noctu: quod visibili modo experti sunt Israelitæ in ardēti deserto interdiu à nube tecti, noctu verò ignis præeunte colūna per auia deducti: & Psal.125.1. Qui confidunt Iehouæ, similes sunt monti Sionis immoto, & in seculum permanent. Denique tota scriptura huiusmodi sententiis abundat: docente nos præterea perpetua rerum experientia, nullos sępe tutiores fuisse quàm qui iam periisse videbātur. Sed operimentū illud solis fidei oculis conspicitur, vt dicitur Moses Deum inuisibilē quasi aspectabilē contēplatus: quū ab Ægyptiis ad suos Israelitas trāsiuit Heb.11.27. Cœli tamē isti visibiles & quasi visibile huius regis Carpentū, in quo residet, magno ad illum ipsum in iis intuendum adiumēto nobis esse potuerūt, quorū firmitas & cōstantes illi motus inenarrabiles, impressum habent testimonium infinitæ illius potestatis & certissimæ in ipso securitatis, de qua disserit Propheta. Psal.19.1. & 119.89.

Sed (proh dolor!) hæc est nostra iustissima condemnatio, quòd ex nobis quàm plurimi, qui tamen Ecclesia ex Verbo Dei reformata censeri volumus, & quasi in hoc Carpentum recepti vt mox recta in cœlum pergamus, has columnas, hūc fundum, hoc operimentum vix quidquam esse credimus. Etenim si certissimum est doctrinam, cui nobis annūtiandæ Dominus pro infinita benignitate *Reprehensio eorum qui, aliò quam ad hoc Carpentum refugiunt.*

ſua nos elegit, verum & ſolum obiectum eſſe fidei, cur nobis fides nó habetur, ſiue doceamus, ſiue conſolemur, ſiue redarguamus? Quod ſi fides nobis habetur, cur igitur ſibi tam multi peculiare Carpentum, priuatas columnas, & noua operimenta comminiſcitur. Quînam verò iſtud inquietis? Nam iſtud demum facere idololatræ & ſuperſtitioſi ſolent. Quid? annon idololatrarum nomine cenſemini, Vos auari, quibus nihil niſi lucrum placet? Hic ego vos appello mercatores, qui tam aſtutè noſtis ex aureorum æſtimatione modo augeſcente, modo decreſcente, tantũ quæſtum maximo cum proximi detrimẽto facere: qui vberiore cũ lucro merces credere quàm præſente pecunia diuendere, miris quibuſdam artibus mauultis. Vos etiam hîc alloquor fœneratores, Vos immanes lupos canos & inueteratos, (eos quòd ad canitiem excipio qui ab ipſa iuuentute hanc artem facere incipitis) qui officij ſimulatione diuitias execrabiles ex aliorũ inopia captatis. Infelix hominũ genus, quamdiu locum in hoc Carpento nobiſcũ ocupantes, & nos & vos ipſos horrendæ ſubuerſionis periculo obiicietis? In ſumma, quot inter nos extant fraudes atque verſutiæ, quantumlibet in cathedra verbum Dei perſonet, & iſta publicæ vetent leges, apertè conuincunt non magis adhuc credi huius Carpẽti fundum, vel operimentum, quàm ſi nunquam de illis quicquam auditum eſſet. Quid verò dicã de perditis

ditis illis, qui vltro siue præpostero metu vera ejurata pietate, sensim tandem ita obduruerunt, vt ipsi sibi oculos effoderint & aliis excæcādis operam Satanæ locent. Recordemur hîc, quæso, Fratres, aduersus hæc offendicula, parabolæ de reti tum bona tum mala colligente Matth. 13. 47. & (quòd etiam ad Carpētum istud nostrum spectat) illius conuiuæ ad mensam accedere ausi absque veste nuptiis accommodata. Offendicula certè ista magna sunt, sed sic oportet fieri, væ autem illis quorum culpa eueniunt, inquit is qui in huius Carpenti solio residet Matt. 18. Quinetiam necessariò exoriuntur hæreses vt qui probi sunt manifesti fiant 1. Cor. 11. 19. Dei verò (Fratres) immensam bonitatem imploremus, ne in isto mundo censeamur: sed vt Ecclesiam in terris positam considerantes, huius Carpenti aureo fundo, vt nostræ Spei fulcro, cōstanter insistamus, siue sursum mētibus toti feramur, & anchoram illam in illum thronum celestem defigamus, cui Dominus idem, verùm alio respectu cōsideratus, insidet: quatenus nimirum nos in terra custodit, vt ad se in cœlum euchat: conseruās in cœlis, quos iam iam in terris possidet, vt ad exiguum tempus peregrinantes.

Superest interior carpenti ornatus, quod Spōsa inquit, *stratum esse amore, propter puellas Hierosolymitanas.* hoc est, depictis rebus gestis, aut cœlatis potiùs in sacræ scripturæ libris, quæ infinitum testantur amorem, quo *Testimonia dilectionis Christi erga suam Ecclesiam in sacris literis*

descripta, sunt tabellæ quibus hoc Carpentum intus exornatum conspicitur.

verus ille Solomon suam illam Ierusalem prosequutus est. Hæc autem allegoria inde desumpta est quòd iam olim vsitatum illustribus viris, vt tapetibus, & tum pictis tum cœlatis rerum insignium gestarum imaginibus, non tãtum domos, verum etiam porticus, currus, lecticas, atque adeo sepulchra quoque sua exornarent, expressis præsertim eorum quos charissimos habuerant vultibus. Hunc in modum in Euangelio nobis Carpentum istud spirituale nostri Solomonis hierosolymorum amici pingitur, tum quoque amicissimis simul & ingratitissimis incolis illachrymantis quum eò ingrederetur crucifigendus. Luc.19. 41. Ecquis autem possit hinc quidem tantam huius Sponsi bonitatem ac misericordiam, inde verò tantam istorum hominum ingratitudinem & contumaciam mente complecti? Deum itaque precemur vt mentes nostras quodammodo dilatet, quibus & hæc, & illa vtcunque saltem capere possimus: & nobis concedat, vt illas quidem venerati, istas vero abominati, idonei reddamur illis cognoscendis & considerandis imaginibus, sacris nimirum historiis, quæ totidem sunt testimonia infinitę ac incomprehẽsibilis eius misericordiæ qua suam Ierusalem complexus est, Eph. 3. 19. & 5. 25, sanctorum nempe coagmentationem, quæ cum terrestri quidem Ierusalem extitit, sed neque cum ea cœpit, neque cum ea desijt: testimonia, inquam, in hoc

hoc Carpento impressa quò nos ipse Sponsus euehit & collocat, vt illa vndique, Dauidem imitati, collustremus Psal.27.4. quemadmodum in Ierusalem terrestri istud mysterium pretiosissimis parietum incrustationibus & ornatu reliquo adũbrabatur: cui Sponso & seruatori nostro omnis honor & gloria in secula seculorum tribuatur. Amen. Domine Deus, &c.

* *
*



IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA VICESIMAOCTAVA.

Auxilium nostrum sit à Domino,&c.

Quod sequitur extat in Cap.3. vers.9.10.

9 Rhedam sibi fecit Rex Solomon ex lignis Libani.

10 Columnas eius fecit ex argento &c.

Huius Rhedæ successiones non impediunt eorũ requiem qui in ea versantur, nihilq; est quod cum fœlici eorum conditione comparandum sit.

COpiosiùs anteà disseruimus de iis quæ tota hac contextus serie continentur, in qua nobis tantum doctrinæ & consolationis argumẽtum suppeditatur, vt, quò accuratiùs expenditur, hoc etiam vberior sese nobis eius fructus offerat, vt non abs re hic liber Cantici Canticorum nomine inscribatur. Itaque ad illa quæ superiore concione diximus istud iam adiungo, non temerè à Domino mentionem fieri Rhedæ seu Carpenti vel lecticæ duabus potissimum rebus vtilis: quieti nimirum & itineri faciendo. Quantũuis enim huius seculi homines, nostram omnium maximè incertam esse conditionem putent, vtqui perpetuo motu agitemur,&, vt ait Apostolus, velut errones nusquam subsistere videamur 1. Corint.4 11: rheda tamen aurea, argenteis subnixa columnis, ostro & purpura instrata, variisque pulcherrimis imaginibus depicta & cælata vehimur, quæ nec

neç effundi, nec, quantiſcunque illi domi foríſque obicibus obiectis, vel minimum temporis momentum retardari poſſit, tametſi nō paria ſemper itinera conficiat: cuius rei documento eſt Domini illa vox (Beati eritis quum conuitiati fuerint vobis & vos perſequuti fuerint, & dixerint quiduis mali aduerſus vos mentientes, mea cauſa Matt.5,11.) Quando enim ſuccutimur & exagitamur, niſi eo demum tempore de quo Chriſtus illic loquitur? Interea tamen in rheda ſic collocati ſumus, vt iſtæ ſuccuſſiones, quæ ex eorum opinione qui extra rhedam ſunt, exitium nobis vidētur minari, nos intrinſecus quibuſdam veluti oblectationum feſtiuis choreis recreent & reficiant: nempe vt grauiùs vrantur ij qui noſtro exitio, extra cuius tamen periculum ſumus, delectantur: quíque ipſi tandem cum ſuis ſannis in eam ipſam quam nobis pararunt ſcrobem incidunt, vt videmus iis Prophetam ſanctis iocis illudere Pſ. 9.7. Apoſtolo quoque iſtos omnes & ſuperos & inferos aggreſſores prouocare non dubitante, Rom. 8. 37: qui certè non inſaniebat quum diceret, idémque nobis ſuo exemplo ſuggereret, nuſquam ſibi lætandi vel ſeſe iactandi præberi maius argumentum quàm in cruce Ieſu Chriſti, qua inquit, mundo ſum crucifixus Gal. 6. 14. Hæc igitur eſt rheda in qua vera quies vlteriùs progredientibus repoſita eſt, non tamen vt ab omni agitatione immunes placide in ea

requiescamus, Abripitur enim & circumagitur hæc rheda per infinita montium & totius orbis præcipitia. Illi, inquit Dominus, qui sunt in domibus regum, versantur in palatiis regum Matth. 11. 8. Agedum igitur (Fratres) ferantur isti placidè ad tartara, splendidè ornati & molliter iacentes nisi fortassis aliam aliquando viam ingrediantur. Nos autem hac rheda in cœlos, cum quibuscunque quassationibus Domino visum fuerit, recto cursu rapi sinamus, dummodo duce & auspice nostro duce & imperatore ad metam tandem perueniamus. Rom. 8. 17. Heb. 10. 20.

Copiosa descriptio ingẽtium laborũ quos Clerus Romanus sanctæ Ecclesiæ suæ matris causa sustinuit.

Præcipui tamẽ (fateor) eorum de quorum otio & securitate mentionem hîc facio, angustæ viæ semitam sequi sese contrà dictitãt: vt qui duro vitæ genere sese exerceant, quum nos carnis libertati indulgeamus. Nam à coniugio (inquiunt) abstinemus, à quo vobis non temperatis. Quam autem verè isti suam illã tẽperantiã iactitent, testantur tot meretrices, tot prostibula, Sodoma denique & Gomorrha instauratæ quibus cœlum & solum inficitur. At enim (inquiunt) ne nobis quidem illa probantur quę nobiscũ omnino dãnãda iudicamus. Doceãt ergo quibus modis ista scelera vindicent quũ penes eos sit vterque gladius vt loquuntur: siue Ecclesiasticis censuris ex certo illo. S. Spiritus præscripto per os S. Pauli loquentis 1. Cor. 5. 9. aut saltem ex Canonum veterum ratione, vtcun-

cunque tum ius diuinum prout ipsis libuit relaxent (quod nullo modo tolerari debuit) siue ciuilibus legibus, quales prophanorum etiam gentium in eiusmodi flagitia constitutæ sunt, siquidem ipsi omnium secularium dominationum ius sibi arrogant. Cúmque eorũ caput suã iactet in Cęsarem & reges potestatem, cur non ea ipsa vtitur in eos qui tam male greges sibi commissos pascunt? nẽpe quòd satis norit fore vt hoc à suis respõsum ferret, Cura te ipsum, medice. Initium facito à te ipso, à tuo Clero, à tua Sodoma. Ieiunium igitur isti celebrant, &, certo anni tempore, à carnis esu abstinent. Quid verò nos? Quadragesimam planè sustulimus: promiscuè carnibus & piscibus, aut vtroque simul vescimur. Testes ieiuniorum & magnorum illorum laborum quos sustinent Ecclesiæ causa, testes, inquam, appellamus eorum vultus, ventres, promos condos, pincernas, coquos & sexcentas lagenarũ myriadas. Matutinas preces canũt, missas celebrãt paruas & magnas: primas preces repetunt, tertias, sextas, nonas, vespertinas, cõpletorias quas vocãt. Quid vero nos? in verbi prædicatione tãtũ versamur. Fatemur id quidẽ, totãque muneris eorum rationem in cantibus, & circulationibus positam esse concedimus. Quantum autem onus bonum illum Sanctissimum patrem sustinere putamus, quum baiulorum humeris circumfertur, quum toties pedem tollit vt exosculandam crepidã præ-

bet, quum tot aureorum nummorũ myriadas numerat, prætérquàm quòd paterna vel potius perpetua cura afficitur deprædandorum corporum & animarum, cuiuscunque sortis & conditionis hominum, tam miserè à suis emissarijs fascinatorum. Nempe hæ sunt certæ & præclaræ veræ illius Catholicæ Ecclesiæ notæ, quæ perpetuas mundi inimicitias iurauit Iac. 4. 4. quum cernũtur domini illi Reuerendissimi, longa illa suarum togarũ syrmata trahentes caudatorũ quos vocãt subleuati: rheda vecti cũ suis meretricib⁹, vt vel sua impudentia Solẽ pudore suffundãt; En tamen sedis illius œcumenicæ seminariũ. Quid verò de ijs dicam qui galerifico illi eiúsque galeris perpetuò inhiant? quid de bonis illis titulo tenus Episcopis, Abbatibus, Prioribus, quos vel meritò omnes à Sathana irrideri verisimile est, etiamsi illum summo studio colant: exceptis tamen ijs qui palàm & verbis & horrendo illo suo luxu, se nec Deum nec Sathanam morari ostendunt. Eò enim deuentum est. Quod autem attinet ad sanctissimos illos viros qui tum sese tum alios tot meritis onerant: Eheu! quàm incommodè in suis illis & plusquàm regijs palatijs habitant! quanta inedia conficiuntur, omnibus illis certatim dona conferentibus, ipsis vicissim obstructũ os ad petendũ nunquã habentibus, nec chiragra laborãtibus vt quidpiam recusent, Eheu! quantum algent in cameris illis suis Dominicanis, quàm tenui &

exiguo

exiguo vestitu ornati, in quo nec hyeme nec æstate quidquam desideres. Præclaram verò pœnitentialẽ disciplinã quæ in cingulo circumfertur! O insignem illam falsi Iesu societatem! quæ gratuita charitate, triginta annorũ spatio, plures opes & diuitias, quàm per totos quingentos annos reliqui omnes monachi, sibi comparauit.

Siquis hîc verò nobis obiiciat veros tamẽ aliquos esse religiosos qui corpus suũ quotidie macerent duram vitam agentes, quinetiam flagris sese confodiant: etiamsi hoc illis dederimus & longè plura alia quàm quibus se venditãt: vix dum tamen ad Baaliticos Sacerdotes vsque accesserint, suos ipsorum artus nouaculis incidentes, postquam à primo diluculo ad meridiem vsque multis cœlum clamoribus oppleuissent, quos aperto ore irridet Elias, 1.Reg. 15. 27: nec dum etiam cum varij generis religiosis Mahumetanis comparandi fuerint. Ac sanè si, (quod vulgus imperitum sibi persuadet) durum vitæ genus, veræ illius religionis & sanctimonię foret essentialis nota, Ioannes Baptista Iesu Christo anteponendus esset Matth.3. 16 19. Nec tamen istud à nobis dicitur, quasi temperantiam in victu aut aliquod eiusmodi carnis aduersus Spiritum contumacis domandæ exercitium vituperemus. Nam è contrario temperatissimam vitæ rationem ab omnibus Christianis exigimus, & vltrò fatemur à multis nostrorũ in altero extremo peccari

Qualia sint superstitiosorum merita.

quaſi ſuperſtitioſo dierum & ciborum diſcrimine ſublato, prohibita forent omnia ieiunia vt precibus attentiùs & ardentiùs incumbamus, aut quaſi iuberemur ſingulis diebus carnibus & piſcibus veſci. Dicimus igitur eum qui moderatè equum ſuum alat, eíque pabulum vbi opus eſt ſubtrahat, ne ſi obæſior fuerit in Dominum quem geſtare debeat, calcitret, longé differre ab illo qui eundem inutilẽ reddat nimiùm tenuj ſubminiſtrato pabulo, ita vt vires eius proſtratæ iaceant, nec pedem mouere poſſit, ſiquando illum conſcendere voluerit dominus. Addimus præterea periniquum eſſe & non ferẽdum, vt iſtorum exercitiorum certæ & communes quædam regulæ ſtatuantur, quod nec verbo Dei conſtitutum vnquam fuit, nec in Eccleſia Chriſtiana factitatum, quamdiu pura extitit: quum etiam ſub iugo Legis vnicus dies Ieiunij in ſingulos annos generaliter inſtitutus fuerit. Huc etiam accedit quòd quum optima quæque & præſtantiſſima S. Spiritus in ſanctiſsimis etiam quibuſvis opera, minimè cenſeri poſſint peccatorum noſtrorum apud Deum expiationes: neque ſoluendis apud Deum peccatis quidquam à nobis proficiſcens par eſſe poſſit: execrandus ſit error neceſſe eſt, regni Dei conſequendi viam in cibis, vel eorum abſtinentia, in matrimonio vel cœlibatu, in carnium vel piſcium eſu poſitam eſſe putare. Sed fateor me fruſtrà de iſtis rebus diſputare aduerſus eos, de quorum

quorum luxu & ingluuie cœlum & terra vindictam à Domino reposcũt. Liceat igitur illis per me (nisi meliora suadentes audire volunt) illa sua rheda vectis, cito gradu & contento cursu in eum in quem destinati sunt locum deferri. Obiter tantùm illos relego ad id quod ab omnibus Prophetis aduersus hypocritas & suorum temporum traditionum inuentores scriptum est: nec non etiam ad illa quæ tot locis passim apud Euangelistas Dominus de istorum hominum genere disserit: maximè verò ad Paulum Rom. 14. 17. præsertim ibi de iis ipsis agentẽ quæ ex mãdato Dei ad tempus tantùm prohibita fuerant, Mosem nolens sepultum fuisse vt traditionibus humanis aditus aperiretur, Coloss. 2. 23. & 1. Tim. 4. 3. & 8.

Rheda agitur Spiritu & arcano prouidentiæ Dei motu citra vllum rotarum aut frænorũ adminiculum, manente nihilominus sancto ministerio in Ecclesia constituto.

Redeamus iam ad rhedam illam Sponsi excipiendæ Sponsæ conparatam. Mirum igitur fortasse cuipiam videri possit, cur hîc nulla rotarum huius rhedæ mentio facta sit, quæ tamen penitus & in primis ad illam regendã requiruntur. Est autem perspicua eius rei ratio, nempe quòd hæc rheda nulla arte humana propriè mouetur, sed sola eius virtute qui rhedam, vt est ab eo constructa, sic peculiari quadam & diuina prorsus ratione regit. Sic minimè tamen excluditur vel Angelorum ministerium, quod cœlesti illo curru quem Ezechiel cum suis rotis vidit, nobis repræsentatur, Ezech. 15. vel hominũ opera, quum antea Sponsa comparata fuerit Pharaonis

quemadmodum etiã Eliseus aiebat quũ videret Eliam sublimem rapi in cœlum, Pater Pater, currus Israel & eius exercitus, 2. Reg. 2. 11. Imò ne causarum quidem naturalium ordo sic excluditur, quarum mentio fit Exod. 10.13. & 14.21. & Psal 18. 11. sed ita significatur secundarias omnes causas, præsertim quum agitur de iis quæ ad regnum Dei pertinent sic ad hoc opus adhiberi, vt Deus totam & integram illarum operis laudem sibi vendicet, prout de suo quoque ministerio loquens Apostolus, inquit, Eum qui plantat, & qui rigat nihil esse (nempe quod ad intrinsecam vim attinet) sed esse omnia à Deo qui dat incrementum. 1. Cor. 3. 7. Tãtum igitur abest vt mortalium quispiam, aut cœlestium Angelorũ aliquis, huius rhedæ spiritualis cursum dirigere possit, vt cõtrà oporteat eos ipsos in hac rheda impelli vnius illius prouidẽtię motu à quo constructa per auios montes & valles omnibus inaccessas fertur. Intereà verò S. ministerium in huius rhedę descriptione minimè omissum fuit, quod argenteis illis columnis expressum & representatum fuit, vt est à nobis superiore hebdomade declaratũ.

Descriptio illustrißimarũ, quarunque historiarũ iam inde à prima mundi origine vsque

Nec leuiter prætereundum est quod interiores huius rhedæ partes splendidè exornatæ & insculptæ sunt, ad fidem maiorem faciẽdam dilectionum huius Sponsi erga puellas Hierosolymitanas. Quid verò aliud totũ istud est quàm quod in sacris libris, tam multiplicibus historiis, quasi picturis, non aliquo

liquo artificio humano factis, sed narrationibus à Sancto Spiritu dictatis continetur? Ingrediamur ergo, Fratres, (obsecro) in hanc rhedam; & videamus an quidpiam vel in cœlis vel in terra cum istis picturis & sculpturis sit conferendum. Primùm igitur hic spectamus magnum illum opificē omnia ex nihilo facientem, apud quem omnia ad eius verbi sonum se sistunt: tum verò inter cętera, præstantissimum illud omnium opus, hominem videlicet ad ipsius quasi diuinitatis exemplar effictum: Genes. 1.26. Deinde intuemur magnum illum conditorem in eius persona, qui sese postea nostrum redemptorē constituit, ad duos illos humani generis perditos parentes accurrentem, subitóque lethali vulneri admouentem immortalitatis remedium, longè præstantioris illa, qua illi totam suam sobolem spoliarūt Gen 3. 1. Huc accedit & arcus Domini in cœlis insculpens ipsius conditoris patientiam, etiamnum hodie perdurantem, Gen. 8. & 13. aduersus omnē omnium contumaciam, ab vniuersali cataclysmo ad quatuor ferè annorum millia propagatā. Penitiùs etiam intuētibus, quāta cum voluptate se offerūt variis errorū tempestatibus acti Abraham, Isaac, Iacob eorúmque soboles totos quadringētos annos inter gentes prophanas summa ingratitudine & deplorato furore perditas versans, aucta & propagata ad sexcenta hominū millia præter fœminas & pueros? Occurrit pòst ea indo-

ad Solomonis tēpora, quibus hæc rheda cælata & variè exornata est.

mitum illud Pharaonis pectus, huius rhedæ cursum remorari conantis, oppugnatum ac tandem expugnatum à ranis, muscis, pediculis ad solam virgæ vnius seruorũ magni illius regis quassationẽ excitatis. En postea rhedã hanc nostrã infinita pænè multitudine hominum ima gurgitis vada trãseuntium, quibus gurgitibus insequẽtes illã hostes omnes absorbentur, oneratã & ornatã. Ecce manna cœlitus demissa: En vnico virgæ ictu durissimas cautes fissas: En inde promanãtes aquas quæ totos circiter quadranginta annos ingẽti illi multitudini & patribus potum suppeditarent: En deinceps rhedam ad Iordani fluenta, prostratis & conculcatis duobus potentissimis regibus, appulsam, & ipsi cedẽtes aquas traiicientem: En ad eius conspectum colliquescentia Iericunthis mœnia: En triginta reges Cananæos ab eadem stratos, oppressos, cõtusos: En victorem populum isto triumphali curru vectum, in promissam hæreditatem introductum: En eundem ob sua peccata sic castigatum vt sibi tãdem tot miranda trophœa statuerit quot insultus hæc rhæda sustinuit: validissimos hostes modò vitreis lagenis obruens. Iud. 7. modò bubulci virga prosternens Iud. 3 31. vtcunq; rhedæ gubernator captiuã ad tempus scieuerit abduci arcã suã, cui veluti insidebat in huius rhedæ moderatione. At quorsum id? nẽpe vt Dagonis idolum cõtrito comminueret. 1. Sam. 5. 6. suos hostes à tergo feriret, & iisdem ad eam

quò

quò libitum esset agendam veluti ad temonem iunctis iugalibus & ictibus flagelli impulsis vteretur. Luctuosissima quidem postea & tristissima quædam sequuntur, sed stante nihilominus rheda, & quibusdam tantùm exonerata, qui temerè sese in eam coniicientes indignos se præbuerant qui diutiùs in ea cõmorarentur. In iis est miserrimus ille Saul postquam se tandem præcipuarũ huius rhedæ columnarum sanguine cruentasset. 1. Sam. 1. 22. Sequuto mox tempore effusa planè aut omnino retardata videri poterat hæc rheda, quum ecce Deus excitato fido rhedario, Dauide nempe magno illo Propheta & rege qui eius quodammodo vices gereret, mox huic incommodo prospicit. Dauid enim adiectis Imperio suo Hierosolymis, sede tam Deo grata & accepta vt eam suę ciuitatis, domus, & quietis nomine ornarit, omni huius rhedæ velut ab integro instauratæ apparatu composito, sibi successorem architectũ designauit filium suũ Salomonẽ: Hoc verò curante excellentissimum illud opus ad exitum perducitur, tanta cum sapientia, industria, pompa denique, quanta nulla vnquam similis inter huius seculi Reges apparuit: quam etiam ob causam æterni illius Salomonis, Regis pacis & Domini & Filij æterni Dauidis fuit hic Solomon. Et hæ quidem sunt tabulæ & cælaturæ interioris huius rhedæ, quas hic commemorat Sponsa.

Quod si vltra Solomonis tẽpora progre- *Vt rheda*

hæc semper victrix & triumphans tempestates omnes vsque ad veri in terras Solomonis aduentum superarit.

di velimus, quemadmodum S. Spiritus propheticè nobis huius Sponsi dilectionis testimonia vsque ad ipsius in carnem aduentum, immò etiam vsque ad mundi consummationem patefecit: quò propiùs ad nos hîc Spõsus accessit, eò euidentiùs propensus ipsius erga suam Ierusalem quamlibet ingratam & deprauatam, amor sese exeruit. Aliquis igitur existimare possit, Rhedam istam grauiter labefactatã fuisse quũ ex duodecim tribubus, decem ex hac rheda sub Roboamo deturbatæ sunt. Sed longè secus se res habet. Quemadmodum enim si ex duodecim vnius familiæ liberis, decem manifestæ proditionis in matrẽ cõuicti exhæredẽtur nullo incõmodo affecta fuerit familia, quin subleuata & à spuria sobole repurgata potiùs censebitur: ita Dominus miseros istos & profligatos homines ex sua rheda expulit. Quod verò ad reliquos in rheda seruatos attinet, siquãdo Rex denuò in familiam suã inquisiuit, quid aliud cõsecutã est quàm quod in horreis vsuuenit, nempe vt tanto purius sit triticum quãto accuratiùs ventilatur & excernitur. Videri tamẽ possit hæc rheda, quum pessime omnium ab ijs quibus ea cura à Rege commissa fuisset dirigeretur, non modò effusa, sed & in sexcenta frustula discerpta, atque adeò versa in cineres, postquam multis tempestatibus præsertim sub Iosaphato & Ezechia restitisset. Verùm si rem totam diligentiùs attendamus, cõtrarium planè comperietur. Tantum enim abest vt qui hac in parte superiores fuisse vi-

deri possunt, victorias illas suas iactare possint, vt contrà Rex ipse suos hostes impulerit, egerit, & ad hoc opus patrandum admouerit: nequaquã certè vt rhedam suam euerteret, sed vt eam primùm infinita illa obscœnorum & prophanorum hominum multitudine exoneraret, deinde vt dissolueret, ac tertiò & postremò quoniam longum iter ipsi emetiendum erat, nempe Babylonem vsque, tot flumina traijcienda, tot viarum molestiæ & difficultates superandæ: volens etiam populum suum ex nimio otio & desidia torpẽtem expergefacere, tum Chaldęam vsque peditem illum deduxit, tum Chaldæis vtens veluti clitellarijs iumentis suam suppellectilem auream & argenteam eò deferri curauit, quam apud illos tanquam sequestros ad tempus deponeret. Rhedam verò suã quam videbat ita conspurcatam & labefactatam, non modò dissolui & disiungi voluit vt dixi, sed etiam confringi & comminui: ea tamen lege & conditione vt non inutilia essent eius fragmenta. Itaque suo tempore illam postea restituit, ídque adhibita suorum alioquin hostium & qui euersoribus illius successerant opera. Quod siquis hîc seruitutem obijciat, Accipio id quidem: nam hoc sanè promerebatur. Sed addo, in illa quoque captiuitate populum quamlibet captiuum Babyloni in Danielis persona pręfuisse. Hinc edicta illa regia de Danielis Deo adorando, Hinc tyrannus inter feras relegatus: Babylon

denique ipsamet captiua, & populus Dei, magnis cum priuilegijs & sacrorum vasorum restitutione instauratus. Quid postea? Annon ille est Rex qui regum Syriæ & Aegypti vires confregit, tametsi nonnunquam illis in suam vsque domum aditum patefecit vt eos interciperet?

Quomodo Rex iste suo in terram aduentu, illustriori longè quàm anteà conditione Rhedam istam erexerit, eámque incredibili celeritate ab Oriente in Occidentem traduxerit, euerso tandẽ imperio Romano eius cursum obstinato quãlibet animo impediente.

Quod si vlteriùs etiam progredimur, verè hîc demũ ille Regis erga suam veram Ierusalem propẽsissimus amor elucet, quũ superiora omnia fuerint duntaxat quædam sponsaliorum arræ. Tum enim instructa fuit ista rheda, quæ incredibili celeritate ab Oriente in Occidentem, & à Septentrione in Meridiẽ transiit: illo oris Domini vehementissimo flatu impulsa: qui die Pẽtecostes duabus velocissimæ efficaciæ rebus repræsentatus est, vehementi nempe & rapido vento, necnon etiam igne similitudinem linguarum referẽte. Nam hoc illud est in quo tum potentia tũ integra & syncera Regis huius rhedæ dilectio, verè cardinalium quatuor ventorum alijs inuectæ, sese potissimum, prostrato illo ingenti Romanæ monarchiæ cadauere, demonstrauit: nunc etiã eundem ventũ spirare iubentis ad illius Bestiæ, ad postrati imperij exemplar effictæ, & in Templo Dei super eosdem septem colles insidentis exitium: ad quæ sigillatim excutienda non vnica concione, sed pluribus hominum ætatibus esset nobis opus.

Applicatio

Hoc tantum addam: alteram istam rhedam

dam, non in ſeſe quidem nouam, ſed ſpiritualem, quatenus illam prior illius rudior forma repræſentabat, poſtquam in peſſimos rectores aliquot ante ſecula incidit, noſtris rurſus temporibus inſtrui & inſtaurari cepiſſe, maxima orbis terrarum parte iam traiecta, quam etiamnum hodie peragrat, non quidem ſine multis ſuccuſſionibus & offenſionibns, ſed in quibus tamen is qui in cœlis eſt & ab eius rotis nunquam recedit, ita moderatur, vt, quæ eſt eius immenſa benignitas, potentiſſimos etiam quoſuis curſum eius remorari conatos proſtratos calcauerit. Quod ſi qui quaſſationum illarum vi & impetu è rheda ſunt excuſſi, certè nō in terra iacuerunt ſed ſurſum auolarunt, quò videlicet hæc Rheda omnes vectores ſuos deducit, ſolis tantum ipſorum ſpoliis deorſum relictis, partim vt quoſdam perpetuò coarguāt, partim vt aliis ſequuturis certæ & inuictæ conſtantiæ exemplum ſuppeditent. Itaque, Fratres, quū in nos Dominus hac ſingulari beneficentia ſit vſus à multis iā annis, vt ſuam hanc rhedā in has regiones conuerterit, in quam nos compelleret quaſi ex pleriſque orbis terrarum partibus coactos, agedū ita nos ab illo regi in illa patiamur, ne vnquā ab ea extrudamur: ſed Dauidis potiùs exemplo Pſ. 23. 6. & 27. 4. à Deo petamus vt toto vitæ curriculo apud eum conſiſtamus, ipſo videlicet pro ſua bonitate, ad extremū illum vſque diem, nos gubernāte, quo ſubli-

iſtius dilectionis ac potentiæ Dei ad id quod noſtris temporibus inſtaurauit, ſolutæ iam ferè ab improbis rhedariis ſuæ rhedæ, equis denuò adiunctis.

mes in cœlos cum eo in æternum regnaturi rapiamur, 1. Tess. 4.27. Amen. Deus omnipotens &c.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA VICESIMANONA.

Auxilium nostrum sit à Domino, &c.

Quod sequitur extat in Cap. 3 vers. 11.

11 Egredimini, & intuemini puellæ Tzionis, in hunc regem Solomonem, coronatum corona qua coronauit eum mater eius, die desponsationis eius, & die lætitiæ cordis ipsius.

Cognitio veri Iesu Christi, & veræ Ecclesiæ requiritur ad salutem, & altera alteram docere nos debet.

QVæ de materia, constructione, ornatúque didicimus Carpenti Regij, satis supérque nobis spectandā proponūt eius exellentiam: fatendum est nihilominus quæ intra illud continentur esse longe pulchriora: nempe Regem illum, primum, deinde Reginam: quorum magnificentia, regis quidem, reginæ verbis: reginæ autem, regis oratione, alterius de altero videlicet locupletissimi testis, nobis hic depingitur. Est autem nobis hęc doctrina eo magis necessaria, quòd quum æternę vitę doctrina in eo potissimum sita sit vt Patrem cognoscamus in Filio quē nobis dedit Io. 17.3, Satā cōtra totus est in eo

vt

vt nobis Chistos fictitios Math.24 5.& falsas Ecclesias obtrudat. Deinde quamplurimi semper extitêre quibus neque Christus, neque Ecclesia sunt in pretio, vt oportuit, vtpote quorum dignitatem & præstantiam ignorantes homines, nimirum vana specie ipsorum oculos perstringente, multipliciter decepti fuerũt.1.Cor.7.31. Nã certè tũ rex iste tum regina, si carnis oculis spectentur, tam apparẽt deformes, vt vel illorum aspectum plerique refugiant, vel si qui forte ad illos accesserint, diutiùs apud illos versari non sustineant, Esa.53.2 & 1.Cor.4 9: quorum propterea propheta Psal. 45 14. pulchritudinem interiorem esse merito prædicat: quæ res diligentẽ & accuratam explicationem requirit.

Vna Ecclesia Spõsum suũ laudat, & ad eum omnes adducere nititur.

Consideremus ergò, quæ persona hîc loquens introducatur, quos alloquatur, qua de re & quomodo loquatur, vt in singulis istis proficiamus. Sponsa ergo est quæ verba facit, & quæ audienda est, nisi forte in prophanorum publicanorũq; numero censeri volumus Math.18 17 & Luc.10 6. Sed quoniã eam authoritatẽ quæ ad veram Ecclesiam pertinet, jam olim Satan, ad suã falsam transtulit, quęnam germana sit Ecclesia diligenter videndum est, vt ab audienda suppositiria nobis caueamus. Quęnam autem illa vera sit, discere hinc quoque possumus, ea videlicet quę auditores nõ ad se, vt solet adultera, pellicit, sed ad contemplandum Sponsum inuitat, & quidem coronatum, sicuti, Deo fauente, pau-

lò infrà explicaturi ſumus.

Non quicũque in Eccleſia ſunt ex Eccleſia cenſendi sũt: atque ideò falſa Eccleſia Catholica in medio veræ reperitur.

Cópellat autem Sponſa puellas Sionis, hoc eſt illos, quibus ſalutis nuntiũ Deus gratuitò mittit: ſiue illud admittant, & mẽbra fiant huius illos inuitantis Sponſæ, quę cœtus eſt & myſticum ipſius Sponſi corpus: ſiue indignos ſe præbent ea quam Deus ipſis offert gratia, ſicuti docemur in illius magni epuli parabola, Luc. 14. 16. Eſt autem in illa nobis id quoque in primis obſeruandum, omnes illos inuitatos ad excuſationem ſui vnanimiter dici confugiſſe, quamuis non eadem vſi ſint excuſatione. Hinc enim diſcimus, quemadmodũ vna eſt vera Eccleſia, quã eſſe catholicam dicimus & quæ in audiẽda vnius Spóſi voce conſentit: non abſimili ratione vnam quoque falſam eſſe Eccleſiam Catholicam, quæ ad mentiendum & repudiandam veritatem conuenit, quamuis non iidem ſint omniũ mentientium errores. Quapropter paulò antè à me dictum eſt in hoc Cantico, puellarum Sionis eſſe duo genera, communis tamen cognomenti, propterea quòd Sion eſſet populi Dei metropolis. Earum autem vnæ habentur huius Sponſæ tanquam pediſequæ, ſuo quæque tempore & ordine ad nuptiale conuiuium acceſſuræ, ſicuti ſcribitur Pſal. 45. 15. Alterę vero etſi in Sione id eſt in Eccleſia verſabantur, in Eccleſia tamen non cenſebantur, Sionem nimirum incolentes, vel inaniter ſpectandi cauſa quid rerum ibi ageretur, vel aliud quiduis negotij curantes, cu-

iuſmo-

iusmodi hominum vtinam tanta non esset frequentia, quantam quotidie cernimus.

Vt autem ad id accedamus quod tertio loco proposuimus: nempe ad id de quo Spõsa loquitur, in primis expendeda est hæc vocula *Egredimini:* quæ videri posset absurdissima. Etenim si Sion erat Ecclesiæ domiciliũ in terris, quînam inde nobis egrediendum fuerit vt regẽ contemplemur cuius ibi sit sedes? Psa. 81. 2. & 132. 15. Respondeo primùm nihil nobis conferre, immo grauiori iudicio nos subiicere commorationem in Sione, nisi vt corpore sic animo simus Sionis ciues. Vt autem animo quoque Sionis ciues simus, oportet vt ex nobis ipsis egrediamur, vt cum Apostolo dicere possimus Gal. 2. 20. Ego non ampliùs viuo, sed viuit in me Christus.

Ex nobis ipsis primùm egredi nos oportet vt Regem istum contemplemur.

Præterea quoties Sion ipsa maximam partem polluta est: quo respectu Rex inde sit expulsus, egredi certè illos necesse est qui conspectũ eius expetũt: quemadmodum proptetea reipsa egressus est ille Rex extra terrestrem Ierusalem crucifixus, vnde nobis etiam esse prodeundum vt ipsi coniungamur, expresse monet Apostolus Heb. 13. 12. Hæc igitur altera est illius egressionis ratio de qua Sponsa differit, pluribus exemplis comprobata. Nam vt infinitas penè pollutiones prætereamus quibus adactus est Dominus post hæc Solomonis tempora exurendam suã domum Chaldæis, & postea polluendam Antiocho in manus tradere: & vocem illam

Deinde & ipsa Sione nobis est exeundum quum ex ea Rex excessit, & in ea Babylon signa sua fixit.

horrendam huius rhedæ Domini mox expellendi, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, quum de hoc rege ad mortem extrudendo ageretur, agebant in Sione Pilatus & Herodes, vterq; ab eo cognoscẽdo, qui apud eos pręsens causam dicebat innocentissimus, tãtùm abfuit vt ille quidẽ eũ cõtrà conscientiam damnarit, alter ignominiosè dimiserit. Quid ampliùs? illæ ipsæ turbæ quæ ingrediẽtẽ voce maxima suũ illud, Osanna acclamarant, ea ipsa hebdomade, Tolle, Tolle, Crucifige, multò maiore contentione sunt ad rauim vociferati. Non igitur frustra fuit quòd iam tunc Sionis puellis præcepta fuit egressio ad contemplandum hunc regem coronatum. Hæc autem admonitio si vnquam aliàs, est hodie prorsus necessaria, illa videlicet ad Sponsam ipsam directa Ps. 45. 11, Obliuiscere populi tui, & domus patris tui. Quemadmodum etiam docemur Mat. 19. 29. Quid igitur facto opus esse dixerimus Babilonicis vexillis in medio Sionis templo defixis? Sic enim iã olim veteri populo vsuuenerat, Bethel in Bethanen, hoc est, Dei domo in domum iniquitatis trasformata: vt ipse Dauid prædixerat Psal. 118. 22, & Esa. 28, & Iere. 14. 14, & Ezech. 13. cap. integro & Christus ipse Dominus Math. 23, 38. exactis semel atque iterũ è domo patris iis quos latrones appellat Luc. 19. 46. cum iis qui emebant & vendebant Ioh. 2. 14. Math. 21. 12. qui ad extremum faces templo intulit, vbi etiam non reliquit lapidem

dem ſuper lapidem Math. 24. 2. Quis autem inficiari audeat congregationẽ iſtã nõ modò Eccleſiam veram non fuiſſe, ſed etiam illi ex diametro repugnaſſe, à qua idcirco ſeiungere ſe oportuerit, ſicut præceperat Dominus? Math. 15. 14. & ſeſe cum aquilis coniungere vbi erat cadauer? Luc. 17. 37. Fore autem vt hoc ipſum & aliquid deteriùs multò Eccleſiæ Chriſtianæ eueniret, multò antè monuerunt Apoſtoli, nempe S. Paulus Act. 20. 30. 1. Timoth. 4. 2. 2. Theſſ. 2. 4, & quidem Romanæ in primis Iohannes, ſic in Apocalypſi interpretantibus veteribus Græcis & Latinis plurimis, predixit. Quum igitur iſta, noſtris temporibus impleta ſint in Orientali & Occidentali Eccleſia, vt oculis eorum patet qui non penitus cæcutiunt, cui dubium eſſe poſſit, quin ex illa Sione prophana & in Babilonem transformata, egrediendum ſit: & ſequẽdum leuitarum ſub Ieroboamo exemplum 2. Chroni. 11. 13. & Domini mandatum 15. 14: quo etiam vſus eſt Apoſtolus Act. 19. 7? Ita hoc ſeculo fecimus, & ita ſe gerũt ac ſemper gerẽt deinceps omnes verè filij Dei, Occidentali Babilone derelicta ne cũ ea perire, ſed vt huic coronato Regi cognito, & perſpecto ſeſe adiungãt, vitata beſtiæ criſta ſeptem montibus inſidentis, donec in ſtagnum ignis & ſulphuris coniiciat illam ſuo tempore Dominus Apocal. 20. 10. In ſumma quum fieri non poſſit vt Chriſto Ieſu & Baali ſimul ſeruiamus & tenebris cum luce ſocietas intercedat, 2. Cor. 6. 14. regnum tenebrarum fu-

giendum eſt ſi volumus ad ſalutem hunc lucis regem intueri.

Exeundum nobis ſed Regem iſtũ inuenturis & contemplaturis.

Prodite ergo (inquit) ſuis puellis regina. Sed quorſum? Eſt enim facile ex vno gurgite in alium prodire, imo inſilire. Et hodie videmus, (O rem longe miſerrimam) ſuperſtitionem multos relinquere vt ſeſe impietati mancipent, & ſicuti ſcriptum eſt Luc. 11.26, pro vno dæmonio ſeptem peiora vltrò ſibi accerſere.

Longè aliud eſt Regem iſtum contemplari, quàm ſimpliciter eum cernere aut intueri: & cõtemplatio hæc tota ſpiritualis eſt, intellectum tamen docẽte verbi auditu, & Sacramentorum intuitu.

Idcirco addit ſponſa, *Et contemplamini regem iſtum Solomonem.* Sciendum autem eſt in primis quid ſit *contemplari.* Certè iſtud nõ eſt rem aliquam ſimpliciter cernere, & quũ vrbem ingredientibus regibus, vel ex feneſtris vel in plateas prodiens vulgus illos prætereuntes aſpicit. Sed contemplatio eſt animi potiùs quàm corporis: quando nimirum cognoſcendæ & penitiùs perſpiciendæ alicuius rei cauſa, illam & intimas eius partes attentè perluſtramus: quod de Petro narratur, qui quũ ad ſepulchrũ veniſſet ſeſe intrò inclinauit, vt verè cognoſceret an adhuc ibi corpus Domini iaceret, Luc. 24 12. At enim, dicet aliquis, Rex ille cuius eſt figura Solomon, quũ hæc à Solomone ſcriberentur aſpectabilis non erat, vt qui naturam humanam nondũ induiſſet, nec etiam hodie quũ à nobis longiſſimè abſit, ſub oculorũ ſenſum cadit, neque cadet antequàm tempore vltimo adueniat. Hæc omnia fateor, ac etiam illis adiicio, tantiſper dũ Rex hic noſter in terris verè aſpecta-

pectabilis fuit, & carne præditus quæ ſenſu perciperetur, atque etiam poſteaquàm reſurrexit à mortuis, tantum abfuiſſe vt natura hæc viſibilis homines ad illius notitiam adduceret: vt contra, quum homo eſſet, vt & cæteri ſunt homines, & cerneretur exteriore & quidẽ vili & cõtemptibili habitu: hoc fuerit tanquã velum oculis eorum impoſitũ qui ipſum intuebantur, quod nõ modò carnalibus officeret, puta iis à quibus Nazaræus dicebatur Ioh.1.47.& faber fabriq; filius, Mar. 6.3. & Herodi à quo deriſus fuit Luc. 23. 11. verum etiam ipſis eius diſcipulis, quominus diuinam eius maieſtatem atque gloriam mẽte ſatis perciperent, & quod in illo ad ſalutẽ quærendum erat: quamuis ipſius gloria tum in verbis tũ in operibus eius clariſſimè ſplẽderet. Idcirco petenti Philippo vt ipſis Patrẽ oſtenderet, Ioh.14.9. Chriſtus reſpondit expedire vt ab illis ſeſe ad patrẽ reciperet, Ioh. 16. 7. Rex igitur iſte mentis demum oculis Dei Spiritu illuſtratis cernitur & agnoſcitur, vt arcana ipſa Dei ſcrutemur: quatenus quidem nobis illa ſunt à Filio patefacta. 1. Cor.2. 10. Quid ergo? nihílne nos hic iuuerint externi ſenſus noſtri? Immò, (relictis penès Deum quæ quoties libuit extra ordinem facit) dico ex corporeis ſenſuum organis, duo nobis eſſe ad ſalutem non tantùm vtilia, aures videlicet quibus audiamus, & oculos quibus videamus. Non quòd rex ille & regnum eius ſub ſenſus cadant: ſed quòd his mediis

noſtram mentem erudiat vt eum mente Intueamur & cognoſcamus. Etenim ſi fidei organo concipitur & agnoſcitur, fides autem in nobis formatur ex verbi auditu quo ſe ipſum nobis patefacit Rom. 10. 17. efficitur quis qualiſque rex iſte ſit in verbo ipſius quærendum eſſe, atque cognoſcendum. Deinde ſi fides in animo ſedem habet, efficacia Sancti Spiritus in nobis creata, educata, & viſibilium vſu confirmata, quibus admonita & edocta mens, res Sacramentorum ſpirituales & inuiſibiles per illa, adiuncta exhibitionis promiſſione, deſignatas intuetur & amplectitur, ſpiritualis ſit neceſſe eſt hæc tum conſideratio ſiue contemplatio, tum etiam applicatio, non autem corporalis, quamuis intellectus auditione verbi & Sacramentorũ aſpectu, ad rerum cœleſtium cognitionẽ aſcẽdat. Alioqui, quænam fuiſſet patrum fides, qui aduentum ipſius in carnem antegreſſorunt? qui tamen illum adeò verè & efficaciter ſunt contemplati, vt, licèt ſub aliis ſignis, eundem tamen cibum ederint, & eundem potum biberint, regem hunc Salomonẽ videlicet participantes, extra quem nulla vnquã fides, æterna vita nulla extitit, 1. Cor. 10. 3. & 4. Sic eum In Circunciſione vidit & apprehendit pater Abraham, quæ ſignum & ſymbolum illi fuit Iuſtificationis, quam per fidem, Rom. 4. 11. credens Dei verbo, quum adhuc eſſet in præputio, adeptus eſt. Rom. 4. 3. & 10. Sic illum cæteri viderunt, & amplexi

ſunt

ſunt Patres, tùm in promiſſionibus auditis & ſibi per fidē aplicatis, Heb. 11. tum in vmbris legis ceremonialis, quarum corpus erat iſte verus Solomon Coloſ. 2. 17. Ita & beata virgo priùs ipſum auribus, verbo audito credens, ac deinceps altiſſimi virtute in vtero virgineo concepit Luc. 1. 38. quod Elizabet prophetico Spiritu agnouit, & tanquam inſigne Dei donum meritò prędicauit. Luc. 1. 45.

Quid & quibus profuerit Regis iſtius corporeus aſpectus quãdiu fuit in terris.

Hoc verò non obſtat quò minus ij quibus contigit vt viuerent Chriſto inter homines agente, mentis eorum oculos Sancto Dei Spiritu illuſtrante, Eph. 1. 18. & aures cordis illorum aperiente Act. 16. 14. ſint tum initio ad credendum adiuti, tum in iis quæ per fidem amplexi fuerant valde confirmati, naturali & ſenſibili illius conſpectu, auditu, & contrectatione: vt in Simeone animaduertimus Luc. 2. 28. & in Anna Prophetiſſa Luc. 2. 38. & Samaritanis, Iohan. 4. 42: ipsiſque Apoſtolis Matth. 13. 16. Ioh. 1. 42, & 2. 22, & 1. Ioh. 1. 1. Sed nihilominus, non viſio, non auditio, in mentibus videntium & audientium gignit fidem, ſed Spiritus ſanctus, Spiritum noſtrum illuſtrans. Idcirco inquiebat Paulus Epheſiis (qui tamen oculis auribúſque corporeis nunquam Ieſum Chriſtum vel audierant vel conſpexerant) Chriſtum habitare in cordibus ipſorū per fidem Eph. 3. 17. Atque etiam Eph. 4. mentione facta auditus Verbi quod ipſis annuntiauerat, Nō

ita, inquit, didiciſtis Chriſtum, ſi quidem eũ audiuiſtis, & ab eo eſtis edocti.

Certa teſtimonia quibus docetur nõ fuiſſe nec eſſe quærendam præſentiam corpoream Regis iſtius in his terris ex quo in cœlum aſcendit.

Cæterum vt hunc corporeũ aſpectum liqueat illi agnoſcendo regi non ſemper ordinatum fuiſſe, ſed illud tempus duntaxat quo inter homines commoratus eſt in illa carne aſpectabili quam in cœlum extrà hunc mundũ ſuſtulit, dicimus hoc apertè probari, tum expreſſis Scripturæ teſtimoniis, tum iis quæ inde neceſſario colliguuntur, tribus antè iactis conceſsíſque fundamentis. Primùm igitur iſtud ſtatuatur, in hac diſceptatione controuerti de Chriſti carne, non autem de ipſius Deitate, quæ in ſeipſa cõſiderata ſemper fuit, eſt, atque erit inuiſibilis. Deinde, Ieſum Chriſtum accepiſſe ab initiò atque in æternum verè humanum corpus, cum iis humanæ naturæ proprietatibus omnibus, quæ ſi tollãtur corpus eſſe corpus nõ poteſt. Tertiò actionem oculorũ terminatam eſſe, qua fieri nequeat (niſi miraculo & extrà ordinem id fiat, vt Stephano contigit) vt res corporeas abſentes vel longiùs quàm par ſit diſſitas cernant. En igitur Chriſtum ipſum Thomæ incredulitatem his verbis obiurgantem, Beati ſunt qui non viderunt & crediderunt, Ioh. 20 29. & alibi, idem Chriſtus, Me vobiſcum (inquit) non ſemper habebitis, Matt. 26. 11. & Io. 12. 8. & 5. Et Paulus 2. Corin. 5. 6. Peregrinantes in corpore iſto (inquit) abſumus à Domino, & Philipp. 1. 23. Cupio diſſolui & eſſe cũ Chriſto. & Coloſſ. 3. 1. Quærite ea quæ ſur-

ſurſum ſunt, vbi eſt Criſtus ſedẽs ad dexterã Dei? Et Pet. Act. 4. 21. Quẽ oportet vt cœlũ capiat vſque ad tempora reſtitutionis omnium. In ſumma, quoties ad Patrem ſe dicit proficiſci, quod ad humanitatẽ eius pertinet, toties abſentia humanitatis ſuæ teſtificatur, vt & quoties ſeſe venturum pollicetur: ſi quidem nemo eò venit vbi iam eſt: Nec fieri magis poteſt abſque transformatione corporis Chriſti in eſſentiam ſpiritualem, vt iſtius regis corpus adſit alicubi verè, ſua eſſentia, nec tamen locum occupet, & non ſit aſpectabile, quàm nefas eſſet dicere ipſius deitatem aliquo ſpatio comprehẽdi, neque interea corporis conditionem ſubire.

Concluſio iſtius doctrinæ docens vbi & quomodo contemplandus ſit Rex iſte.

Concludamus ergo verum Solomonem iſtum, quod ad diuinitatem attinet, oculis cerni nullo modo poſſe, licet vbique ſit, ac peculiari quadam ratione in humanitate illa quam ſibi perſonaliter vniuit: humanitatis autem reſpectu, tam hodie conſpici in terris nequire, quã ipſam deitatẽ: non quòd in ſeſe hæc caro inuiſibilis exiſtat, (quum cœleſtis gloria naturam corporis ei non ademerit, ideóque manere illã oporteat materiatam, aſpectabilem, & ſuis corporeis dimenſionibus omnibus circunſcriptam) ſed quòd eam à nobis ſuper omnes cœlos euexit, ibidem donec poſtremò aduenia t permanſuram. Quapropter ad contemplationem mentis à Spiritu ſancto illuſtratæ: ad fidem per quam, ait Paulus hunc Regem ha-

habitare in cordibus nostris, Eph.3.17. ad interiores denique mẽtis oculos quibus ait Apostolus hunc Regem nobis esse depictum, Gal.3.1. ista Sponsæ inuitatio referenda est, *Prodite & contemplamini Regem istum*, nempe in ipsius verbo purè annuntiato, de quo disserens Paulus, 1.Cor.4.15. Vos, inquiebat, genui Domino: & ad Gal.4.19, Iterum parturio vsque quò formetur Christus in vobis. Eodem sensu accipiẽda sunt quæ de Sacramentis id est de signis aspectabilibus verbo adiunctis dicuntur: de Baptismo quidem, nos veterem hominem exuere, vt induamus Iesum Christum, in quo creamur homines noui Gal.3.27. & Colos.3.9: de sancta verò Cœna, nos comedere carnem eius, & eius sanguinem bibere.

Oppositio & refutatio doctrinæ huic veritati contrariæ.

Nunquam autem hæc veritas magis elucet, quàm quum falsæ doctrinæ opponitur, cui nunc Ecclesia Romana, hûc vsque Sponsæ, non minus falsò quàm impudenter vsurpato nomine, addicta est. Nam hæc quoque suos ad contemplandum Christum inuitat. Sed, Deus bone, quem Christum? eum de quo postea differemus. Vbínam verò contemplandum? in ligno vel lapide. At quid ibi cernitur? Simulachrum ipsius, (aiunt contemplatores, isti) ex quo disces Christum pro peccatoribus crucifixum fuisse? Verùm enim verò hæc docendi ratio expressè à Deo vetita est in secundo Legis præcepto, aliísque compluribus locis, quæ

Hie-

Hyeronimi quoque æ ate habebatur exe-crabilis, Ephiphanij Cypriorum Episcopi epistola teste quam vsque adeò probauit Hyeronimus, vt etiam sit illam interpretatus. Præterea quid proderit scientia, vel recordatio crucis Christi, nisi cur illum crucifigi oportuerit, quid inde boni ad me redeat, quânam denique ratione fiamus eius participes intelligatur? At ista certè nos non docet mutus crucifixus, vt qui extra inanem figuram nihil aliud sit quàm mortua corruptibilísque materia. Ista verò (inquiunt) viua voce docentur. A quibus? A Curatis, Vicariis, Prioribus, Abbatibus, Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Cardinalibus, & sigillatim ab illo istius Hierarchię coryphæo. Immò nemo est qui nesciat, pauculis exceptis, vix posse vllum ex istis inueniri, ligneo saxeóue crucifixo doctiorem aut cordatiorē. Qui verò habentur aut sunt etiā eruditi, quando concionandi munus obeunt vel, si velint, obire possint? Iam verò cultus ille quem Dei officium appellāt quînam populum docuerit, totus ex peregrinæ linguæ cantiunculis conflatus, ad idololatriam, & merum Dei ludibrium compositus? Quod si quis ex illis monachorum mendicātium aut alterius istorum votariorum sectæ, circiter Natalem Domini, vel ipsorum quadragesima impurum os aperiat, qualem proponit doctrinam? nempe vt iam sæpiùs est à me demonstratum, innumerabiles blasphemias

quibũs omnis Iesu Christi crucifixi doctrina ex professo deprauetur. Quid verò aliud est quàm Deum Christianósque omnes illudere, quòd asserere quidam audent pietatem à se vt oportet doceri, & interea sacrarum literarum lectionem, & interpretationem lingua vulgari conceptam prohibent. Est autem istud magis etiam intolerabile quòd affirmare non verentur satis ad salutem sufficere fidem quam vocant implicitam, id est, si quis in genere assentiatur iis quæ Catholica ipsorum credit Ecclesia, etiamsi quid illa doceat & credat non magis teneat quàm id quod nunquam cognouerit, & de quo cognoscendo nunquam cogitarit. At quænam ista fuerit ignoti Christi contemplatio vel meditatio, & cuius cognitio non præcipiatur? In summa, vt illi loquuntur & sentiunt, modò quispiam bona intentione, etiamsi de doctrinæ Christianæ capitibus intelligendis nõ laboret, crucifixũ, sæpe etiam (eo quem propinquum habeas relicto) longe quæsitum, adorans, tacitè, Pater Noster & Aue maria obmurmuret, (non magis plerumque ab iis qui ad hũc precantur modum quàm ab ipsis surdis & mutis idolis intellecta) Deum scilicet habet propitium, & totus illi patet, purgatoria tamen adiecta purgatione, paradisus. Quid hoccine est orare in Spiritu & veritate: Ioh.4.24? Sese corã Deo fide sistere, sine qua nemo illi placere potest? Heb.11.6. Credere quidpiã, & quidpiam nescire

cire an vnum & idem sunt? Illáue quæso fides est qua stamus, 1, Corin. 16. 13. qua extinguimus ignita illius mali iacula, Eph. 6. 16. & 1. Petr. 5. 9? In qua nos esse oportet fundatos, & stabiles, Coloss. 1. 23? Hæccine doctrina est quam iuterdiu & noctu meditari debemus Psal. 1. 2? Quod si hæc non est, quomodo, vt præcipit Apostolus, preparati erimus ad reddendam eius rationem, de qua nihil vnquam didicerimus? quînam rationem eius rei subduxerimus, in qua nihil extet acceptum aut expensum? Quis autẽ de hac re omnes Christianos admonet? S. Petrus 1. Petr. 3. 15. Et quî tandem ille fuerit Apostoli Petri successor, qui non modo ignorat, verùm etiam vetat ne illa exequamur quæ disertè Petrus Christianis singulis imperat 1. Petr. 3. 15? An non isti sunt potiùs, qui teste ipso non muto sed loquente Christo, neque ingrediuntur regnum cœlorum, nec alios eò ingredi patiuntur Math. 23. 13? Vt nõ temerè dici possit terrenus iste clauiger duas claues baiulare, vnam qua cœlum claudat, quantũ in ipso est, alterã qua inferos cuilibet aperiat. Sed istis omissis ligneis & saxeis, mutis, & mortuis doctoribus quos isti libros idiotarũ iure appellant ad illũ accedamus quem isti Christũ ipsissimum esse contendunt, tam magnum, tã crassum, vt ipsi loquũtur, quã quũ in cruce penderet. Quid verò loquitur iste? An docet? exhortatur? cõsolatur? corrigit? minus etiam certè quàm alter ille ligne⁹ seu lapideus, qui

videtur esse quod non est, quum iste neque sit, neque esse videatur. Quinetiam si credimus iis à quibus Christus iste creatur, vt qui adeò perfricta frōte sūt vt sese etiā creatores sui creatoris disertis verbis ibi appellēt nō est iste Christus, vt doceat, verùm vt sacrificetur siue offeratur Patri:ídq; nō sine manifesto ludibrio, quū ille idē à quo offertur totū eum comedat & ebibat, ne particula quidē ei relicta, cui realiter illum à se offerri mentitur. Et tamen hoc caput est, hoc fundamentum, hæc summa totius apud illos Christianismi. Eorum enim hæ sunt formulæ, *Attollere Deū* respectu agētis, & *Videre Deum*, respectu spectātis. Saltem verò paulò accōmodatiùs loquentes, si *Attolli Iesum Christum* & *Videri Iesum Christum*, non autē simpliciter Deum dicerent: quamuis verum Deum esse Christum minimè negemus: at non certè quatenus attolli vel videri possit. Sed necesse est, vt isti quales sint tum factis, tum etiam verbis prodant.

Exhortatio ad diligentiorem quàm hactenus huius Regis cōtemplationē & cultum.

Agedū verò tandē ex hoc impurissimo cœno emergamus, & liberatori nostro gratias agamus qui nos inde eduxit. Deinde toto animo ad eius cognitionē & verum cultū, incūbamus, qui propterea nobis oculos aperuit, ne in multo grauiorē reprehēsionē incidamus, quàm ij quos ignorantia vel superstitio decipit: neque vel auaros imitemur, mēte & oculis ad diuitias conuersos: neq; scortatores omni spurcitiæ & voluptati mancipatos, &

& quorum oculi ſunt adulteriorũ pleni: neque gulæ & ventri addictos, quorum animus & oculi ſunt in popinis & patinis: non denique cæteros vanis & prauis ſtudiis deditos. Sed contrà, quidquid oculis noſtris à Deo conditum offertur, trahat nos ad id, quò nos ipſa rerum vniuerſitas tot modis cohortatur, nempe vt rerum iſtarum conditoris & gubernatoris ſapientiam, potẽtiam, bonitatem infinitam ſuſpiciẽtes adoremus, & nos ipſos totos vt vnico noſtro per Ieſum illum Chriſtum Seruatori, per Spiritum ſanctũ, vt gratũ ipſi ſacrificium offeramus, Ro. 12. 1. Non ſatis autẽ eſt nuda & qualiſcunque contẽplatio huius Regis, ſed etiam agnoſcẽdus eſt, quò referri debet tota hæc contemplatio. In ſumma igitur Solomon iſte nobis appellandus & adorandus vt Rex, & quidem coronatus. Quânam verò corona? *Quâ coronauit eum ipſius mater.* Quando? *die ſponſalium eius, & die lætitiæ cordis eius.* Hæc igitur enucleatè & ſigillatim conſideremus.

Notũ eſt quid deſignet Regis appellatio, ſupremam minirum poteſtatem in ſubditos, ratione tẽperatã. Ita etiam hoc in loco vſurpatur ſed eo ſeruato diſcrimine quo Rex iſte à cæteris ſine exceptione Regibus omnibus differt, quotquot ſunt, fuerunt, & ad finẽ vſque mũdi exiſtẽt. Omnes enim alij ita ſubditis ſuis imperant, vt & certis regionum & temporum finibus ipſorum imperium circũſcribatur, vt vltra corpus, externáque cor-

Regẽ iſtum ſupremum eſſe, ſpiritualem & æternum, nulli-que rei creatæ anctoritatem dare leges conſcientiis præſcribendi, nec quod ad ea

quæ cultum eius, nec etiã quæ ſalutem noſtram ſpectant.

poris bona poteſtas eorum euagetur, vt deniq; velint nolint adminiſtrati imperij rationẽ reddant apud eius tribunal à quo fuerunt in regium ſolium euecti. At rex ille ad quem intuendum, cognoſcendum, contemplandũ inuitamur, omnem in cæleſtia terrenáque omnia poteſtatem habet: non modò quatenus eſt Patri coæternus & coeſſentialis: verũ etiam quatenus eſt homo, cui in res creatas omnes, ſummas, medias & infimas, imperium eſt ipſi datum Math. 28. 18. Ioh 5.27. Pſal.8.7. 1. Cor. 15. 27. Philipp.2.9. & quidem iu æternum Luc.1.33. Eſa. 9. 6. & ſpeciatim in ſubditos ipſius, quos in finem vſque conſeruatos, Math. 28. 20, tanden cohæredes ſuos efficiat in regno ſempiterno Rom.8.17. Heb. 2. 10. Immò & in ſuos etiam hoſtes in quorum medio dominatur Pſal.110. ipſis, prout ei libuit, comprimendis, caſtigandis, euertendis, tum ſuæ gloriæ, tum electorum ſuorum cauſa, quemadmodum ſacra omnis teſtatur hiſtoria: quamuis plenæ in illos victoriæ & illius ſui imperij abſolutum omnibus numeris effectum, quod illi pollicitus eſt pater, adhuc in vltimum illum diem differatur. 1.Cor. 15. 28. Conſtat igitur Regem iſtum quatenus cum Patre Deus eſt, omnem habere poteſtatem & imperium in ipſos etiam mundi reges, quorum in medio ſedet Pſal.82, quos induit exuítque balteo, Iob. 12. 28. à quibus etiã rationem repoſcit Pſal.58.7. Hic vero de alio regno quæritur quod minime ad hunc mundum

dum pertinet, vt rex ipſe teſtatus eſt Ioh.18. 36. Nam illud quidem omnes homines complectitur, quorum maxima pars ſua ipſorum culpa peritura eſt Math. 7.13: iſtud autem ad eos demum ſpectat qui peculiariter domus Dei vocantur, licèt multo plures ſint vocati, quàm electi, Math.20.16. Illud prius huius vitæ terminos non egreditur: hoc poſterius conſcientiis imperat, neque breuibus iſtius ſæculi cancellis continetur. Illud temporariũ eſt, hoc æternum: illud animale, hoc ſpirituale. Et quæ huius adminiſtratio eſt aſpectabilis & corporalis, ea de cauſa inſtituta eſt, vt nos vltra mundum deducat. Illud à Deo regitur per magiſtratus, quibus eam poteſtatem tribuit, vt leges politiis ſuis regendis condãt, ex præſcripto tamen eius æquitatis quam natura, cuius & ipſe author eſt, approbat: hoc autem huius regis imperium in animas, altiùs eſt & auguſtius quàm vt cum Angelis ipſis, nedum hominibus cõmunicari queat. Hic ergo vnicus Rex fuit, eſt, eritque perpetuò animarum & conſcientiarum legiſlator, iure iſto ſibi vni reſeruato, ita vt etiam ſi Angelus quiſpiam è cœlo adueniens, pro imperio legem vllam conſcientis præſcriberet, ſit nobis execrabilis futurus, vt qui poteſtatem vni Deo propriam in filio illo ſuo vnico mediatore regnum iſtud exercenti, ſibi arrogaret Gal.1.8.

Et hoc præſertim caput eſt in quo conſiderãdum eſt duorum iſtorum regnorum gu- *Quod ſit officium tum*

Spiritualium Regis huius ministrorum tum Christianorum Magistratuum.

bernationum discrimen. Quod enim ad temporalem administrationem pertinet, quum ad illam qualitercunque sufficiat illa tum sapientia, tũ prudentia naturalis, diuinitus generi humano relicta, prout tamen illam admetiri Deus dignatur: leges de rebus humanis ponere & rerum publicarũ formas cõstituere possunt ordinati magistratus, &, tum iubendo tum vetando publicam pacem sancire: gladio quoque reluctantes multare: huic tamen regum Regi rationem aliquando reddituri. In hoc Spirituali Imperio nulla est vllis huius Regis ministris facta condendarum conscientiis legum, sed earum duntaxat in ipsius domo id est Ecclesia syncerè & vt eis præscriptum est promulgandarum & exequendarum potestas: minimè quidem neglectis neque promissionibus neque minis, quas demum idem ille legislator legibus suis adiunxit. Ad executionem autem quod attinet, qualis quidẽ illa esse potest in terris ordinaria (cœlestis enim illa vt & extraordinaria in terris vnius illius legislatoris propria est) habent quidẽ potestatem pastores & Seniores illarum quoque legum exequendarum, tum in resipiscentibus absoluendis, tũ in eis qui obstinatè repugnãt veritati ex Ecclesię cõsensu condẽnandis: sed tũ ipsius Regis nomine, tũ acuratissimè obseruato ipsius mãdato, irrita alioquin futura ipsorum sententia Math. 15. 14. id est ordine prorsus spirituali, ita vt Verbum legislatoris sicut est sacris

cris literis perſcriptũ vnica ſit in adhortãdo, corrigẽdo, ligãdo, ſoluendo norma & amuſſis. Sed & Chriſtiani Magiſtratus, quibus etiã imperatũ eſt vt iſtũ regẽ adorẽt Pſ.2.12. in hoc quoq; ſpirituali regno ius quoddã obtinent: & quidem maximi momenti, non quidem vt ad ea quæ ſacri miniſterij propria ſunt manum admoueant, quod infeliciter Vſię ceſſit, alioquin bono & pio principi. 2. Chro. 26.15. ſed vt authoritate ſua, ſpirituales huiuſce regis leges, exemplo Dauidis, Solomonis, & ſi qui reges pietate ac iuſtitia prę ſtãtes illis ſucceſſere, tueantur, Dei cultum fortiter in legũ diuinarum tranſgreſſoribus vindicantes, qui ſeſe legibus illis regi à quibus oportet, quicunque tandem ij fuerint, non patiuntur Deut.13. Itaque nullus vnquam propheta (ne Moſe quidem excepto qui Deum vidit facie ad faciem) inuenietur ſibi authoritatẽ condendæ vllius legis arrogaſſe, ſed hoc potiùs (& quidem veriſſimo) exordio ſemper vſi Sic dicit Dominus. Et quum Iohannem Baptiſtam in hunc Domini & legiſlatoris ipſius gradum euehere conarentur Iudęi, Non ſum dignus, inquit, qui ſoluã calceorum eius corrigiam. Iohann. 1.27. Nec fuit Moſes aliùs in Dei domo quàm fidus ipſius ſeruus Hebr. 3.6. confectis omnibus ac ſingulis ad illud exemplar, quod viderat in mõte, Heb.8.5. expreſsè quoq; interdicẽs ne quidquã iis adderetur aut detraheretur quæ ab illo dictante exceperat Deut.4.2.&12.32. Denique inaudi-

tum eſt aliquid addidiſſe prophetas diuinis mandatis, aut vllis à ſe profectis legibus conſciẽtias obſtrinxiſſe. Cõtrà, Deus per os Eſaię loquẽs dãnat expreſsè quãlibet doctrinã ab hominibus excogitatã Eſa. 1. 12. & 29. 13: quod Chriſtus appellat fermentum Phariſæorum à quo cauere oporteat Math. 7. & 16. 11. Iſtud verò ſi in iis valet, quibus & quid fieri velit, & à quibus ſit abſtinendum, præcipit, quæ doctrina ſpecialiter Legis appellatione intelligitur, ad quam tamen cognoſcendam ipſa nos natura inſtruit, quantumuis deprauata: quantò magis illud ſtatuendum eſt in Doctrina Euangelij, quæ nobis vna conſiſilium & voluntatem Dei de nobis in filio ſuo ſeruandis patefacit, quam nec caro nec ſanguis nouit, Matth. 16. 17. & quæ ne ſubiici quidem ei poteſt Ro. 8. 7. Act 20. 17.

Læſæ Maieſtatis crimen aduerſus hunc Regem admiſſum: & reſponſio ad obiectiones contrarias.

Qualis igitur blaſphemia eſt mendacij accerſere Dei filium, teſtantem ſeſe Apoſtolis vt amicis explicaſſe quidquid à Patre accepit? Quid autem Apoſtoli? an eos exiſtimauerimus quicquam addidiſſe, vel detraxiſſe Regis illius mandato his verbis concepto, Ite, docete omnes gentes ea ſeruare quæ præcepi vobis? An verò quod ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſubſtantiam, & ſacri miniſterij functionem eſſentialem attinet, ex quo Deus domum ſuam regẽdam ad alterum vſque aduentum ſuum conſtituit, ſentiemus aut Spiritum ſanctum non omnia docuiſſe Apoſtolos: aut Apoſtolos ſatis diligenter & fideliter munus

munus sibi demandatum non præstitisse? Saltem hac de re Paulo credamus 1. Cor. 11. 23, licèt ibi peculiariter de sacræ Cœnæ administratione agatur & Coloss. 2. 16, quo loco quæcunque hac de re dici possent continentur. Credamus & Petro sigillatim pastores, quibus sese non tanquam dominum præfert, sed tanquam in eodem ministerio socium adiungit, admonenti vt quisque gregem suum pascat, non vt dominans cleris (inquit) sed vt qui sit exemplar gregis, 1. Petr. 5. 1: Paulus suffragatur 1. Cor. 7. 35. testatus se nulli laqueum iniicere velle. Hoc itaque sibi vult appellatio regis hoc in loco cui Solomonis nomen, idest pacifici, adiũgitur, ab effectu videlicet quem huius regni administratio parit in hac Sponsa, idest in Ecclesia, vtpote, quam viuificet, iustificet, seruet, cui vicissim illa vt soli suo, quod ad regnum spirituale attinet Domino, obtemperat. Restat vt consideremus an rex iste talis habeatur ab iis à quibus ipsi nos (per Dei gratiam) seiũximus. Nihil minus, sed eodẽ planè modo quo Rex est ab iis salutatus à quibus in prętorio Pilati virgis cæsus est: non quòd asserã multos sine pastore errantes hac eadem mente esse præditos, sed quod res tota eòdem recidat. Excutiamus itaque an isti regi vllam dignitatis regiæ partem inuiolatã & non turpiter fœdatam relinquant. In primis aiunt se habere huius Regis legatũ Apostolicum simul & Catholicũ. Si quis ille sit quæras, eum, inquiunt,

qui Romæ ſedet. Si quo iure, quæras, longi temporis præſcriptionem proferunt. Si amplius vrgeas, addunt id iuris fuiſſe Petro Epiſcopo Romano & eius ſucceſſori à Chriſto datum. Atqui ſi hæc ſingula excutere libeat, facilè patebit hac impudentia nullam vnquam auditam aut viſam fuiſſe maiorem. Sed etiam ſi vera hæc & cõſentanea eſſe largirer, hoc eſt, tenebras eſſe lucem: peto an legatus regius ampliorē habeat poteſtatem, quàm is à quo miſſus eſt, & auctoritatem habet. Peto an qui legationē ementitus, tāta arrogātia vt nullū ſit falſitatis gen⁹ quo Regiæ huius Maieſtatis edicta non corruperit ferri vllo modo debeat vt legatus, an vero vt violatæ diuinæ maieſtatis damnari. Talem autem illum eſſe de quo verba facimus hinc apparet: Primùm quod nulla probari ratione poſsit, non dico ordinem, ſed gradum Epiſcopalem diuini eſſe iuris, ſed poſitiui tantùm, ita vt certa eius origo nulla extet vſquam perſcripta, nedum vt Chriſtus aut Apoſtoli vniuerſalem conſtituerint Epiſcopatum: qua de re poſt Scripturam, fero teſtem eum ipſum quē primum inter illos quatuor Doctores Eccleſiæ numerant. Deinde ſi vetuſtis canonibus aliquibus ſtandum eſt, qui gradum Epiſcopalem illum frænare voluerunt, ne, quod accidit, in Tyrannidem euaderet, coram Deo & hominibus pronuntio, nullum à multis iam ſeculis extitiſſe, nec iam extare, neque Papam, neque collegium aut in illo gradu Hierar-

Hierarchiæ Pontificiæ collocatum, qui non sit istis canonibus excommunicatus, & ab omni Ecclesiastico munere longè depulsus. Quod autem est etiam intolerabiliùs, quis negare audeat istum qui legatus vniuersalis videri vult hoc sibi arrogare, vt etiam si plenos animarum curtus (illis videlicet praeiēs) secū in inferos præcipitet, quod strenuè profecto facit, à nemine sit iudicandus? Si hoc negatur, an confirmari non poterit expressis decretorum ipsius verbis? Tu vero qui te Petro successisse in munere isto legati contendis, an ignoras Petrum à Paulo Antiochiæ (vbi etiam ipsum sedisse vt œcumenicū Papam comminiſceris) fuisse reprehensum, & quidem publicè, atque adeò in eo quod Apostolici erat officij? Quoniam, vt ait Paulus Gal.2.11 reprehensione dignus erat, neque satis recto pede incedebat. Oblitúsne es aut dissimulas potiùs Petrum ipsum. 1. Petri. 5. 3. pastoribus præcipere, ne dominentur cleris, vt qui ad Dominū nō ad seruos spectent quibus suum definitum est munus. An nescis eundē Petrū à Cornelio reuersum, & eo nomine Hierosolymis, licet immeritò, accusatum, causam apud presbyterum dicere nō recusasse? an vnquam didicisti hanc legem à paulò, auctore Spiritu sancto latā, vt Prophetarū spiritus Prophetis subiiciātur? 1. Cor. 14. 32. Progrediamur vlteriùs. Certe is, cuius iste se vocat legatū, potestate omni præditus est, in cœlo, & in terra, Act.11.4, idque iure opti-

mo: Siquidem errare in hoc imperio nequit, neque quatenus est Deus, neque quatenus Homo est perfectissimus. Quis vero sibi perfectam illa siue scientiam, siue rectitudinem attribuerit, nisi qui sese Filio Dei parem fecerit? Sed aliquid etiam dicamus ampliùs: ista duo sunt certissima: nempe legem moralem, quæ tantum est quædam renouatio legis naturalis, quam peccatum in homine omnino destruere non potuit, Rom. 2. 14. atque fœdus nouum, in Christo, & per Christum sancitum, ad finem vsque mundi, æterna & inuiolabilia perstare debere. Quomodo igitur iste Rex in mundo legatum aliquem constituerit qui hoc vtrumque obliterarit? Sed quoniam hęc tractatio vberiorem explicationem desiderat, quàm ferre tempus possit, quæ supersunt in proximam hebdomadem reiiciemus.

Exhortatio ad contemplationem & cognitionem magni huius Regis & Seruatoris.

Demus autem operam, (Fratres) vt vox ista Ecclesiæ, nostras vndique aures ac mentes circunsonet, *Prodite Sionis puellæ, & contemplamini regem istum Solomonem.* Atque etiam meditemur, nos in hac vita tot beneficiis Dei affluente non esse collocatos, vt in istis caducis & fragilibus acquiescamus: Verùm vt agnito rege iste, animũ & corpus ei consacremus, ad illũ vt scopũ studia omnia nostra referamus, eũ vbique & semper celebremus, cuius tã insignis in nos ex his tenebris eductos idcirco effusa est gratia, vt eum assiduè in ipsius verbo cõtemplemur, gratias illi agentes, tantisper expectantes dum illum pro-

propiùs contemplemur in regno illo cælesti quod apparuit nobis ante iacta mundi fundamenta. Amen.

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA TRICESIMA.

Auxilium nostrum sit à Domino, &c.

Quod sequitur extat in Cap. 3. vers. 11.

11 Egredimini, puellæ Tzionis, & contemplamini hunc regem Solomonem, coronatum corona qua mater ipsius eum coronauit, die Sponsalium, & die lætitiæ cordis.

Ab eo qui se falsò iactat esse Vicarium Vniuersalem huius Regis in terris, omnibus modis Regia omnia præcepta deprauari, & primũ quidẽ quod in Legis Moralis primo præcepto continetur.

HOc in argumento die Iouis proximo substitimus, nempe vtrum is qui se iam aliquot ab hinc seculis vocat summum caput Ecclesiæ Catholicæ tanquam eius Regis de quo hîc agitur Vicarium, non sit potiùs criminis læsæ Maiestatis diuinæ, idest huius ipsius Regis reus, etiamsi Vicarij dignitas, quam sibi falsò arrogat, illi concederetur, vt qui mereretur ea dignitate prorsus spoliari, quòd fieri non possit vt summus ille Rex cuiquam potestatem dedisse videri possit leges ab ipso positas, & ad consummationẽ mun-

di perduraturas deprauandi. Hoc autem ipſum eſt quod nunc eſt nobis pleniùs & particulatim explicandum. Dico igitur tribus modis inſtrumentum aliquod deprauari & corrumpi conſueuiſſe, nempe iis additionibus, vel detractionibus, vel mutationibus quibus inſtrumentum de cuius veritate quæritur id eſſe deſinat quod initio fuit. Videamus igitur an non is de quo loquimur omnibus hiſ-ce deprauandi inſtrumenti modis fuerit graſſatus, & graſſetur etiamnum hodie in diuinæ Legis tabulas, & à Lege morali incipiamus. Primo præcepto prohibemur habere vllum alium Deum præter ſolum illum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Quid verò aliud eſt aliquid habere pro Deo, quàm ei tribuere id quod huius vnius Dei proprium eſt, ſiue quis hanc apud ſe de ea re concipiat opinionem (quæ eſt interior idololatria) ſiue eidem rei tribuat cultum aliquem externum ei ſoli vero Deo debitum, quæ eſt idololatria exterior, ambæ coram Deo deteſtandæ? Annon autem ex creatura, imò verò ex ſemicreatura Deum facit qui ſibi perſuadet ab ea audiri & percipi voces, aut certè (quod maius eſt) animi conceptus hominum, tanto etiam interuallo abſentium, quanto diſtant à terris ea quæ ſunt ſupra ſummos cælos? imò verò hominum infinitis diuerſiſſimis locis eodem momento quidpiam loquentium vel cogitãtium? Hæc, inquam, proprietas, Eſſe nempe vbique, & cogi-

Primi Præcepti deprauatio.

cogitationes nosse, ánnon solius Essentiæ diuinæ propria est? Exceptio istorum parata est, tunc demum fieri homines Deos ex creaturis, si dicantur ex seipsis audire & intelligire quæ ipsis absentibus tot diuersis locis & eôdem momento à diuersis hominibus dicuntur: sed hoc ex reuelatione dari Sanctis defunctis, imò etiam viuis sæpe fuisse cõcessum. Sic enim Elisæum per reuelationem Spiritus Prophetici, sciuisse, & quasi vidisse atque audiuisse licet absentem, ea quæ seruus suus Giezi dixerat & gesserat cum Naamane Syro 2. Reg. 5. 26. & idem dici posse de Petro in eo quod de Anania & Sapphira cognouit & patefecit Act 5 4. Quòd si Deus (inquiunt illi) hãc gratiam suis seruis hîc adhuc cum ista infirmitate carnis repentibus largitus est, cur non eandem ipsis hodie cum illo agentibus, & cælesti gloria fruentibus multò auctiorem concederet? En qua caligine tot miserorum populorum mentes hodie obtenebrentur, non intelligentium, quàm falso, futili & imaginario præsupposito tota hæc excèptio innitatur. Nam quòd attinet ad illa media quibus Deo visum est hîc in terris, ad Ecclesiæ suæ conseruationem & ædificationem vti, quænam illa sint ex ipsius verbo, non solùm in genere, sed sigillatim etiam docemur, Placere nimirum ipsi, tum hominum tanquam medium ordinarium, tum Angelorum etiam quoties & quandiu ipsi libuit ministerium per visiones & mandata

extraordinaria adhibere. Sic illi visum fuit, vigente pædagogia Legis (vt loquitur Apostolus. Gal. 4.) seruis non solùm ea quæ hîc vel illic dicerentur aut fierent, sed etiam futura, patefacere, quatenus ipsorum opera ad hoc vel illud vti volebat. At hoc ego pernego cuiquam vnquam datum fuisse, vt vel cogitata hominum, vel cuncta præsentia dicta factáue absentium nossent, sed duntaxat quibus & quoties libuit ea demum singularia patefecisse, quæ nosse illos ad certum finem oporteret. Testis eius rei esto ille ipse Propheta Elisæus. 2. Reg. 4. 29. & Nathan quoque, coactus postea reuocare quæ, non satis compertam habens voluntatem Domini, ex sese deprompserat. 2. Samuel. 7. 3. & 5. Et quum Elias omnia perdita & deplorata in Israël existimaret, an nō satis ostēdit sibi non omnia fuisse diuinitùs reuelari solita? 1. Reg. 19. 10. & 18. Quum autem de cœlesti gubernatione quæritur, siue quid quis in cœlis gerat, quo tandem Scripturæ loco, quóve historiæ sacræ exemplo commercium istud imaginarium viuentinm hominum cum Spiritibus Sanctorum, qui, peracto vitę cursu à nobis vita excesserūt, explicatum, nedum comprobatum inueniemus? Nam quòd ad beatos Angelos attinet, docemur hoc muneris ipsorum fuisse, & etiamnum adhuc esse, vt mittantur & adhibeantur ad ea quæ visum est Deo per eos efficere, sed inde non sequitur, audiri & sciri ab illis omnia quæ Deo placent. Nec etiam inuenietur vllum aut

mandatum ipsos inuocandi, aut exemplum, ex quo constet eos vnquam ab vllo Dei seruo inuocatos, etiam quũ ipsis apparuerunt. Sed hoc quidem inuenitur, iampridem ab Apostolo reprehensam fuisse Angelorum inuocationem à superstitiosis inuectam, vt & ipsorum syderum quam Theurgiam veteres magi vocabant Coloss. 2. 18. Præterea videamus quænam sit huius Sanctorum inuocationis origo tam putri fundamento subnixæ. In summa fundamentum eius duplex est: nempe ipsorum Sanctorum Merita, & credita eorundem Intercessio. De Intercessione postea viderimus. Ad merita verò quòd attinet, vnde tandem petita sunt? Minimè profectò ex Sanctis Scripturis, in quibus merita directè opponuntur gratiæ. Rom. 4. 1. Sed etiamsi concederem aliqua fuisse Sanctorum merita, & illos Sanctos viros eam præstitisse Legis obseruationem in qua nihil desiderari posset, an non abundè pro iis quæ promeriti fuerint satisfactum illis à Deo fuerit ea quam retulerint mercede? vitæ nimirum æternæ præmio, ex illa fœderis Legalis formula, Hæc fac & viues? Vnde igitur hoc totũ est quod de meritis illorum superesse dicitur, quod thesaurum Ecclesiæ inexhaustum isti vocant? & cuius tãta & tam quęstuosa quotidie instituitur nundinatio? Quòd si Sancti illi Dei homines tantum habuerunt meritorum, vt exhauriri non possit quod ex illis superest & redundat, quid illis opus fuit meri-

tis Christi? Scilicet hoc illis meritus fuerit Christus, vt ipsi tum sibi tum aliis omnia bona possent promereri. Insuper, cui, vbi & quando hæc ipsa sua merita distribuendi prouinciam mãdarunt? Quis id ipsorum nomine pepigit & pactis solẽnibus cõsignauit? Præterea, si verum est, sicuti in scholis docetur (& certè verum est) meritum Domini nostri Iesu Christi (quod vnicum nos quidem agnoscimus) vim illam suam infinitam à diuina natura in qua eius Humanitas vnione personali subsistit, obtinere: quinam hæc ipsa vis tribui poterit Sanctorum meritis, etiam si de ea detrahant quantum velint, quin aliquam etiam diuinitatis speciem ipsis attribuant. Et quid est aliud, Adorare creaturas, quàm ipsis vim supernaturalem, diuinam denique tribuere? Putà vim conseruandi animam & corpus, dæmones abigendi, Sanctificandi Spiritum, imò verò etiam delẽdi peccata, quod ne cæci quidem Iudæi ignorarunt vnius Dei proprium esse? Luc 5 21. Quid igitur de illorum aqua tam stulte exorcisata, de sputo, de cereo benedicto, de pane consecrato, & ipsorum Agnis Dei quæ vocant, & innumeris eiusmodi nugis censebimus? quis denique Chrismatis horribilem adorationem, id est illud, Aue sanctum Chrisma, toties & tam expressè in ipsorum ceremoniis repetitam, excusare poterit? Quis nõ miretur homines sese in genua prouoluentes, crucem ligneã aliáue ex materia etiam, ipsam, ipsam, inquam, illam materiatam, Spem vnicã suam

appellando ſalutare? Nec enim hîc locus eſt ipſorum tergiuerſationi, quòd videlicet ea non dicantur ipſi Cruci, ſed Ieſu Chriſto cuius crucifixi imago in ipſa expreſſa eſt. Nam planè contrarium apparet ex his ipſorũ verbis, O crux aue, Spes vnica, Hoc paſſionis tẽpore, Quo carne carnis conditor, Suſpenſus eſt patibulo. Et quid amplius? Poteſt ne beata virgo Maria Regina cœli vocari, quin hoc regnum diuidatur? Domina item noſtra, quin ſocia & conſors Regni vni Domino adiungatur? Vita quoque Spes & Dulcedo noſtra, quin apertè in ipſo Deitatis throno, ſicut etiam ab iſtis coronata & ſedens pingitur, collocetur? Sed (ô blaſphemiam omnium quas vnquam os humanum euomuit maximè horrendam) poteſt-ne ab ipſa peti, quin Ieſus Chriſtus de ſede ſua deturbetur, vt quod ad perſonam patris attinet illum oret & interpellet pro nobis, ad Filium verò Ieſum Chriſtum quod attinet, vt iure & auctoritate matris ipſi imperet? Et tamen iſta non ſolùm dicantur, ſcribũtur, ſed etiam magnis cum clamoribus & vlulatibus in ipſorum templis quotidie perſonant: & qui hæc auſit reprehendere, ſtatim pro intolerabili hæretico cenſetur. Concludo igitur in ea Eccleſia tot falſos Deos coli quot in ipſa creaturæ inuocantur & coluntur adoratione religioſa, hoc eſt quæ directè conſcientiam & cultũ diuinum ſpectat, vni ſoli Deo, Patri, Filio & Spiritui Sancto debitum: & quot ſunt templa & altaria creaturis dicata

& consecrata Quinam igitur ea fuerit vera & vnica Ecclesia Catholica?

Falsatio secundi præcepti. Hoc primo mandato quod aliis omnibus vice fundamenti substratum est euerso, quid de aliis statuendum est? Quod ad secundum præceptum attinet, quo duo capita continẽtur & expresse prohibentur, vnum, ne religionis causa, creaturæ vllius, quæcunque tãdem illa sit, imago aut effigies fiat: alterum ne cultus aliquis ipsis tribuatur, non dicam de hoc præcepto idem quod de superiore. Nam quòd ad primum attinet, vlteriùs ipsi progressi non sunt quàm vt ipsum reipsa violarent, quanquam vt Dei manu scriptum reliquerunt. Sed quòd ad hoc secundum attinet, quum satis intelligerent illo manente omnino futurum vt imagines, picturæ & statuæ corruerent, ita ipsum cum primo miscuerũt & confuderunt, vt tandem totum è medio sustulerint, Audacia sanè intolerabili & sine vlla excusatione execranda, quum ipse Dominus qui veluti propria manu, absque vlla videlicet opera humana istud præceptum sicut & cætera tabulis illis insculpsit, declaret ne minimum quidem Legis Iota vel apicem expungendum esse, Matth. 5.18. Itaque flagitium istud quo præceptum hoc secundum è numero cæterorum penitus sublatũ est, omni excusatione caret. At enim (inquiunt) ex Sacrorum Bibliorum contextu præceptum illud non expunximus. Fateor. Sed quum in communi præceptorũ diuinorum recitatione,

ne, quam vnam plebs audit, sit deletum, quid prodesse potest, quòd in contextu Bibliorum extet, nisi quòd Dei prouidentia voluit istorũ audaciam & impudentiam hinc conuinci? Ipsius autem præcepti apertam & omnium oculis expositam violationem quînam excusauerint, quum omnia ipsorum templa, sacella, plateæ, angiportus, tum in vrbibus, tũ in agris, nihil aliud sint quàm nidi & theatra quædam omnis generis imaginum? Nouimus tamen egregias ipsorum exceptiones, sed quæ vel minima huius præcepti vocula eliduntur. Huius enim præcepti verus sensus, præterquàm quòd ex seipso satis clarus & perspicuus est, vnde tandem potest meliùs colligi quàm ex eo quod passim in Ecclesia Christiana plus quàm ter centum annis fuit obseruatum? Imagines, inquiunt, libri sunt idiotarum. Ecquid verò docere possint Ecclesiam isti doctores surdi, muti, inanimati, in Ecclesiã aduersus Domini expressum interdictũ introducti, qui nõ solùm imagines coli vel adorari, sed etiã fieri, nẽpe conscientiæ siue vllius religionis causa vetuit? Experientia verò ipsa tandem ostendit cur Dominus hoc pręceptum in duo capita distinxerit: primùm quidem fieri imagines, deinde illas coli prohibens. Quum primùm enim introduci in Ecclesiam cœperunt imagines, diu iudicatũ est nullum ipsis honorẽ deberi. Aperta verò idololatrię ianua, sophistæ fautores eius sceleris cœperunt pro ipsius defensione docere,

honorem istum exhibitum imagini siue statuæ, non ei, sed archetypo idest ei exhiberi qui imagine repræsentaretur. Falsò id quidem. Nam si ita esset cur propensiore veneratione in eiusdem Sancti Vnam imaginem potiùs quàm alteram ferretur idololatrarum animus? Etsi verò eiusmodi esset qualem illi esse dicunt istorum scopus, quid aliud respōdent quàm imaginem non coli, sed eum cuius ea est imago? Loquor de vérè Sanctarũ & Sanctorum quos vocant imaginibus. Quis autem dicere ausit, quin statim mēdacij à tota scriptura coarguatur, virginem Mariã vel Apostolos, ac proinde alios qui sanctè in terris vixerunt homines, si hodie in terris agerent, passuros vt quispiam coram ipsis Religionis causa in genua procideret? candelas ipsis offerret? thura incenderet? merita ipsorum prædicaret? quum ab istis omnibus eos alienissimos fuisse, omnis ipsorum tum doctrina, tum vita testetur? Taceo illos egregiarum illarum statuarum, quas Dominarũ nostrarum appellatione dignantur, ornatus, quos modò hybernis, modò æstiuis vestibus induunt, sertis, puppis exornãt. Omitto item sacras illorum virgines in meretricum modũ compositas & ornatas, equos, asinos, canes, porcos quibus promiscuè inter illos Sanctos onusta sunt ipsorum altaria, cereos itidem & lampadas coram cæcis statuis ardentes, & cæteras eiusmodi veras & inexcusabiles idolomanias: quæ tamen omnia præclaro nomine

ne deuotionis ab illis tegi solent, Eheu! Domine vsque quò?

Quòd ad tertium præceptum attinet, quũ Iusiurandum sit illa clientelæ & religiosæ reuerentiæ pręstatio, qua hominum conscientiæ vni Deo Domino suo non solùm vt præsenti, & res etiam occultissimas probè cognoscenti: sed & tanquam iudici, & omnis mendacij vindici obstrictæ sunt: quum, inquam, in iureiurando magnus ille & solus Deus viuens, quasi in solio suo collocetur, & vt solus veritatis hominibus incognitæ iudex constituatur: quis negare ausit toties idololatriæ reos esse homines, & toties ab ipsis quantum quidem in ipsis hoc situm est, Diuinæ Maiestatis imminui dignitatem, quoties iusiurandum per creaturas, vel summas, vel medias, vel infimas, aliáue mentis humanæ figmenta, concipitur. Iurare siquidem nõ solùm est Deum testem in genere & simpliciter appellare, sicuti licet, vel creaturas sensus expertes Deut. 32. 1. & Esa. 1. 2. Sed eũ per quẽ iusiurandum concipitur, tum testem tum etiam iudicem eius conscientiæ qui iurat religiosè inuocare, qui quidem honos vni Deo debetur. *Falsatio Tertii præcepti.*

Vt ad quartum præceptum accedamus, constare arbitror inter Christianos theologos, illud, quatenus erat ceremoniale, abrogatum esse: At non ita vt in locum diei septimi, dies Dominicus, sic vt illud Iudaïcũ sabbathũ, obseruetur (sic enim corporis aduen- *Falsatio Quarti præcepti.*

tu & exhibitione reali non esset vmbris legalibus finis impositus Coloss. 2. 16. sed dies duntaxat mutatus) sed vt quemadmodum creationis mundi sex diebus absolutæ memoria septimi diei Sanctificatione primùm celebrabatur: & tamē postea Deo iubente in memoriam liberationis Ægyptiacæ mēsium ordo & anni inchoatio mutata fuit, ita, nouæ quasi creationis secundi mundi, quē Prophetæ appellant cœlum nouum & terram nouam Isa. 61. 17. & 66. 22. & qui verę illius lucis resurgētis Domini exortu initium cepit, recordatio renouetur, & eo die recurrente quem Dominicum appellant celebretur, hac peculiari de causa quod ad vsum eius præcipuum attinet, à cæteris veluti iam inde ab Apostolorū temporibus solennioribus & frequētioribus Christianorum cœtibus distincto. Vt autem Christiani eo die à suis quotidianis laboribus abstinerent præter id temporis quod in cœtu ponebatur, id neque illis Apostolicis temporibus mandatum, neque priùs fuit obseruatū, quàm id ab Imperatoribus Christianis, ne quis à rerum sanctarum meditatione abstraheretur, & quidem non ita præcisè sancitum fuit. Sed quid si totum illud in veterem Iudaismum iamdiu degenerauit, adeò quidem vt si quis die Dominico officinam aperuerit aut semel incudem malleo ferierit, tantum nefas & piaculum istud habeatur, vt inde commoueri vniuersam ciuitatem oporteat, non item si lusum, si in

in ganeo potatum aut ſcortatum fuerit. Hæc enim iam pridem in morem abierunt. Et quaſi exercitium Chriſtianorum in eo poſitum ſit, vt ſub ſpecie diuini cultus otientur, non ſufficiebãt 52. dies dominici, ſed tot dies feſti ſcilicet addẽdi fuerunt, vt ampliùs quàm tertia pars anni in otio & eiuſmodi feriis tranſigatur. Sed demus illa eſſe correcta, ac penitus etiam deſiiſſe, an nomen Domini vel die Dominico vel aliis diebus feſtis ſanctificare, vel memoria magnorum & ſanctorum virorũ (mitto quales fuerint magna ex parte qui in eorum Kalendariis inter Sãctos relati ſunt) celebrare, idem eſt atque idololatria & blaſphemiis, qualibus totus ipſorum cultus diuin⁹ cõſutus eſt, dies illos cõtaminare?

Falſatio quinti præcepti.

Quod ad præceptum attinet colendi parentes, quorum nomine continetur omnis ſuperior legitima poteſtas, an negare auſint iſti quin illa ipſa Phariſaica traditio, qua olim Dominus declarauit hoc præceptũ adeò impudenter fuiſſe violatum, iſtis fuerit ludus per quem Ducatus, Comitatus atque adeò Regna callidè inuaſerũt? Turres iſtas ingentes extruxerunt? innumeras denique familias locupletiſſimas ſunt deprædati? Si piget ſuper ea re antiquitatem cõſulere, ſaltem gratuitum illud ſtudium, quod ad *Gratis* iuuãdos omnes offerunt iſti qui poſtremi exorti nomen Ieſu cunctis verè Chriſtianis commune ſibi tam falsò & impudenter vendicant, aperiat cæciorum oculos, vtpote qui gratuitis il-

lis suis operis quas venditant, dum nihil petunt, & omnia accipiunt, quadraginta plus minus annis ampliores reditus, & omnis generis opes sibi ampliores quàm bona pars Hospitalium Galliæ, quæ vocant, possideat, corraserunt. Quid verò sentiendum est de ipsorũ immunitatibus & priuilegiis quibus sese ordinariæ magistratuum cognitioni & potestati exemerunt? quid de potestate & auctoritate ab Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Curatis in Regum magistratus, maximè verò ab egregio isto Episcopo vniuersali in Imperatores, Reges & principes vsurpata? tantùm abest vt soluat tributum ei cui debetur tributum exẽplo Iesu Christi, & eius cuius sese successorem iactat, quum ipsum non pudeat bonam Italiæ partẽ atque adeò ipsam vrbem caput Imperij Romani, patrimonium eius vocare qui se neque aurũ neque argentum habere testatus est. Act. 3. 6.

Falsatio Sexti præcepti. Quòd si de sexto præcepto quæratur in quo de homicidiis statuitur, quînã apertiùs violari potest quàm asylis ipsorum & priuilegiis quibus sibi arrogant etiam sceleratissimis reis & sontibus gratiam pœnæ, numerata pecunia, facere, illo inexcusabili Clericaturæ quam appellãt abusu? Præterea qui inspiciet editum in lucem libellum nundinationum Cãcellariæ Romanæ, inueniet quatuor ducatis Cameræ parricidiũ & matrimonium æstimatum. Causam istius impunitatis si roges, nò pudet eos proferre quod sui veri patres

tres Pilato respōderunt, Nobis non licet interficere quēquam, quum interim coegerint illi Pilatum hunc ipsum Regem de quo nunc ago, cruci affigere, sicuti idem hodie persuadent ij Regibus & Principibus, vt eundem in miseris suis membris crucifigant: & quidem certè fateor nullam ad illos pertinere neque iuris in foro dicūdi, neque in cuiusquam caput animaduertendi potestatem? quòd ista disertè distinguatur à verbi ministerio Luc. 12.14. & 22.25. & Ioan. 8.10. & 2. Timoth. 2.4.

Falsatio Septimi praecepti.

Quod ad septimum præceptum attinet in quo de sancti cōiugij castitate cauetur, nolo hìc immorari in commemorandis illis horrēdis libidinibus, quas neque Sol intueri neque tenebræ noctis tegere, neque terra sustinere amplius possunt, omnes, Deo conditore suo tempore illas exauditur, pœnas reposcunt. Sed excipiēt ista sibi quoque displicere. Scilicet. Quis enim nescit? quis nō videt? quis non intelligit? ipso non sensu manifestè deprehendit, omnem hanc nefariarū voluptatum spurcitiem, tantam quanta nusquā gentium extitit, nec extare possit, adeò effusè in Ecclesiam irrupisse per ianuam egregij illius voti cœlibatus, quod interdictum Apostolus meritò doctrinam dæmoniorum appellat? 1. Timoth. 4. 2. Scio quid ad ista soleant excipere, Sed ô cœlum, ô terra, ô infinita millia stuprorum, scortationum, adulteriorum, nefandissimorum concubituum, ô iura diuina & humana funditus euersa, adeste, & nobiscum

apud Deum & homines tam immanium & horrendorum patratorum flagitiorum, & quorum patrãdorum nullus adhuc finis eſt, vindictam expoſcite. Sed fingamus iſta clàm fieri & ignorari, quæ eſt iſta tam impudẽter, noſtro tempore vſurpata licentia, auunculos & neptes conſanguinitate iunctos legibus coniugalibus ſoluendi? Hoc enim flagitium nõ ſolùm lege diuina prohibetur etiã quum intercedit duntaxat affinitas, ſed ab ipſis quoque prophanis gentibus tam expreſsè damnata eſt, vt quũ tale quidpiam auſus eſſet Imperator quidam Romanus, vix vnus ſit repertus quem exemplũ illud imitari non puderet. Et tamen quum iſtis religioſis patribus placet matrimonia ad ſeptimum vſque gradum collateralium inhibent. Heus! Domine vſque quò?

Falſatio Octaui præcepti. Quod attinet ad præceptum quo furta prohibentur, mirum fuerit videri poſſe ab ipſis non fuiſſe violatum qui vitam ſolis ſacrilegiis, nempe pauperum bonis ſuſtentant: vtpote quæ ſoli ſicut ipſis lubet adminiſtrãt, nulli ad reddendam adminiſtrationis ſuę rationem obſtricti.

Falſatio Noni præcepti. Idem dico de penultimo pręcepto, in quo de falſo teſtimonio cauetur, quum nulla re grauiùs & ſceleratius violetur, quàm ſacrarum vtriuſque teſtamenti tabularum corruptione.

Falſatio Decimi præcepti. Denique vltimum præceptum quod aſſurgit vſq; ad radicem vitij intra nos inſiti, & à quo

& à quo vno testatur Apostolus sese quæ vis sit peccati cognouisse. Rom.7.7. an potest apertiùs violari & expungi, quàm quum docent nec intellectum, nec voluntatem hominis esse planè venundata sub peccato per originis peccatum? sed aliquam in nobis ad verum & bonum dispositionem remansisse, vnde postea merita illa sua ex congruo & præparationis eliciunt? Deinde quum docēt opere ipso Baptismi, atque adeò aspersæ aquæ virtute, si non penitus, saltem ex parte peccatum originis ita deleri vt Turcæ vel Iudæi puer baptisatus, moriens antequam attigerit ætatem qua discrimen boni & mali noscitur, seruetur? & quòd ad omnes baptisatos attinet qui ad ætatem adultam perueniunt, id quod in ipsis ex veteri corruptione remanet, non habere rationem peccati, sed duntaxat fomitis sub cinere ad nos exercendos latentis?

Quod autem attinet ad alteram speciem Legis in qua de externo diuino cultu statuitur, planè contraria via, ad eundem tamen finem tendente processit erroris Spiritus. Abrogata siquidem Lege morali, quam tamen perpetuam esse oportuit, è contrario rationem iniit qua ceremonias quibus à Christo finem impositū esse nouerat, restitueret: idque planè mirabili astu, & quo prudentissimos etiam fefellit. Nam si persuadere apertè voluisset, aut restituendum Iudaismum, aut Paganismum retinendum, statim fuisset re-

Species alia horrēdæ falsationis Legis ceremonialis.

clamatum. Quid igitur? nempe suggessit minimè malis nonnullis, nimiam cultus diuini, tum in ministerio verbi, tum in administratione Sacramentorum, simplicitatem parere contemptum, & propterea optimum fore si ritus nonnulli, qui quidem non essent ex essentia doctrinæ aut Sacramentorum, sed quibus religio magis commendaretur, & homines attentiores & religiosiores fierent, abhiberentur. Id verò quum quadam erroris efficacia persuasisset, tum illud addidit, si quę ceremoniæ Legis, non Iudaizandi, sed boni duntaxat vsus causa, obseruarentur: item si sobriè & absque vlla idololatriæ vel superstitionis specie, aliqui ritus vsurparentur, commodam fore eam rationem Iudæos & idololatras ad veram religionem pelliciendi. Hinc manarunt aqua lustralis, pilei quadrati, Ephod lineum, & pleræque vestes Sacerdotales, tonsuræ ad coronæ instar aptatæ, cantiones, altaria, distinctiones dierum & ciborum, cũ omni operosissimo apparatu totius illius præclari officij diuini quod appellant. Quasi verò Deus ceremoniis Legalibus, quarum ipsemet auctor erat, finem imposuerit, vt ius tribueret non Apostolis (qui nihil horum neque constituerunt nec vsurparunt, sed potiùs veram & synceram simplicitatem tum in doctrina tum in Ecclesiæ gubernatione stabilierunt & tantopere commendarunt) sed post aliquot tempora ipsorum successoribus, ad retinenda vel constituenda quæcun-

quæcunque ipsis in mentem venissent. Si hęc inficientur, res ipsis oculis patet, si ab ipsis vsurpati ritus cum Mose & historiis prophanis conferantur. Ned desunt illis fateor, ad istarum ceremoniarum quasi Apostolicarum defensionem libri confisti, quos proferant: sed tam crasse & tam ridicule scripti, vt non aliunde quàm ab iis ipsis petenda sint nobis argumenta, quibus falsitas illorum coarguatur. En igitur quemadmodum iusto Dei iudicio Spiritus erroris sancta etiam Dei Lege ad perniciem hominum est abusus, ídque specie & prætextu ipsius tuendæ & ad verum vsum applicandæ. Res sanè miranda quomodo hominum mentes eò vsque stuporis sint redactæ, vt ne tangi quidem hoc vlcus sustineant, nedum vt remedium aut quærant, aut oblatum recipiant.

Et est quidē mirum, quòd ex singulis Legis mandatis nullum sit quòd non audaciùs inter Christianos, quàm in Synagoga Iudęorum, detortum & deprauatum fuerit, teste reprehensione quam sigillatim & per partes Legislator ipse persequitur Matth. cap. 5. & 7. Sed lōgè grauiùs in eo peccatum est, quòd ipsius Legis vsus & scopus funditus est euersus, quem tamen tam acuratè Paulus asseruit & demonstrauit, in epistolis præsertim ad Romanos & Galatas, qua de re ne dubitari quidem potest sine summo & inexcusabili eorum probro qui Christiani fidei Magistri dici volunt. Cæterùm vt paucis dicam om-

Alius horrendus abusus, Legis & Euangelii sublato discrimine, vnde fit vt homines in ipsa morte vitam quærant.

nia, Lex nobis vel inuitis quid Deo, quid proximo debeamus ostendit, quod debitū nemo vnquā potest persoluere. Causa huius rei est quòd semel vniuersum genus humanum nō soluendo factum fuit originali corruptione, quæ tamē ipsum neque à debito neque pœna, ipso legali fœdere sancita, nempe morte æterna liberat. Si quis enim existimat Deum non soluta penitus & perfectè pœna, culpæ debitum remittere (quamuis non à nobis, sed à fideiussore nostro illam satisfactionem exigat) is Deum perfecta sua iustitia orbatū, in hominē transformat. Meræ igitur & quidem inexcusabilis stultitiæ est quærere salutem animæ in mortis obligatione, hoc est in Lege morali, quæ condemnationem nostrā arguit, neque aliter nobiscum agere potest quàm ipsius formula patiatur. Et tamen hoc est fundamentum eius spei quā isti sitam esse volunt, partim in cuiusque vel in alterius cuiuspiam meritis, quæ postea numerata præsente pecunia, isti miseris conscientiis dispēsant: nempe vt homines in sese frustra quærant quod in vno Christo inuenitur, qui solus pro nobis abundè satisfecit, peccatis nostris super lignum sublatis. 1. Petr 2.24. & pro nobis omnem iustitiam impleuit. Matth. 3. 15. Gal. 3. 13. & 4. 4. Et tamen hæc est medulla, hic scopus, hæc summa, quod ad nostram salutem attinet, Theologię Ecclesiæ Romanę, non illius veteris quā Paulus tātopere commendat

mēdat ſed nouæ & Antichriſtianæ nunc re-
gnantis.

Supereſt vt agamus de deprauata altera parte Verbi diuini præcipua, de fœdere nimirum ſalutis in vno Ieſu Chriſto patribus quidem promiſſo, tandem autem exhibito, primùm quidem Iudæis quibus ſeſe præſentem & viſibilem præbuit: deinceps verò cæteris quoque nationibus Apoſtolorum & aliorum miniſterio ab ipſis huc & illuc dimiſſis. Et hoc quidem eſt fœdus, Euāgelium Tit. 1.2. & 3. ideſt bonum & ſalutare nuncium appellatum. Sed hanc tractationem vtpote cuius explicatio multum tēporis requirit proximę concioni ſeruabimus. Intereavero, Fratres, gratias agētes Deo & patri noſtro quòd ſingulari gratia viſum ipſi fuerit oculos nobis ad eiuſmodi abuſus diſcernendos & fugiendos aperire: ſimúlque ab eo poſtulemus, vt nobis detur toto vitę noſtrę curriculo teſtari Spiritum eius non ſolùm in mentibus noſtris illuſtrandis, ſed etiam voluntatibus & affectibus noſtris ad eius obſequium inflectendis vim ſuam exeruiſſe: ne quò maioribus ab eo beneficiis affecti fuimus, eò ſeueriore pœna digniores, quod abſit, ſed potiùs ipſi magis ac magis in eius filio & vnico ſeruatore noſtro grati & accepti inueniamur, Amen, Deus omnipotens &c. *Exhortatio ad vſum huius doctrinæ.*

IN CANTICVM CANTICORVM HOMILIA TRICESIMAPRIMA.

Auxilium nostrum sit à Domino, &c.

Quod sequitur extat in Cap.3.vers.11.

11 Filiæ Sion exite & contemplamini Regem istum Solomonem, cum corona qua ipsum coronauit mater eius, die Sponsalium ipsius, & die lætitiæ cordis ipsius.

Quomodo Rex iste in hodierna illa Apostatica Ecclesia omnibus suis honoribus sit spoliatus.

AGendum nobis adhuc superest de eo quod nouissimo die Iouis explicare cœpimus, nempe vt nostris temporibus Rex iste gloria propria eo quod vel præcipuum est eius diadematis regij, planè fuerit spoliatus, id est eo quod ad eius Mediatoris munus pertinet, quod ab Apostolo Dei potentia ad salutem appellatur, Rom.1.16. Et ab Esaia brachium Iehouæ. Es.53.1. Est autẽ istud tanti momenti, vt nulla grauior inter homines controuersia moueri possit & ad cuius definitionem accuratiore consideratione sit opus. Illam igitur dignitatem, vel potiùs huius Regis maiestatem Mediatoris inter Deum & suam Ecclesiam, tribus potissimùm in rebus versari dico: nempe in regio simul & spirituali dominatu, summóque adeò in suo regno, in ipsum etiam peccatum & mortem imperio: deinde in eo veri, & vt maximè

mè propriè loquamur, ſolius prophetę, & arcani Dei de ſalute hominum enarratoris, munere: ac tertiò demum in æterni illius Sacerdotij functione. Nihil autem iſtorum ſaluum illi & integrum in hodierna Eccleſia Romana relictum eſſe affirmo: & inde conſequi minimùm omnium veræ & vnicæ huius Regis Sponſæ id eſt Eccleſiæ Chriſtianæ nomẽ ei competere: quod explicare conabimur, ſed paulò breuiùs, propterea quòd ea res copioſiùs in primo huius Cantici capite fuit à me diſceptata.

Primum de regia eius dignitate.

Ad iſtam enim diſputationem quum denuò nos iſta verba Regis coronati reuocent, & quum ea res nunquam nimis frequenter & perſpicuè declarari poſſit, in eam rurſum libentiſſimè ingrediar. Enimvero quod ad illud de quo dixi Regium imperium, nullo modo potuit violari, quàm totius domeſticæ familiæ deſcriptione noua præter & contra expreſſàm eius voluntatẽ compoſita & conſtituta, quibuſdã penitus ſublatis, & in earum locũ aliis conſtitutis miniſteriis, & quantum ad quaſdam ordinarias functiones attinet, ſic illis in ſpeciem retentis vt quiduis in illis functionibus prout ipſis libuit mutando, addendo, & detrahendo, omnia pertubarint, vſurpato ſibi iure diſpẽſandi, ligãdi, ſoluẽdi, & quidẽ abſq; vlla ad quẽquã prouocatione. Quod verò attinet ad ſummam eius propheticam auctoritatẽ, cuius ſpiritu veteres omnes prophetæ loquuti ſunt. 1. Pet. 1.21. & qui

ipſe poſteà coràm omnem Dei patris ſui voluntatem citra vllam exceptionem annũtiauit, Ioan.15. 15. quam poſt receptum ſuum in cœlos donec inde non quidem docendi, ſed iudicandi cauſa reuertatur, non deſtitit mũdo per fidos ſuos Apoſtolos, peculiari Sãcti Spiritus virtute illuſtratos, annũtiare. Ioan. 16.13. Act.20. 27. Gal.1 8. Eph.4 21.1. Petr.1.12. quinam apertiùs illa ſua dignitate ſpoliari potuit Ieſus Chriſtus, quàm corruptis iis omnibus quæ ab eo nobis annuntiata ſunt, tum addendis tum mutilandis quæcunque libuit, & albi in nigrum cõmutatione, atque adeo verſa in tenebras luce? vt ſcriptũ eſt Eſa. 5.20. Quid amplius? huius etiã volũtatis declaratione inter gẽtes & populos nota ipſis lingua inhibita? nẽpe ne (ſicut aiunt ipſi) legẽdis ſacris bibliis homines hæretici euadant, hoc eſt ne lux pariat tenebras & veritas mendacium. Quid verò eſt neque in regnum cælorum ingredi, neque pati vt alij eò ingrediãtur? Matt.23.13. & lucem ſub modio occultare Matth. 5. 11. ſi hoc non eſt? Supereſt tertiũ illud caput, nempe eius ſacerdotium æternũ, quod in duobus potiſſimum verſatur, in noſtra videlicet redemptione & interceſſione pro nobis. Hæc autem redẽptio duabus partibus continetur, noſtrorum videlicet peccatorum expiatione & noſtra ſanctificatione, quas agedum ſigillatim & per partes excutiamus. Primum igitur occurrit quod peccatũ originale vocamus, quod dupliciter conſiderari

rari debet: primùm in totius hominis corruptione, in qua huius peccati essentia quodãmodò posita est, qua de re postea à nobis disceptabitur, quũ de sanctificatione agemus: Deinde in eo quod cũ illa corruptione cohęret, idest reatu cuius respectu nascimur filij iræ ab ipso matris vtero Ps. 51.7. Rom. 5.14. & 18. Eph. 2.3. Ad hæc accedunt fructus ab execranda illa radice pullulantes, qui nos peculiariter morti æternę obstringunt, quę radix sic est in regeneratis, de quibus posteà agemus, virtute S. Sancti emortua, vt nihilominus repullulascere non desinat, quamquã non eodem quo antea ad extremum effectu, perpetuo sic vigente certamine inter istam carnem, (id est reliquias originalis vitij) & Spiritus Sãcti diuinam in nobis & efficacem virtutem Gal. 5.17. quod certamen graphicè nobis depingitur ab Apostolo, Rom. 7. vbi eius in seipso exemplum statuit.

Si quis igitur ab istis Doctoribus de quibus hîc agimus quęsierit, quomodo originalis illius vitij fructus nobis cõdonentur: nobiscum respondebũt morte & passione Domini nostri Iesu Christi istud nobis præstari. Sed si vlteriùs progressus fueris, & huius responsi declarationem postularis: tum sese manifestè prodit anteà simulatus iste Spiritus mendacij. Is enim vnus & verus author est quarundam distinctionum, quibus præclara ista prior responsio tota euanescit: nempe illius primùm distinctionis in-

Falsa distinctio inter peccata venialia & mortalia.

ter peccata mortalia ideſt quæ mortem ęternam merentur, & venialia, id eſt quæ temporariam tantùm, vt aiunt, pœnam merentur, à qua facile abſolui poſſit aliquis, vel contritione quadam ſeu compunctione cordis, aquæ luſtralis aſperſione, Epiſcopali benedictione, & id genus aliis fictitiis & commẽtitiis rebus. Ex qua verè & neceſſario ſequeretur eiuſmodi peccata, minimè mortis & paſſionis Domini remedio eguiſſe, ſiquidẽ hoc malum ea pœna minimè vindicandum fuit ne in eo quidẽ à quo fuit admiſſum. Sic igitur boni iſti medici, loco purgantis medicamẽti, quo vno vitiũ illud tollitur & ſine quo mortale eſt omne peccatum, miſeras cõſcientias obſtupefaciunt vt ſolent Empyrici medicamẽtis vti ναρκωτικοῖς quę ſtuporem & torporem ęgrotis inducant, ita vt omnem illis doloris ſenſum adimant. Eph. 4. 19. & ita intumeſcant quoad rumpantur falſa illa meritorum ſuorum & ſatisfactionũ opinione. Contra verò eiuſmodi errores docemur in Sacris ſcripturis omnia quidem peccata non eſſe ęqualia in ſeſe. Matt. 10. 11. Ioan. 19. 11. ſed quod ad pœnã peccato debitã generaliter cõſideratã attinet, quęlibet in Deũ offenſio, quinetiam & ipſa naturæ noſtræ corruptio & vel minimus animi motus, vel tantillum deflectens à lege, quæ ſpiritualis eſt, id eſt, quæ interiora potiſſimum ſpectat, etiamſi ne conſenſus quidem eum motum conſequatur. Rom. 5. 14. 12. 7. 14. mortis & quidem æternæ

pænam

pænā meretur. Rom.6.23. Sacerdos autē hic noster vnus ille est, qui maledictionē cui obnoxij eramus luendo totā eluit, idémque vnus ille qui tollit peccata mundi sine vlla exceptione. Ioā.1.29. qui est propitiatio pro nostris peccatis. Rom.3. 23. quæ ipse in sese super lignum tulit. 1. Pet. 2.24. pro iis videlicet quibus resipiscentiæ donum, 2. Timot. 2. 26. & fidei, Ioan. 6.44. & 45. concessum est: non quòd resipiscentia vel ipsa fides salutem vllomodò commereantur, aut satisfactionis alicuius locum apud Deum obtineant, (siquidem vita æterna merè gratuitum est Dei donum. Rom.6.23.) sed quoniam Deus constituit & cōcessit veram resipiscentiā & fidem: nempe resipiscētiam quidem rectā viā, qua vna ad veniam obtinēdam compararemur. Psal.51.12. & 29. fidem autem vt organū quæ veniam in Christo repertam percipiat, & ad vitam æternam conscientiis applicet, Ioan. 3. 16. In summa quodlibet peccatum natura sua mortale est, & contrà peccatum omne (excepto eo quod est in Sanctum Spiritum irremissibile) sola æterni nostri Sacerdotis oblatione semel facta, credentibus omnibus condonatur. Heb.10.10. & Rom.5.1.

Duplex est illorū posterior distinctio, vna, inter culpā & pœnā satisfactoriam, separatim cōsideratas: altera, inter peccata baptismum præcedentia, & peccata illum consequentia vtraque ad hoc excogitata vt Christi satisfactioni tantum detrahatur quantum me-

Falsa alia doctrina de culpa & pœna, & de peccatis ante baptisma cōmissis, &

de iis quæ post baptisma committuntur.

ritis ſuis volũt attribui quo errore nihil magis repugnans Ieſu Chriſti Prophetiæ & Sacerdotio fingi potuit, Pſ. 32.1. Boni igitur iſti doctores, peccata quidem baptiſmum præcedentia gratis omnino condonari fatentur, tum quoad culpam & quoad pœnam, adhibita tamen ſacræ aquę virtute ex opere quod vocant operato, & præterea infantibus, qui ante rationis vſum vita funguntur, certo deſignato loco, quem lymbum vocitãt, in quo exigua aliqua paradiſi voluptate perfruũtur, Sed quod ad peccata poſt baptiſma cõmiſſa, contendunt, culpa remiſſa, pœnam ſatisfactoriam ſoluendam ſupereſſe. At quo pretio? ieiuniis, eleemoſinis, dominicæ precationis & ſalutationis angelicæ demurmuratione, peregrinationibus, ſudationibus, & aliis iſtiusmodi auriculari cõfeſſione impoſitis pœnis. His addunt etiam venias, indulgentias & ſanctorum merita. Ergo ſaltē hac ratione, conſequimur etiam pœnæ in morte abſolutionem. Minimè gentium: ſuperſunt enim quæ ſunt in altero mundo flammis purgatorij luenda: in quibus anima conſtituta quum pro ſe mereri nihil poſſit, vnicum relinquit liberationis ab hoc flagrantiſſimo igne remedium, in ſuffragiis & bonis viuentium operibus, magna pręcipuè Miſſarum vi, & anniuerſariorum, adiuctis aquæ luſtralis aſperſionibus & aliis id genus infinitis. At quãdo tandem miſer ille liberabitur? incertum id quidem, vtcumque certum dierum & anno-

rum

rum numerum ſingulis peccatis mortalibus ipſi præſcribant. Quid verò futurum eſt, ſi quis fortè ſit iam liberatus, in cuius tamen gratiā temerè multæ & tam carò emptæ preces fundantur? nempe quæ eius cauſa inſtitutæ erant preces, aliorum lucro deputabūtur. Quid igitur Ieſu Chriſti ſatisfactio profuerit? nempe vt hæc omnia valeāt, homines autem ad tempus in igne purgatorij ardeāt, alioquin igne illo æterno inferorum perpetuò vſtulandi. Ipſe verò, ſummus ille indulgentiarum nundinator, quoties ipſi libuit, plura quam Ieſus Chriſtus mortuus præſtat: vt qui & à culpa & à pœna abſoluit, ſimulque Angelis mādat vt defunctorū è purgatorio quas ipſi viſum fuerit, animas educat. An verò ſupereſt adhuc aliquid deteſtabili* & oblationi Ieſu Chriſti magis repugnans? Omnino. Mendax enim ille ſpiritus iuſto Dei iudicio in eos qui tenebras luci & prætulerunt anteà, & etiamnum hodie præferunt Ioann. 3. 19. vlteriùs etiam progreſſus eſt iuxta Ieſaiæ prophetiam. Ieſ. 29. 10. & Apoſtoli 2. Theſſal. 2. 21. & 2. Timoth. 3. 13. Ita enim ſanctam illam Ieſu Chriſti oblationem factam oppugnauit, vt illam ſemel factā non ſufficere miſeris hominibus perſuaſerit, ac proinde reipſa & actualiter illam eſſe quotidie iterandā. Et quum ſacroſancta Domini cœna propriè inſtituta ſit, tum in primis vt magis magíſque myſticæ Ieſu Chriſti cóiunctionis & omnium eius bonorum ad ſalutem

æternam, participes fiamus, 1. Cor. 10. 16. tum etiam vt solemnem eius sacrosancti & vnici sacrificij semel peracti memoriã cum solenni gratiarum actione celebremus: eam cõtra Spiritus ille blasphemiæ in quotidianam, actualem, & realem eius ipsuis veri corporis Iesu Christi apud Deum Patrem suum oblationem, primi cuiusque inuncti & rasi in eum finem sacrificuli ministerio peragendam conuertit: & eam quidem prima illa ab ipso Iesu Christo perfectissimo & vnico Sacerdote sui ipsius in cruce facta oblatione efficaciorem: quum hæc quidem vt ipsi docent pœnam satisfactoriam non tollat, ista verò cuius ministri sunt ipsorum sacrificuli, quorum & doctrinam & mores omnibus sunt perspectissimi, satisfactionem tum pro viuorum tum pro mortuorum peccatis adimpleat. Et hoc illud est quod Missæ nomine nuncupant, vsque adeò profundè insita & impostorum & eorum qui decipiuntur animis, vt nulla vnquam post hominum memoriam, magis execranda blasphemia & sacerdotio & sacrificio Domini apertiùs repugnans: nulla pertinaciùs & crudeliùs propugnata extiterit.

Sequitur secundum nostræ redemptionis caput nimirum id quod Sanctificationis nomine appellatur, quoniam per eam naturali pollutione sensim euanescẽte, mundi esse incipimus & iustitiæ studere. Eadem etiam Regeneratio appellatur, Ioan. 3. 3. quod eius beneficio

neficio noui homines quod ad qualitates quidē animæ attinet euadamus, mēte nostra ad Dei notitiam & veritatis diuinæ studium diuinitus illustrata Eph.1. 18. & 4. 24. & Col. 7.11. Quemadmodū igitur homo nō à seipso, sed à sola Dei potentia & bonitate mundus initio creatus est, Ps. 100. 3. ita eadem illa & sola gratia nos renouari fatendum est, in eo nēpe qui nobis factus est sāctificatio. 1. Cor. 1.30. Huius igitur rei gratia, primùm tota illa naturæ humanæ deprauatio quam prior ille Adamus sibi & toti soboli sui attraxit, abolita est in carne huius nostri Sacerdotis & posterioris Adami, in vtero virginis per Spiritum sanctum concepti, vt cum eo fide coniuncti, in eo reperiamur ea tota naturæ integritate præditi, quam lex ab homine postulat. Rom. 8. 4. ídq; ex gratuita illius nobis donata imputatione. Deinde idē ille Iesus Christus nos sancto suo Spiritu ad se trahens, intra nos creat rectè volendi & rectè agendi facultatem. Philip. 2. 13. ad bona opera renouatos, quæ præparauit, vt in iis ambulemus. Eph. 12. 10. Ille igitur vnus est & solus Sacerdos fide apprehensus, in quo & penitus illius originalis vitij labes eluitur per ipsius integritatem nobis imputatā, & hac ipsa corruptione in nobis paulatim depereunte virtus illa spiritualis in nobis gignitur, reliquias huius pollutionis oppugnare nō desinēs, donec integrā & perfectā incorruptionem & gloriā toti, corpore & animo, extremo illo aduentu

Domini consequamur. Rom 1.24. Gal. 5.17. 1. Cor. 15. 28. quũ sua gratia in nobis sua opera coronaturus est, & omnia in suis omnibus futurus. 1. Cor. 15. 58. Phil. 3. 2. Tim. 4. 8. Hæc igitur est summa articuli nostrę sanctificationis, cuius arrhabonem in sancto baptismate habemus, aqua in nobis sanguinẽ illũ in remissionem peccatorum fusum efficaciter repræsentat, virtute S. Spiritus, veterem illum hominem in nobis abolente & eius loco nouum illũ creante, vt in dies incrementum accipiamus, Rom. 3. 4. Gal. 3.27. Col. 2. 12. 1. Cor. 3 21. At contra hæc omnia nostri aduersarij primùm præparationis merita proponunt quasi gratia præueniẽte quiddã nostræ naturæ nõ planè peccato mãcipatæ, sed duntaxat eneruatæ & debilitatæ, & aliquatenus etiã nunc liberæ ita vt concursus quidã sit istius debilis natę naturæ cũ gratia. Inde verò ingẽtem illam præclarorũ meritorũ copiam eliciunt, quibus referta habent horrea, quibuslibet, præsente pecunia, distribuẽda. Peccatum autem originale realiter ipsa exterioris baptismi aqua, verborum pronuntiatorũ virtute, cũ suo illo carismate & reliquis ceremoniis penitus deleri affirmant, quod ipsum quoque de omnibus peccatis baptisma (in iis qui adulti baptisantur) antecedẽtibus affirmant: siue qui baptizatur intelligat aut credat quid agatur & quid dicatur, dummodò nõ sint in peccato mortali, quod vocant,

vocāt. En quàm egregij ſint animarū medici boni iſti Doctores, ſiuè morbum ipſum, ſiue morbi remedium ſpectemus. Quantus enim & quàm lethalis ſit iſte noſter originalis morbus ſatis oſtendunt, quum illum tam leuibus, immo tam nullis remediis ab ipſis in morte conceptis & natis miſeris hominibus ſanari poſſe putant; ipſi aquæ, ipſi verborum ſonitui, ſuis denique omnibus commentis virtutem aſcribentes, quæ ne ipſis quidem Angelis attribui poſſit, quin iſta tam putida omnia in locum vnici, maximi, & æterni Sacerdotis ſubrogentur.

Quomodo vnius Mediatoris interceßio illic quoque abrogata ſit.

Supereſt illud de Interceſſione ſeu interuentione caput, qua ſeſe Chriſtus inter Deū patrem noſtrum & eos à quibus in Spiritu & & veritate colitur interponit, quod iſti boni doctores perinde exponunt ac ſi Ieſus Chriſtus in genua ſe apud patrem prouolueret, excipiendo preces noſtras ad ſimilitudinem principum huius ſeculi, qui ſuis quos vocant referendariis vtuntur, licet in hoc ipſo à ſe ipſis diſſentientes. Etenim in ſuis Letaniis non orant Chriſtum vt pro ipſis patrem deprecetur, ſicut quum reliquos ſanctos interpellāt, dicere ſolent, Ora pro nobis, ſed apud illum hac formula vtuntur, Miſerere noſtri. Neque id abs re: ſi ſatis noſſent quid agāt. Quum enim Ieſus Chriſtus dū in terris Sacerdotale ſuum munus obiret, tam ardentibus precibus nos Deo commendarit, ſimúlque totam Eccleſiam ad conſummationem vſque

ſeculorum: cuius rei luculentiſſimum exemplũ imprimis apud Ioh. 17. habemus: & omnino exauditus fuerit in omne tẽpus præſtita illa poſtea ab eo ſemel facta oblatione, ad plenam abolitionẽ eorum, quæ inter nos & Deum diuiſionem interponebant: nihil opus eſt vt nouas preces noſtra cauſa fundat: præſertim quum ſummam à Patre habeat poteſtatem, vt nos regat, nobíſque omnia neceſſaria ſuppeditet. Idcirco verò pro nobis intercedere dicitur quia virtus oblationis illius ſemper coram Deo apparet: tum etiam quòd preces omnes Eccleſiæ in hoc inferiore orbe adhuc verſantis, in eius nomen concipiuntur: in quo etiam vno reuera gratæ ſunt & ſanctificatæ per ipſius inter Patrem & nos interuentum. Ad hæc autem iſti, repudiata ſana quàm expoſuimus doctrina, totius Scripturæ teſtimonio confirmata, & qua exploſa dixi Chriſtum ab iis quaſi adhuc in genibus Mariæ puerulum, in relatorem transformari, ſubitò in contrariam ſententiam verſi conſiderata eius maieſtate & gloria, docent præſumptioni vertendum, ſi quis rectà ſeſe ad Dominum illum Dominorum & Regem regum conferat. Itaque primum omnium inquiunt, appellandi ſunt nonnulli qui nobis aditum ad eum patefaciant: non ſecus ac in aulis principium, Oſtiarij primum aut Cubicularij conueniendi ſunt, vel familiares regis, antè quàm nobis ad eum acceſſus pateat.

teat. At quales isti sunt ianitores? Tum hîc quisque suum studium sequitur in peculiari sibi aliquo deligendo patrono, præter illos vniuersales in quibus summum locum attribuunt beatæ Virgini, etiam materna filio ipsius imperandi authoritate illam ornantes. Hinc proferuntur varia merita & potestas his vel illis morbis curandis ipsis attributa. At quo tandem fundamento omnes istæ intercessionum species nituntur? Nullo certe verbo diuino, nullo Prophetarum, aut Apostolorum, aut alicuius id temporis exemplo: nulla rursus ratione: si quidem id fieri non potest quin quod soli Christi diuinitati proprium est, & quo sublato ipsemet Christus frustrà à nobis inuocaretur vt antea demonstrauimus, istis intercessoribus attribuatur. Nihilominus tamen hic horrendus abusus paulatim sese in Ecclesiam insinuauit, illius Spiritus erroris efficacia, quo dementes illi quondam Ieremiam oppugnarunt, illi suæ Reginæ cœli, vt isti suæ adhærentes. Ierem. 44.17. Ecquid verò, amabò, tantam veræ Dei inuocationis in Christianũ orbem deprauationem inuexit, quàm de nostri mediatoris erga nos beneuolentia dubitatio? At verò ecquid in cœlis est, vel in terris occurret, quod tam luculenta suæ erga nos dilectionis testimonia præbuerit? Nam ne preces quidem ipsas animo rectè concipere nouimus, nisi eodem nobis per Sanctum suum Spiritum præeunte Christo

Rom. 8. 25. nedum vt paratior aliquis esse possit, & ad opitulandum nobis propensior. Nullæ verò preces ab incredulitate aut à sola nostra imaginatione profectæ, siue recens excogitatæ sint, aut praua consuetudine receptæ, Deo gratæ vnquam esse possunt, Iac.1.6.& Ioan.4 22. Itaque nobis imprimis, sancta illa confidentia opus est, quæ sola Mediatoris veritate, gratuita dilectione, & potentia nititur, Hebr.10. 19.1.Ioan.2.1. ac proinde omnem illam turgidam nostri præsumptionē exuere iubemur. Atqui, inquiunt, inuicem alij aliorum causa precamur, quinetiam mutuas preces flagitamus, citra auctoritatis & dignitatis Iesu Christi solius mediatoris contumeliam & iniuriā; vel mutuis etiā precibus, vt pote iisdem circumsepti incommodis, ad quorum mutuam participationē charitate astringimur, & quæ possumus & debemus alij aliis ex verbi Dei præscripto & sanctorum Prophetarum & Apostolorum exēplis significare. Fateor. Sed quàm procul absūt ista ab eorū inuocatione, quorū animæ in cœlis residentes sua requie nobis incomprehēsibili perfruūtur, corpora verò in puluere, nobiscum extremū illum diē expectāt? Quum igitur superstites homines mutuas preces fratrum flagitant, non ideò illos intercessores constituunt, vel eos Iesu Christo veluti socios adiungunt, aut tanquam subalternos, quosdā Mediatores inter Iesum Christum & nos eos collocant; quod facere isti in suis

ſuis letaniis conſueuerunt: ſed coniunctis quaſi animis ad eundem Deum & patrem in illius ſolius & vnici & interceſſionis & redēptionis Mediatoris nomine, preces ſuas dirigunt. Hæc enim duo capita indiuiduo vinculo ſunt inter ſe deuincta, teſte Ioanne, Ieſum Chriſtum æquè patronum noſtrum, eo quo diximus ſenſu vocante, ac noſtram propitiationem, cum tacita omnium aliorū patronorum & propitiatorum apud Deum excluſione, 1. Ioan. 2 1. & 2. in quo nimirū vno & nos & omnes preces noſtræ, qualiacunque denique ſanctorum opera Deo grata ſint & accepta. Immò (inquiunt iſti) adijcere precibus noſtris conſueuimus, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Fateor. Sed quando tādem? poſtquam ſuos illi ſubalternos ſocios adhibuerunt, tam in horum vel illorum meritis quàm in indulgētiis & cæteris omnibus quæ ipſis libuit, (tantundem de redemptionis Mediatoris dignitate detrahētes) immò etiam poſtquàm non tantùm materno etiam iure extorquere ab illo quiduis ſtuduerunt, beatæ virgini imperium in Chriſtum attribuentes de quo abſit vt vnquam cogitarit. vt plenè ſint iſti non diſſimiles iis carnificibus qui in ædibus Pilati, Ieſum Chriſtum ornantes Prophetæ & Regis titulo colaphos & graues illi plagas impegerunt. Ioan. 19. 1.

Totius huius argumēti concluſio.

En idolum illud, Fratres, quod falſæ illius Eccleſię Chriſti appellatione dignātur: à qua

ſumus per diuinam miſericordiam eruti: vt verum & vnicum illum Ieſum Chriſtum agnoſcamus & colamus: verum Deum & verũ hominem, ſupra res omnes conditas, ſublimes, medias, infimas, in regno illo cœleſti & æterno ſupereminentẽ: à quo nobis tota patris de ſalute noſtra voluntas, fidelium ſuorum prophetarũ & Apoſtolorum ſcriptis eſt perfectiſſimè patefacta: ſolum & vnicum Sacerdotem æternum, illiúſque ſacrificij virtute, ſolum noſtrum & vnicum inter nos & Patrem tum redemptorem tum interceſſorem ad ſalutem æternam, in qua fide faxit Deus vt conſtanter viuamus & moriamur, vt aliquando vnà cum eo in cœlis beata illa immortalitate pretio ſanguinis ipſius nobis acquiſita perfruamur.

Quæ mater Regem iſtũ coronauerit.

Supereſt vt videamus de qua hîc demum corona mentionem faciat hæc ſponſa, & à qua dicatur hic rex noſter coronatus. Et cõſtat quidem per *Coronam* illam intelligi Maieſtatem illam & potentiam, Regia quâuis poteſtate ampliorem, qua coronatus dicitur Pſ. 8. 6. & exponitur Hebr. 2. 9. & Matth. 28. 18. Sed quænam tãdem iſta mater eſt quæ hoc diadema dicitur ei impoſuiſſe, quod ille à ſolo Patre petiit Iohan. 17. 5. tum quòd eius diuina maieſtas in forma ſerui quodammodo fuerit ad tempus exinanita. Philipp. 2. 8. tum quòd ſummum in vniuerſum orbem imperium illi, humanitatis ſuæ ratione conceſſum ſit Pſal. 2. 8. & Pſal. 110. 1.

qui

qui exponuntur ab Apoſtolo. 1. Cor. 15. 24. Eph. 4. 11. & Philip. 2. 9. Huius igitur loci diuerſæ ſunt interpretationes. Ommito illos nō tam ſpeculantes quàm apertè delirantes, qui non modò hunc locum, ſed etiam quicquid ferè in hoc toto Cantico de Eccleſia dicitur, ad virginis Mariæ perſonam & ſcribendo & pingendo accommodarunt, reuera quidem beatam illam ſupra cūctas pias & fideles fœminas, at non in eo demum in quo iſti ſuperſtitioſi homines eius beatitatem reponūt; quaſi videlicet Ieſus Chriſtus ſui imperij coronam matri ſuæ acceptā ferret, quū is ipſe ſit qui ex merè gratuita bonitate illam ſeligere dignatus ſit, ex qua carnem noſtram aſſumeret in vtero virginali ipſius cōceptus, & quatenus eā tanto gloriæ cumulo, quanto ipſimet viſum eſt, ornauit. Alij Matris huius nomine accipiūt ipſam Ieſu Chriſti humanitatem quę tanquam ipſius ſit mater quędam quatenus per eā homo eſt. Verùm ſi hoc interpretationis genus admittatur, conſequetur inaugurationem iſtam Regis ab humanitate profectam fuiſſe, quæ contrà in eo & ab eo coronata reperietur, qui perſonali ſua & hypoſtatica vnione eſt ipſam dignatus. Itaque mihi quidem videtur hoc in loco Ieruſalem huius Matris nomine intelligendam: vtpote quæ eius regni Metropolis, ac proindeveluti communis omnium in ea naſcentium, immò etiam Iudæorum mater eſſet, habita maximè Solomonis ipſius ra-

tione,qui in ea natus est,& Rex in ea constitutus, tum etiã pacis eius respectu cuius typus & ipse fuit. Quanquam enim Christus in Ierusalem secundùm carnem natus non fuit,sed in Bethlehem: in ea tamẽ regni possessionẽ iniit, Ps.2.6.ipsius etiã Pilati aliud agentis testimonio,Ioan.19.19.& 22.quemadmodum ab Esaia prædictum fuerat Es.2.3. & Mich.4.2. eum videlicet ex Ierusalem proditurum: nempe fore vt in ea nasceretur quòd ad sui regni cœlestis qualitatem attinet,quæ in instauratione & suæ Ecclesiæ administratione sita est, quemadmodum expresso postea mandato contigit. Act.14. & 12. Cæterùm præterquam quòd valdè verisimili fundamento nititur hæc expositio, magnæ insuper est ædificationis, si diuersè, sicut facto est opus,hęc corona & coronatio consideretur:Ierusalẽ enim typus Ecclesię in hoc orbe terrarum versantis, modo ad solos electos refertur, modò omnes eos qui in hac societate censeri volunt complectitur:illorũ autẽ nonnulli ad tempus ignoti sunt, cuiusmodi fuit. Paulus ante conuersionem inter Phariseos velut absc̃oditus etiã sibiipsi:ex altero hominum genere nonnulli quoque sunt ad tẽpus ignotę sordes bono tritico immixtæ, quoad Dominus eos excernat.Hęc igitur vera Sõpsa, quæ vt fert huius matrimonij spiritualis veluti natura, omnes homines, si fieri posset, sibi adiungi cupiens, vt omnes in vnũ corpus cum ea sub isto capite & Sponso coalescant,

lescāt, quosuis Hierosolymitanos inuitat, vt seriò, non autem leuiter & extrinsecus duntaxat, verum istum pacis Regem, illa sua Regiæ Maiestatis à communi omnium parente Ierusalem corona exornatum cōtempletur: quatenus quidem terrenus hic Solomon typus fuit veri huius regis & Spōsi, non autem quasi Maiestas illius Solomonis à sua Sponsa oriatur, est enim à Patre ipsius æterno: sicuti quadam etiam huius typi & veritatis analogia, terreni Solomonis ad regnū euectio ab incolis Ierusalē celebrata, ab illis tamen profecta nō est, sed ab instituto & mandato Dauidis, quod illi postea ratum habuerunt. Sed fortasse S. Sanctus per os Sponsæ loquens, tū veros Hierosolymitanos ad excipiendū tādiu expectatū hunc Regem inuitat: tam speciatim perfidos Hierosolymitanos cōpellans, idē illis quod Petrus Act. 2. 23. & 24. & 3. 13. & 14 & S. Stephanus Act. 7. 52. exprobrat, iuxta illud quod à Zacha. 12. 10. & Mat. 26. 64. prædictū fuit, ac si diceret Spōsa: Hic ille est reuera verus Rex pacis, gratus & acceptus & omni Maiestate à sua Ierusalem coronatus. Contemplamini eum quicunque vestri com modi & salutis studiosi estis Cęteri verò contemptores & in vestram ipsorum perniciem coniurati intuemini eum ad vestrū exitium. Vos eum à proditore emptū subornatis testibus dānastis. Vestris clamoribus seditiosis adactus Pilatus eū flagellauit, corona spinea per ludibrium præcinxit, in cruce denique su

ſtulit, Vos illum regem abiuraſtis: regiæ dignitatis titulum ipſius capiti impoſitum expungere tentaſtis: ſannis illum etiam è cruce pendentem appetiiſtis: eius ſepulchrum obſignatum obſtruxiſtis vt eius victoriam impediretis. Et ecce illum, vobis quamlibet crepantibus, Regem, omnibus in cruce aduerſariis, Satana, peccato, & morte ſuperatis, triumphantem. En illum ſupra res omnes conditas ad dextram patris euectum, inde ſuos omnes hoſtes ad pœnas æternas damnaturũ, & ſuos in perpetuum abſoluturum, ibi vos illum veſtro exitio conſpecturi eſtis. Nam illæ ipſæ quas à vobis pertulit iniurias viam illi ad illam ſummam gloriã ſtrauerunt, Luc. 24. 46. Hęc, inquam, ſpiritu prophetico impulſa Spóſa Hieroſolymitanis incredulis meritò potuit obiicere. Sed præter hæc omnia, vt hanc etiam Matris appellationem clariùs explanemus: quę de Solomone per matrẽ coronato hîc dicuntur, poſſunt etiam ad ea quæ in eius hiſtoria narrantur cõmodè referri. Eſt enim eius in regnum ſolium prouectio quaſi à matre profecta, quũ à Nathani monitu peropportunè Dauidi promiſſionis illius memoriam refricauit, qua ſe penès Solomonem, non autẽ penes Adoniam hoc diadema relicturũ receperat. Quod ſi hæc figura ad verum Solomonem adaptetur, tum planè fuerit eius regia dignitas tota Deo patri aſcribenda, quæ quod ad typum attinet, ad matrem quodammodo refertur.
Nec

Nec enim in ſimilitudinibus ſingulas partes vſquequaque inter ſe conuenire neceſſe eſt.

Quæ ſpõſalium eiustẽpora fuerint.

Supereſt illud etiam, de die *Sponſalium* & de magna huius Regis *lætitia* exponendum. Hac autem in re velim nos eius meminiſſe quod ſemel atque iterum in hoc Cãtico inculcaui: nempe in ſpirituali matrimonio, de quo hic agitur, tot in eo gradus eſſe conſiderandos, quot fuerũt huius Meſſiæ, per ſuæ volũtatis patefactionem, ad ſuam Eccleſiam acceſſus. Ad legem igitur vſque perlatam, fuerunt veluti ea quæ parua ſponſalia, id eſt, iuſtorũ & obligantiũ ſtipulãtiũ initia dicũtur, tempus autẽ legis promulgationẽ ſequutũ quæ fuit huius Sponſi veluti delineatio Sponſæ affulgentis. Heb.10.1.& Col.2.17. ſolennia ſponſalia refert, præcipuè in Templi extructione, & illa tam ſplẽdida Sacerdotij Leuitici diſpoſitione: deniq; ipſius Sponſi in mundum aduẽtu, re ipſa & verbis (vt loquuntur) de præſenti contractum fuerit hoc matrimonium, hoc diſertè explicante Apoſtolo Eph.5.25.& 29. noui fœderis cõtractu, ſacroſanctæ Cœnæ ſymboli appoſitione obſignato, vt ex eius inſtitutionis formula, & ex eo fine conſtat ad quem ſpectat, nempe ex corporis & bonorum huius Sponſi cõmunione. Eph.5 30.1.Cor.1.30.& 10.16. quamuis pleniſſima huius matrimonij cõſummatio quæ ad vitæ æternæ integram fruitionem ſpectat. 1. Cor.15.28. & 54. ad diem glorioſæ illius apparitionis. 1. Theſſal.4.16.& 17.& alibi pluribus

locis differatur. Et hic ſanè finis eſt, & hæc expectatio huius Sponſæ, non minore auiditate poſteriorem & vltimum illũ aduentum, cuius nunc arrhabonem habet expectans, quàm olim ſub aliis arris priorem illum expectauit. Ad quod igitur tempus potiſſimum hæc ſponſalia & iſtam lætitiam referemus? Certè quum hic Salomon filius Dauidis tanquam typus æterni illius Salomonis nobis hic proponatur, & illius initium in terrena Ieruſalem regnum hîc nobis repręſentet, verum illũ Salomonẽ poſſeſſionẽ cœleſtis Ieru ſalẽ ineuntẽ, dubitandũ nõ puto, quin vt con ſueuerũt de his myſteriis agẽtes Prophetę, ſo lemniũ illorũ Sponſaliũ tẽpus, quo ipſo con ſcriptum eſt hoc Canticum, hic propriè cõmemoretur: ſed ita vt cum ſuo typo nempe cum ipſa coniugij per Sponſi in carnẽ aduen tum celebratione, de qua dixi coniungatur, perinde ac ſi vnum idémq; foret vtrũque hoc tẽpus. Ac ſanè ea ſẽper fuit recta loquẽdi ratio de figuris & vmbris legis ceremonialis, qua videlicet populus, ad eorũ ſubſtãtiam & corpus quod in Domino noſtro Ieſu Chriſto cernitur reuocatum fuit, Col. 2. 17. & tota epi ſtola ad Hebræos: adeò vt qui neglexerunt hanc rationem & methodum, in eos inciderint errores qui tam grauiter Pſal. 50. & tam frequenter ab omnibus Prophetis arguũtur, atque adeò in Phariſaiſmum tantopere à Domino noſtro Ieſu Chriſto & ab Apoſtolis poſteà damnatum. Et certè hodie idem

error

errortum in Sacramentis à Iesu Christo institutis tum in fictis humanis ritibus admittitur. Denique Salomon diuina ista sui in suis Sponsalibus in sua terrena Ierusalem coronati, tractatione, sic coniuncta cum veri Salomonis Sponsalibus Spiritualibus in sua cœlesti Ierusalem ex omnibus orbis terrarum populis aggreganda, vt vnum & idem videri possint typus & veritas, satis declarat sibi probè fuisse perspectum non temerè promissionem de se factam Patri suo Dauidi, sic fuisse conceptam ac si Dominus de vna eadémq; persona & de vno eodémq; regno æterno ageret 2. Sam. 7. 14. & 1. Chron. 17. 13.

Cur dies ille, lætitiæ dies regis illius appelletur.

A Sponsa verò diem illum *lætitiæ diem cordis* illius Sponsi meritò appellari, constat ex effectis plusquàm admirandis. Nisi enim Sponsus iste cum incredibili voluptate, ex ipso suorũ hostiũ numero hanc Sponsam sibi delegisset, cur suã ipsius vitam pro illa acquirenda profudisset? Iohan. 15. 13. & Rom. 5 8. cur horrẽdum patris iudicium nostra causâ subiisset? Gal. 3. 13? cur ad mortem proficiscens tanto studio pro illa precatus fuisset? Ioan. 17. 20? Cur testatus fuisset se nihil magis in votis habere, quàm hanc ipsam sui ipsius oblationẽ, qua nostra peccata super lignum attolleret? Luc. 12. 50. Cur summum illum suum celebrandæ vltimæ cum suis discipulis Cœnæ desiderium tam ardenter esset testatus? Luc. 22. 15. quînam in illo agone, & inenarrabilibus animi angoribus

longè omnes corporis cruciatus ſuperantibus, teſte illo horrifico eiulatu, quo Sol perculſus lucere deſtitit terra cōcuſſa fuit, diſrupta fuêre ſaxa, pro iis à quibus cruci affixus fuerat precatus fuiſſet? Luc. 23. 30? & eorũ poſtea miſertus Act. 3. 17? qua quidem immenſa benignitate etiamnum hodię nos licet indigniſſimos proſequitur.

Exhortatio ad amplectendum magnum illum Regis beneficium.

Eia igitur, Fratres, quibus rurſum hiſ-ce temporibus Rex ille apparuit, vt nos diadematis ſui claritate, altiſſimis ignorantiæ & ſuperſtitionis, ſpeciem veræ pietatis præferentibus, tenebris immerſos illuſtraret, toto pectore ab eo contendamus, vt charitate illa infinita ſua impulſus ſupernè illius diadematis ſui gemmas nobis oſtẽdat, vt eius Regni potiundi deſiderium in nos accendat, quod nobis ante mundi iacta fundamenta præparauit Matth. 25. 34: petamus, inquam, vt hęc in animum noſtrum penetrent, vt extra nos abrepti defixis mentis oculis Regem illum noſtrum ibi contemplemur, vbi ſe nobis conſpicuum præbet, quem agnoſcamus, amemus, & quacunque nos via quantumuis aſpera & difficili deducere voluerit, indefeſſo curſu inſequamur, donec tandem aliquãdo ad perfectiſſimam ſanctiſſimæ illius coniũctionis cõſummationem perueniamus, in qua totus erit in omnibus ſuis. Amen.

Finis homiliarum in tertium caput Cantici Canticorum.

INDEX EORVM QVÆ IN CANTICVM CANTICORVM PLVRIBVS EXPONUNTUR.

A

S.j.

quo-

alle-

N

P.

Spon-

V

FINIS.

Errata ſic corrigito.

Pagina 1. *linea* 3. *lege Homiliæ, p.*4.*l.*1,*l.quidem, vt nauis, l.*5,*l.caſti in, p.*5.*l* 29,*l.perſuadentium, p.*7.*lin.*11,*ibidem in paragrapho l.*3,*l.hanc, p.*9.*l.*26,*l.Act.*17, *p* 11.*l.*10,*l. qua nobis,l.*24,*l.Ioan.*14, *p.*12.*l.*4,*l.conferamus, p.*13.*l.*2,*l.pſal.*45:*per, p.*14.*l.*13,*l.deſiderio, p* 17.*l.* 19,*l.adytum, l* 28,*l.veniremus, p.*28.*l.*24,*l.Geneſ.*17.*v.*17.*Rom.*4.19, *p.*29.*l.* 30,*l.ſuſpiraret, p* 30.*l.*7,*l.*1.*Io.*3, *p.*33.*l.*1,*dele ſunt, p.*34.*l.* 25,*l.Matt.* 21.37 , *p.*35,*l.* 15,*l.ſit in,l.* 31,*dele,vnicus, p.*37 *l.*3,*l oportere: verum.l.*4. *l.deſiderare, lin.*18.*l.inſtrueret, p.*39.*l.*24,*l.Col.*2.23.*li.*26.*Rom.*4.*v.*2. *lin.*31.*l.æſtimentur, & quòd Sponſo grata ſunt,non, p.*40.*l.*23, *repone poſt* 19, *p.*4.*l* 27.*l Gal.*6.*l* 28,*l.pſal.*16.5, *p.*42 *l.*10,*l.ſcyphos,lin.*17,*l. vnica, l.*20,*l* 1.*Cor.*12.12, *p.*46 *l.*28.*l.*1.*Tim.*4.13. *p.*54 *l.*23,*l.theſaurus tuus, p.*55.*l.*2,*l.æquum, p.*63.*l.*10, *l.nulla, p.*64 *l* 12,*l* 2.*Petr. p.*67. *l.*22.*l.Luc.*14.21.*li.*31,*l Act.*7, *p.*68.*l.*7,*l.Luc.*9.55,*lin.*18,*l.tum,lin.*21,*l. nõnulli, p.*7.*l.*8,*l.Pſal.*45. *p* 76.*l.*24,*dele, vt, l.*25,*l.recreat, & l.*26,*l. prodeunt.ſic, p.*81.*l* 26,*l.quibus cõmotus Deus, p* 83.*l* 7,*l.pudeat.p.*84. *l.*14,*l.cuiquam, p.*86.*l* 4.*l.mortificando, lin.*29,*l ex qua, p.*88.*l.*21,*l. adderes? p.*92.*l.*3,*l.ſed per malitiam, p.*93.*l.*32,*l minimè tamen ſe, p.* 94.*l.*1,*l.ornatum, p.*101.*l.*17.*dele,ſeſe,lin.*29,*l congruere, l.*32,*l.Chriſti corporis, p.*105.*l.*10,*l.iam tunc. l.*12.*l.Corinth.*13.12. *expectabat, lin.*14. *l.*2.*Cor.*5.5, *p.*106.*l.*22.*l.Rom.*1, *p.*109.*l.*16,*dele,teipſum.l.*17,*l.religioſi, l.*18,*l,tui ipſius,l.*28,*l rebus, p.*113 *l.*10.*l.Spõſa,l* 21,*l.Mat* 13.17, *p.*116.*l.* 16.*l.Act.*1.15, *p.*120 *l.*4,*l.quaſi in,p.*121.*l.*31.*l.Reliquus,p.*122.*l.*2,*l.quòd mundus, lin.*10.*l.confirmentur, lin.*2.*l. extremum vſque p.*123 *l.*12,*l.adueniret. p* 126.*l* 17,*l.imagine. l* 13. *Mahumetes, pag.*128.*l.*12.*l.ille ab p.*129.*l.*23 *dele,&,lin.*29.*repone,* 19.10, *p.*131.*l.*9,*l.*2.*Cor.*11.*l.*2.13. *Arabum, p.*133.*l* 22.*pro Mar.*6.*l.Ioh.*6.*v* 66.*p.*144.*l.*8 *dele,reticere.l vlt.in parag.l.ſpuriorum, p.*161.*l.*9,*l.deliteſcens, p.*171.*l* 6.*Vnquam gloriam ſuam,l.*8.*ceſſuram lin.*25 *l.quòd iſti eundem, pag* 188.*l.*8,*l.quæ intro. p.*208.*l.*29.*dele,illam, p.*209.*l.*15,*l.videatur, p.*219 *l.*9.*l.loco cedunt, p.*224.*lin* 1,*l.à redeuntibus,lin.*6,*l.ad cœtum, l* 26,*l.ad dextram,p.*228. *l.*23 *l.emaciantes, p.*229.*l.*5,*l.erant Paſtores, p.*232.*l.*17,*l.*1.*Corin. p.* 236.*l* 2,*l.de hac, lin.*8, *l.diſceptationis, p.*240.*lin.*8, *l.præſenti, p* 242. *repone ſic ad marginem. Magni nonnullorum in Eccleſia inſtauranda errores, & l.*9.*l.inſimulamur, p.*243.*l.*17,*l conſequentur, p.*244.*l.*7.*l. & rectis, p.*251 *in parag.Falſarum bigarum.p.*255.*l.*11,*l.nurus, p.*257. *l.*19,*l.ſed id pro, p.*260.*l.*20,*l.omnium, p.*261 *l* 29,*l.lapillis ex, p.*263. *l vlt.l.Miſereatur, p.*272.*l.*13,*l.propoſitus, p.*274.*l.*3,*l.ſumamus,pag.* 287.*l.*18.*l.duobus, p* 291 *l* 13,*l.ſed etiam, p.*293.*l.*8,*l.noſmetipſos, pag.* 301.*l.*26, *l euertendis, p.*307.*l.*3.*l & hinc euenit. l.*4.*vt vlla. p.*308.*l.* 4.*l.quas, p.*311.*l.*3.*l.refert, p* 314 *l.*19.*l.Amica p.*315.*l.*10,*l duas, l* 19. *l ſtolo. p.*326 *l.*14.*circumferimus, p.*327.*l.*3 *volatiles, p.*332.*l.*29,*l.auidos. p.*339 *l.*10,*l Ieruſalem. p.*345.*l.*12 *l.ex quibus, l.*13, *l à Deo indi-*

tam, p.365.l.17, l.pacis securi.l 24, l.cum vlla. p.367.l.7, l.impedimentis. p.368.l.12,dele, Nunc.l.13,l.quadringenti. p.370 in parag l.5, l.muri.l.18, l.mensuræ, lin.20, l.eo sine lin.24, l.impletur p.377.l.11, l.in hac, p.378.l.15.dele,secretum, p.379.l.24,l.illa sua vi & p.380.l.15.l.inuenienda, l.22,l.vt eo non, p 383.l 1.l.ille, p.384.l 10, l.ex peculiari, p.388.l.5.l.Dauide, p.396.l 1, l Fænus cum p.397 l 1,l prosas surdis, p.402.l penult.dele,ij. p.403.l.9.l.perfidorum, l.11 l per ipsum p.406 l.15 l.num hodie. p 414.l.5,l.Hierosolymam. p.425 l.11.l.aspiret p.426.l 26, l inquam,illorum, p.428.l.16,l.copia, p.4 0.l 2, l hodie non, p.431 l.5,l.euadere, p.437.l.31,l.quidem ea qua, p 439 l.24, sed eum, p.442.l.1,l.tunc venisse. p.445.l 23, l genuinam, p.446.l 4,l. explorare, l 7.pro fuco,l suæ, p.447 l 16,l.pro decem.demum, p 448. l.6 pro, Ab,l. At,p.453.l 22,l.illo pungente pccati. p. 454. l .30, l.occludantur, p.455 l 5, dele,non. p 456.l 18.dele,illis, p.457.l.30,l.En igitur quàm desiderabilem. & l 31.dele desiderabilem. p.458.l 6,l.concionatorum, p.461.l.28 leg Esa.5.l 31,l.Vos posse, p.462 l.vlt.terra testantur,p.463 l 28,l.iam multos p.465 l.6,l.nouare,li.18 l mutarum, li. 23.præripiatur,p.471.l.2,l quæstiones, p.472.l.9,l.sui, p.473 l 30, l. possent vbi, p.474.l 2.aut ab illis,l.6.dicuntur, li.10.inciderat.li 21,l. non est, p 475,l.5.vindemiante, li.31. ide illi, p.476.l.4,l.quàm quum p.479 l.17.l.sequitur,& dele,hic videmus. l 19,reliquos, p.480.l.10, l.huic tamen exa. l.20.dele,sint, p.481.l 9.additum aut, p.483.l.17, l. sursum deorsum euersa, lin.19,dele.sibi, p.484.l 19.nundinatione, pag. 486.l 4,l.arguite. l.21. luto iacent, p 487 l.2.l.sequutas? li.8.bona fide per se. p.489.lin.14.l.deperditum, p 494.l 3,l.cæcis eos, p.502.l.5, monasteriorum, p.505 l 12 l.isti.l 14.Domini, p.512.l.6,l prosperi.l 8, l.fauerunt, p.513.in parag l 2.dele,isti. li.16.enim quidam filias l 27 sibi incomperta, p 515 l 3.verbis, p.520 l.1, l exornabatur, p.521.l 26,l. terrorum. l.30.pro,eos, l & sint, p.525.l.10, l.insignia & monumenta, p.529 l.3.adiungitur, p.533 l.16, l functionum, p.535 l.26, dele, etiam, p.542.l.16.l fidei,l.25.reditum ex Chal. p.543.l 26,l.cameræ,l.30,fulciunt,l 32 imposita, p.546.l 5,l Carpetum, proprium fundum, l 7, comminiscuntur, p.547.l 26,dele iam,& pro, ut,l.vbi,l.27 peregrinantur, p.552.in parag l.2 l sustinet.l.26,quæ vobiscum. p.554,l.11,l a caudatoribus,l 12.subleuata, p.557.l.15.l.violentis,l.vlt.l.Pharaonis bigis, pag. 560,l.28,fuerit,l.31.dele,contrito.l.32.& suos, p.561,l.27,causam typus, p.564,l.23,alis inuecta, p.565,15,l.excussi, p 567.in parag.l.vera, pag. 371,l 25,l pereant, p.574.l.20,l.antegressi sunt? p.577,l 6,l.absentiam, p.580,l.2,l,verò hoc, p,581,l,1,l.extinguimus, p,583.l,24.l,nimirum, p,593,l,2,l,pro apparuit, præparauit, p.606.l,30,l, matricidium,l,32, l,non pudet, p,613.l,16,agamus, p,615,l,7,minimè, p,624,l.7, in quo aqua nobis l,25,l,Chrismate, p,628,l.17,precibus nos iuuamus, p,635, 13.l instarū,ibid stipulationū,l.21,sui s,p, 637,l,3,parag,l,cordis illius.

42 ß.

M

A  H